SS. PP. TOLETANORUM QUOTQUOT EXTANT OPERA NUNC PRIMUM SIMUL...

Montanus vescovo di Toledo (vescovo di Toledo), Eugenius, ...

Digitized by Google

Digitized by Google

COLLECTIO SS. PATRUM
ECCLESIÆ TOLETANÆ.

Digitized by Google

328

Digitized by Google

SS. PP. TOLETANORUM

QUOTQUOT EXTANT

OPERA

NUNC PRIMUM SIMUL EDITA, AD CODICES MSS. RECOGNITA,
NONNULLIS NOTIS ILLUSTRATA,
ATQUE IN DUOS TOMOS DISTRIBUTA.

TOMUS PRIMUS.

MONTANI, S. EUGENII III. ET S. ILDEPHONSI
TOLETANÆ ECCLESIÆ PRÆSULUM
OPUSCULA, EPISTOLAS, FRAGMENTAQUE COMPLECTENS.

OPERA, AUCTORITATE, ET EXPENSIS EXCELLENTISSIMI DOMINI
FRANCISCI DE LORENZANA,
ARCHIEPISCOPI TOLETANI, HISPANIARUM PRIMATIS.

PVB. FLORENTINAE BIBLIOTH.

MATRITI MDCCLXXXII.
APUD IOACHIMUM IBARRA S. C. R. M. ET DIGNITATIS ARCHIEP. TOLET. TYPOGR.
REGIO PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

SAnctorum Patrum Toletanorum nomina quemadmodum nullum esse putamus, nisi oppidò agrestis, omnisque doctrinæ penitus expers sit, qui ea ignoret, ac non cum summa voluptate animi audiat, et veneratione prosequatur, cum propter illustrem sanctitatis famam, tum propter singularis doctrinæ laudem, quibus apud omnes commendantur; ita etiam minimè dubitamus, quin nemo reperiatur, cui non sæpiùs cupido incesserit omnia eorum scripta cognoscendi, singulaque, si daretur, accuratè edita, et in unum simul coniuncta legendi, otiosèque perlustrandi, velut sacras quasdam christianæ antiquitatis reliquias, auro contra et margaritis ab omnibus æstimandas. Et quidem huius rei multorum vota iam pridem nobis perspecta erant, et eorum quidem virorum, quibus patrius honos publicaque utilitas maximè cordi est, quique litterarum æqui æstimatores et habentur, et sunt. Eorum autem (quibus et nos consentiebamus) hoc erat commune desiderium, hæc omnium perpetua vox, de eiusmodi editione perficienda seriò cogitandum esse, ut omnis inde ansa præriperetur Hispaniæ obtrectatoribus, rerum nostrarum neglectum ampliùs nobis exprobrandi.

Quamvis enim iam duo sæcula et ampliùs effluxerint, ex quo aliqua SS. Patrum Toletanorum opuscula edi cœperunt, dispersa tamen atque soluta in publicum emissa sunt, prout sese occasio dabat veteris alicuius codicis de novo reperti, aut erroris pullulantis, qui opportunè opprimi posse censebatur gravissima illorum auctoritate. Eo consilio nonnulla S. Ildephonsi opuscu-

Digitized by Google

la a Francisco Feu-ardentio, nonnulla item Iuliani a Ioanne Cochlæo, viris de christiana republica meritissimis, edita videmus sæculo XVI. ut ea tamquam fortissimum aggerem sui temporis heterodoxis opponerent. At id frequenter extra Hispaniam, quæ sicut ab erroribus in aliis provinciis miserè grassantibus, summo Dei beneficio erat libera, ita etiam quàm plurimis MSS. codicibus carebat, quibus multo antea, ut iam dicemus, fuerat expoliata. Itaque ex illo ad nostram ætatem litteraria Toletanorum Patrum monumenta partim in scriniis adhuc latebant, partim quæ lucem adspexerant, soluta vagabantur, manum expectantes piam, quæ illa colligeret, atque ab interitu, in quem iam iam ruitura erant, vindicaret.

Opem quidem illis, ut in tanto periculo, tulerunt Bibliothecæ SS. Patrum editores, quorum opera et consilium vel hac maximè ratione laude dignissimum est, quod SS. Patrum ex omni ætate ac natione opuscula varia, epistolas, et vel levissima fragmenta quodam quasi communi tecto recipientes, eorum perennitati pro tempore consultum ivere. Verumtamen sicut qui ab huiusmodi editoribus maiorem diligentiam elegantiamque requireret, non omnino æquus haberetur, ita nos, quos tot tantaque cum Patribus Toletanis necessitudinis vincula continent, si illorum diligentia contenti fuissemus, iure ac meritò diceremur officio defuisse. Itaque quæ alii in suos, eadem nos Hispani in Hispanos Ecclesiæ Toletanæ Parentes pietatis officia conferre decrevimus, eos quasi ab extero solo ad patriam revocantes, honestissimo, quantum potuimus, hospitio excipientes, atque decorè eleganterque ornatos in lucem emittentes publicam. Quod negotium quantæ operæ ac laboris extiterit antequam dicimus, quædam generatim disserenda sunt de Patribus Toletanis, quibus dignoscatur, quæ fuerit eorum patria, quo genere orti, quod eorum ingenium, quæ studiorum ratio, quanta denique fuit

fuit illis doctrinæ copia, qua Hispanum orbem velut fulgentia sydera illustrarunt.

Et quod ad illorum patriam genusque spectat, paucis rem absolvimus. De Montano nihil litteris proditum. De Eugenio et Iuliano compertum est cives Toletanos fuisse. Ac de hoc satis notum erat Felicis testimonium, qui eum Toleti natum commemorat. De illo penitus ignoraretur, silente præsertim Ildephonso in eius elogio, nisi Braulionis epistolæ denuo repertæ, atque a R. P. Risco tomo xxx. Hispaniæ sacræ editæ fuissent, in quarum trigesima secunda, quæ est Chindasvinti Regis ad Braulionem, Eugenius oriundus Toleti dicitur. De Ildephonsi patria res est obscurior, quam quidem veterum nullus commemorat; recentiores verò sine hæsitatione Toletum dicunt, quibus nescimus monumentis nixi. Ut tamen coniectando in hanc propendeamus opinionem, movet nos quòd Ildephonsus a puero Toleti vixerit sub Eugenii disciplina, simulque parentes Toleti haberet, cum in Monasterium Agaliense e domo fugiens sese contulisse dicitur: quæ etsi non evincunt, suadent tamen satis probabiliter Toletanum fuisse.

Quo genere orti, multò magis obscurum est. Nullius etenim parentes litteris declarantur, nullius commemoratur familia. Nam quod de Ildephonso frequentissimè legitur, patribus Stephano et Lucia nobilibus ortum fuisse, ab auctoribus, ut putamus, sæculo XIII. recentioribus manavit, ex quibus clarissimi viri Ioannes Mariana, Nicolaus Antonius, et alii quamplurimi acceperunt, neque reiecerunt omnino; sed non ita exploratum habent, ut affirmare audeamus. Itaque hoc unum adserere posse videmur, e pura Gothorum gente ipsos, sicut et alios suorum prædecessorum, minimè traxisse originem: quod neminem credimus inficias iturum, qui vel ad ipsorum nomina attentiùs respiciat. Sunt enim illa vel Latina vel Græca: Montani, Ilde-

 phon-

Digitized by Google

phonsi, et Iuliani Latina, sicut Helladii, Iustique; Eugenii verò nomen Græcum est, quemadmodum Euphemii prædecessoris. Itaque ut sunt a Gothicis nominibus toto cælo distantia, ita diversam ab illis Patrum Toletanorum gentem facilè demonstrant, neque aliam nostro iudicio, quàm illorum Romanorum, qui cum multos ante annos sub Romanis Imperatoribus domicilium in Hispania constituissent, Romano-Hispani seu Hispano-Romani iure appellari poterunt. Fuit siquidem illis, etiam Gothis mulieribus matrimonio copulatis, solemnissimum liberis suis nomina vel Romana vel Græca, minimè verò Gothica, imponere. Cuius rei exemplum habemus in quatuor Severiani Carthaginiensis filiis sanctissimis, Leandro, Fulgentio, Isidoro, et Florentina, in quibus cum cetera Romana sint, Isidorus certè Græcum est, ex Ισι, et δοφος, derivatum, sicut Eugenius ab Ευ et γηνίως, et Eulogius ab Ευ et λόγος.

Id ipsum evincitur ex ipsorum liberali educatione et litterarum studiis ab incunte ætate excultis: quæ filiorum informandorum ratio a Gothicis moribus nimium quantum erat aliena; quippe qui ex armorum tractatione bellicisque artibus laudem unicè sibi quærendam existimarent. Quamquam non inficiamur, procedente tempore, Hispanorum consuetudine (quorum mores Romanorum cultum humanitatemque referebant) Gothos ipsos emollitos, atque feritatem exutos, ad litterarum studia animum applicuisse.

De vitæ ratione, quam Patres sequuti sunt, antequam ad Ecclesiæ Toletanæ regimen evecti fuerint, facilè est dicere ex his quæ in uniuscuiusque vita propriis operibus præfixa scribimus. Eugenius postquam a puero Ecclesiæ Toletanæ inter Clericos deservierat, ad Braulionem adhuc iuvenis perrexit, apud quem in summa consuetudine vixit, Ecclesiæ Cæsaraugustanæ Archidiaconus constitutus. Dicitur illic SS. Martyrum cultui deditum, *propositum monachi incoluisse*: quod utrum

Digitized by Google

utrum ideo scriptum sit, quòd ibi revera cucullum induerit, veremur asserere, multis præsertim negantibus SS. Martyrum ullum monasterium extitisse. De Iuliano non dubium quin monasticam vitam, quamvis avidè expetitam, numquam amplexus sit, pedemque ab Ecclesia Toletana, cui a teneris annis fuerat adscriptus, vix extulerit. Unus est Ildephonsus de quo constat, postquam ab Isidoro Toletum rediit omnibus excultus disciplinis, reluctante et obnitente patre in Agaliensi cœnobio monachum induisse, in quo ei præcesserant Helladius, Iustus, et Eugenius Secundus, qui postea Toletanam Sedem ordine suo tenuerunt.

Atque hac occasione quando celeberrimi monasterii Agaliensis mentionem fecimus, erunt fortassis qui a nobis iure suo requirere posse videantur, ut de rebus hocce monasterium spectantibus longam orationem suscipientes, de Agaliensium monachorum instituto disseramus, definientes quamnam vivendi regulam sequuti sint viri illi admirabiles, ex quibus tanta Ecclesiæ Toletanæ laudis seges oborta est, et gloriæ. Verùm qui ita censent, importunos ac temerarios nos efficere contendunt, dum ipsi plus nimio curiosos sese ostentant. Neque enim hic locus huiusmodi disceptationi opportunus videri potest, et in re omnium quæ occurrunt in historiis obscurissima definitionem requirere post Mabillonii, Magistri Perez, et aliorum dissertationes accuratissimè elaboratas, est omnino supervacuum. Viguerit olim apud viros historiæ peritissimos (quos inter imprimis Ioannes Mariana censendus est) hæc opinio, quæ hodiedum viget, altèque multorum animis insedit, in Agaliensi monasterio, tunc cum Ildephonsus monachum agebat, Benedictinam regulam, seu quæ ex illa desumpta fuerit, obtinuisse: sit illa probabilis, nec contemnendis coniecturis innixa. Contendant alii ex opposito Agalienses, quemadmodum et ceteros Hispaniæ monachos, regulam Benedictinam toto illo sæculo VII. non

non cognovisse, propriasque ac privatas fuisse sequutos, alios Donati, alios Ioannis Biclarensis, alios Fructuosi Bracharensis, alios Isidori Hispalensis regulam, seu quæ eius nomine circumfertur, alios alias: idque rationibus et coniecturis etiam probabilibus persuadere nitantur. Nobis certum est ab omni iudicio abstinere, neque committere ut in negotio tantis tenebris circumsepto, atque a nostris temporibus adeo remoto, cuiquam partium tenacius studere videamur.

Superest gravissimum de Toletanorum Patrum doctrina caput maiori a nobis diligentia pertractandum. Agitur enim in eo non tantùm de Ecclesiæ Toletanæ decore, sed de honore totius Hispaniæ, in cuius laudem referri oportet, quidquid in illorum commendationem protulerimus. Magnam autem fuisse in eis et variam multarum rerum scientiam, facilè colligitur ex iis quæ tradunt rerum suarum historici. Etenim excellenti ingenio præditos fuisse narrant, et liberalibus disciplinis ab ineunte ætate deditos, et doctissimis illorum temporum magistris operam navasse. Ab adolescentibus verò huiusmodi, quibus nec ingenii celeritas, nec singularis industria, nec indefessum studium, neque præclara magistri præcepta et exempla defuerant, nihil non magnum ac præclarum expectandum fuit. Montanus quo præceptore usus fuerit, omnino ignoramus. De reliquis verò exploratum est, Eugenium Braulionem Cæsaraugustanum, Ildephonsum Isidorum Hispalensem, Iulianum ipsummet Eugenium magistros nactos fuisse. Nunc autem quis fuerit Braulio, quis Isidorus, non est opus pluribus commemorare. Braulio S. Isidori discipulus, magistro suo sicut morum vitæque integritate simillimus, ita propter studiorum coniunctionem in primis carus, deinde Cæsaraugustæ Episcopus, non minùs sanctitatis quàm doctrinæ laude apud omnes florebat, quemadmodum testantur epistolæ ad viros doctissimos et Principes ultro citroque datæ, et ac-

Digitized by Google

acceptæ: in quibus apparet quanta esset omnium de illius doctrina existimatio, neque temerè propter eloquii elegantiam laudatum, et ut inquit prædecessor noster Rodericus, ab ipsa Roma admiratum fuisse: quippe qui nomine Concilii VI. Toletani ad Honorium I. scribens, orationem non impolitam, et gravissimis sententiis plenam exhibuit. At Isidorus sicut ætate, ita etiam doctrina Braulionem ceterosque præcellens, omnium scientiarum magister absolutissimus ea tempestate habebatur. Apud quem non solum sacræ, sed humaniores litteræ cum linguarum studio maximè vigebant: cum Latinè et Græcè et Hebraicè sciret, omnesque pene disciplinas cum humanas tum divinas complexus esset.

Sub talibus præceptoribus nemo iam mirabitur multiplicem rerum cognitionem, variamque doctrinam quæ in discipulis eluxit. Neque enim, ut de aliis studiis humanioribus taceamus, ullam Philosophiæ partem, ad omnem vitæ rationem instituendam perquam necessariæ ipsos credibile est prætermisisse, quos constat Poësim, minus communem, plusque voluptatis habentem quàm fructus, neque indiligenter coluisse, neque omnino infeliciter: scilicet acri suo ingenio et multa Poëtarum sacrorum et profanorum lectione, sine quibus artem illam minime assequuti fuissent. Ildephonsi atque Iuliani epigrammata et hymni, quibus præclarorum virorum famam, sanctorumque virtutes celebrarunt, fere omnia desiderantur, quæ sanè non minimam partem suorum operum conficiebant. Unius Eugenii aliquot versus temporis edacitatem superarunt, qui quidem singularem illam ingenii ubertatem ac facilitatem produnt cum mira varietate coniunctam, quæ cum in maximis Poëtis laudentur, Eugenium probant Poëtam fuisse minimè vulgarem. Quominùs enim eximium dicam, prohibet temporum, quibus floruit, iniuria; quibus vitio vertendum est, quod Eugenius præcellenti ingenio a natura donatus, ad musas perquam aptissimo, ardentique studio et exercitatione

Digitized by Google

ne exculto, ad veterum Poëtarum laudem non accesserit.

Sed fateamur oportet, quantumcumque illi in humanioribus litteris tempus et operam collocarunt, id quasi properantes atque aliud agentes fecisse: nempe ut illarum ornamenta ad severiora studia, sacrasque disciplinas deferrent, in quibus a pueritia versati, tamquam in provincia sibi præcipuè designata ad extremam usque ætatem perseveraverunt. Ecclesiæ etenim servitio a teneris annis addicti, atque in partem Domini vocatos sese præsentientes, sacrarum litterarum studium sibi præcipuè vindicarunt. Itaque sacros codices legere, dies noctesque in illis meditari, de illis inter se conferre, magistros consulere, eorum responsa excipere, hoc illorum perpetuum negotium, hæc una illis cura. Quod cum sine curiositate et arrogantia, immo cum vera animi humilitate modestè de se sentientis efficerent, proprii ingenii viribus minimè fidentes, iugique oratione lumen a cœlesti magistro postulantes, factum est ut in illarum cognitione mirabiliter proficerent. Nec verò leviter in Scripturæ sacræ studio adiutos credimus linguarum Græcæ et Hebraicæ cognitione; quarum etsi non perfectam, aliquam tamen illos habuisse notitiam, non est quare dubitemus. Nam ut historiæ nostræ testantur, Hebraicæ litteræ illa tempestate in Hispania præ ceteris occidentalibus provinciis maximè florebant, ad nos unà cum Iudæis advectæ, qui tota Italia ab Imperatoribus fuerant exagitati atque expulsi. Præterquamquod Isidorus, ut dicebamus, utriusque fuit scientissimus, easque Hispali summa cum laude, fructuque edocebat. Inde ergo factum credimus, ut Patres nostri, quamquam latinè scriberent, libris suis frequentissimè titulos Græcos præponere delectarentur. Itaque librum de perpetua virginitate S. Mariæ S. Ildephonsus inscripsisse dicitur ἀντὶ τριῶν ἀπίστων, quod significat *adversus tres infideles*. Iulianus autem librum unum προγνωστικῶν, alterum ἀντικειμένων, sive *contrariorum* appellavit.

Quan-

Quando autem huiusmodi operum meminimus, ipsa per se satis demonstrant quantum illi essent in Scriptura sacra versati; in quorum primo Ildephonsus meris Scripturæ auctoritatibus hostes suos mirabiliter confodit, adeo ut nihil ferè ex tota Scriptura ad rem subiectam pertinens in eo desideretur. Similiter Iulianus in ultimo loca quamplurima eaque difficiliora sacræ Scripturæ tam novi quàm veteris Testamenti in speciem adversantia inter se componere aggressus, adeo luculenter perfecit, ut doctorem se prodat in universæ Scripturæ campo versatissimum, quem nullus reconditior sensus lateret, et cui nulla tot figurarum, quibus Scriptores sacri passim utuntur, esset ignota.

Præter hæc autem adiumenta, numquam ad huiusmodi studium accedebant, inconsultis gravioribus ac illustrioribus totius retrò antiquitatis parentibus: quippe qui in sacris Scripturis scirent nullam aliam viam tutiorem existere præter illam, quam propriis ipsi vestigiis tritam nobis reliquerunt. Itaque in eorum operibus evolvendis adeo assidui fuerunt, ut non tam illos legisse, quàm memoriter didicisse videantur. Qua ratione id tandem assequuti sunt, ut de re quaque rogati ad sacram spectante doctrinam, totidem sententias quasi in numerato haberent, quibus respondendo exponerent, quid ad ea Augustinus, quid Gregorius, quid Cyprianus, quid alii demum Ecclesiæ Patres scripserint. Itaque iam nemo mirabitur, si Ildephonsus Baptismi disciplinam expositurus in libello *de recognitione baptismi*, continuis Patrum sententiis intertextis rem sit prosequutus, Iulianusque similiter effecerit in tractatu *de futuro statu animarum*, ut ipse ad Idalium scribit his verbis: *Sed in divinis rebus impatiens, ut assolet, tuæ sanctitatis animus tenuitatis meæ vires suavissimo familiaritatis imperio coëgit . . . ut hæc ipsa quæ superiùs in quæstionem venerant . . . mox ut datum mihi divinitus otium præsensissem, uno tota et brevi volumine complicanda conge-*

Digitized by Google

rerem, et quid ex hoc maiorum auctoritas senserit, appositis eorum sententiis demonstrarem. Et paulò post: *In quo tum non mea, sed maiorum exempla doctrinamque reperies. Et tamen si alicubi parum aliquid vox mea insonuit, non aliud quàm quod in eorum libris legisse me memini, proprio stilo conscripsi.* Id ipsum demonstrant collectanea, quæ fecit ex S. Augustini sententiis excerptis ex decade Psalmorum, et ex S. Doctoris libro contra Iulianum, aliaque huiusmodi.

Igitur ex utroque fonte, nempe Scripturæ et SS. Patrum libris, hauserunt Toletani Doctores omnem suam Theologicam doctrinam, qua nihil solidius, nihil orthodoxius desiderari potest. Utinam tractatus *de sancta Trinitate*, et alter *de Proprietate personarum*, ille Eugenii, hic Ildephonsi, minimè periissent! Haberemus certe unde Theologos absolutissimos, Augustini, Gregorii et Isidori discipulos, cognosceremus; nec poterat fieri ut sine voluptate et usura illorum lucubrationes legeremus, quæ a talibus viris profectæ dignæ fuerunt ut ab Orientalibus, Africanisque Theologis legerentur, ad quos liber Eugenii *de Trinitate* mittendus fuerat, nisi obortæ mari tempestates prohibuissent, ut scribit S. Ildephonsus.

Sed benè est quòd Iuliani non omnia opera Theologica desiderantur. Ille enim paulò superius laudatus *Prognosticon* liber, nihil aliud est quàm eruditissimi Theologi dissertatio numeris omnibus absoluta super statu futuro animarum, extremoque iudicio: in qua summatim quidem, sed luculentèr sciteque omnia, quæ de ea re disputari possunt, separatis quæstionibus excutiuntur, adhibitis, ut supra animadvertimus, ad singula dubia SS. PP. antiquiorum super illa re sententiis. Quod si in ceteris Theologicis tractatibus similiter perfecisset, nihil erat quare aliam Theologiæ summam desideraremus: ita omnia sunt nostro iudicio ordinatè digesta, curiosè quæsita, ac dilucidè explicata. Prævenisset cer-

Digitized by Google

certè Petri Lombardi aliorumque similium laborem, et palmam ei præripuisset, cuius præcipua laus est, quòd magno labore assiduaque PP. lectione varias difficilesque quæstiones de divinis rebus miro ordine propositas, meris SS. Patrum sententiis absolverit ac definierit, unde *Magister Sententiarum* fuit appellatus.

Nec minus fuit in illis Ecclesiasticæ disciplinæ ac sacrorum Canonum, quibus ea continetur, studium: adeo ut vel ea sola ratione incredibile sit quantum illis Toletana, quantum Hispana, quantum universa debeat Ecclesia. Nam pro tuenda ecclesiastica disciplina, vel collapsa restituenda indefessi tum scripto tum verbo laboraverunt. Res est notissima, quot Concilia sub illis habita sint in urbe Regia Toletana, quorum, præter illud apud Montanum coactum, a S. Eugenio usque ad extremum Iuliani Pontificatum novem numerantur. In eis verò præcipuas illorum partes fuisse quis dubitet? Itaque fertur, decretum a Concilio X. Toletano eformatum, ut ad diem 18. Decembris Festum Annuntiationis transferretur (cuius translationis gratiâ hodiedum Hispana Ecclesia Expectationem partûs B. M. V. eodem die celebrat), ad S. Ildephonsi propositionem precesque fuisse emissum, qui cum Abbas Agaliensis Concilio interfuerit, qua erat in Deiparam pietate singulari, omnes illas rationes exposuit, quibus Patres permoti a Quadragesima festum illud ad Adventus tempora traduxerunt. Simili modo credimus, Iulianum de *vindicatione domus Dei* scribentem, Concilii Toletani XII., cui interfuit, Patribus occasionem dedisse de hac re cavendi contra id quod minus religiosè in templa sacra antea sancitum erat, ut apparet in codice legum Wisigothorum. At verò nihil aliud Iuliani auctoritatem, partesque in Conciliis habitas ita declarat, quàm tres sequentes Synodi XIII. XIV. et XV. Toletanæ, in quibus ne latum quidem unguem ab scriptis gestisque per Iulianum ceteri Conciliorum Patres recesserunt, præsertim in cau-

Digitized by Google

sa *trium capitulorum*, occasione epistolæ Leonis Papæ ad Hispanos missæ. De quibus paulo fusius suo loco, in vita nempe Iuliani.

Huius eximii studii pro ecclesiastica disciplina propugnanda ac reparanda, testes sunt præterea quotquot elucubrarunt volumina ad eam rem spectantia: qualia sunt editum *de recognitione Baptismi*, aliaque deperdita *annotationum actionis nocturnæ et diurnæ*, et *annotationum in sacris* ab Ildephonso conscripta: et alia quamplurima Iuliani, quorum catalogum Felix recensuit: nempe *de vindicatione domus Dei*, *et eorum qui ad eam confugiunt*: et alter *responsionum contra eos qui confugientes ad Ecclesiam persequuntur*: quibus adiungendus est alius ad Idalium Barchinonensem directus, in quo egregius canonum propugnator omni argumentorum genere asseruit, mancipia christiana dominis infidelibus non debere servire, quemadmodum ecclesiasticis et civilibus legibus cautum erat: quem librum sicut et superiorem *Responsionum* inscripsit.

Hisce omnibus opusculis addamus oportet epistolarum suarum quamplurimas (namque satis multas scripsisse dicuntur), quas non temere putamus magnam disciplinæ illorum temporum partem continuisse. Siquidem inter multa variaque scribendi argumenta illud erat frequentissimum, quod quilibet casus recens offerebat, occasionem præbens vel alios consulendi, vel ad illorum consulta respondendi. Id quod Eugenio nostro contigisse videmus initio Pontificatus sui, ut colligitur ex epistola ad Braulionem data: cuius occasione et Braulionis responsione nonnulla de Confirmationis disciplina apud nos illa tempestate vigente suo loco disserimus.

Nunc autem, quis dignè exponere poterit quæcumque Toletani Patres in propriæ Ecclesiæ utilitatem ac ornamentum contulerunt doctrina, hortationibus, præceptis denique, et exemplis? Cum enim ante illos

To-

Toletanæ Ecclesiæ disciplina propter temporum iniuriam esset sensim collapsa ac depravata, Eugenius ad Episcopatum accedens nihil antiquius habuisse dicitur, quam ut eam revocaret atque erigeret. Ipse pravos usus abolevit, Ecclesiæ ministeria, remota confusione, in ordinem debitum redegit, sua unicuique e clero munia propria præscribens. Psalmorum cantum ac melodiam enormiter vitiatam correxit, ut nihil deinceps perturbatum ac dissonum, nihil minus grave, minusve decens in divinis laudibus personaret. Nunc autem quod Eugenius inchoavit, ab Ildephonso et Iuliano perfectum est, qui et insuper in Missali Ecclesiastico proprio augendo et expoliendo egregiè laboraverunt: Missas etenim et orationes quamplurimas pro festis solemnioribus vel integras de novo composuerunt, vel corruptas ac stilo rudes sanarunt, atque cultiori sermone perpolierunt: unde Missale Mozarabicum, quod vulgo Isidorianum audit, magna sui parte SS. Eugenio, Ildephonso, et Iuliano tribuendum absdubio est. Omnes denique suas curas, ac vigilias huc contulerunt, ut Ecclesiam suam cunctis vitiorum vepribus repurgatam, quàm florentissimam omnium virtutum germinibus redderent. Quorum sudoribus si fructus ex æquo respondisset, si Clerus populusque mores suos ad Pastorum suorum exempla ac monita conformassent, si ipsis hortantibus paruissent, nullius Ecclesiæ facies apparuisset speciosior, atque ad summum gloriæ et honoris fastigium sub tantis Rectoribus Ecclesia Toletana meritò pervenisse diceretur.

Quæ cum ita sint, cum tanta fuerit in Toletanis Patribus omnis generis doctrina, tam varia in illis eruditio, maxima verò sacrarum disciplinarum scientia, non alibi quàm in purissimis sacræ Scripturæ et SS. Patrum fontibus ebibita, ut nihil illa sanius, nihil solidius, nihil orthodoxius cogitari possit; cum hæc, inquam, ita sint, subit animum mirari, quî fieri

ri

Digitized by Google

ri potuerit ut PP. Concilii Francofordiensis verbis adeo duris illos acceperint, ut ad Hispaniæ Episcopos scribentes occasione Felicis et Elipandi erroris ab ipsis damnati, de PP. Toletanis tamquam de suspectæ doctrinæ magistris loqui non dubitaverint. Testimonia enim ab Elipando adducta expendentes, cum ad verba Patrum Toletanorum ab eodem laudata pervenissent, hanc sententiam oppidò durissimam protulerunt : *Et cetera, quæ ex parentum vestrorum dictis posuistis, ut manifestum sit quales habeatis parentes, et ut notum sit omnibus unde vos traditi sitis in manus infidelium.* Quo quid acerbius atque in viros sanctissimos iuxta ac doctissimos contumeliosius dici potuit ? Quoniam verò testimonium huiusmodi specie gravissimum est, utpote a Concilio frequentissimo, quamquam non Oecumenico, profectum, quodque facile imperitorum, ne dicam sapientium, animis imponere poterit, atque eos inducere ut de PP. nostrorum existimatione famaque aliquid detrahant, operæ pretium erit illud expendere, ac rem totam paulo fusius exponere, ut quàm nulla sit huiusmodi testimonii vis, meridiana luce clarius perspiciatur.

Elipandus igitur Ecclesiæ Toletanæ sæculo octavo Præsul, multæ doctrinæ sed pertinacis ingenii vir, errorem de adoptiva Christi filiatione, Cordubæ exortum, atque inde a Felice Urgelitano Episcopo acceptum, calculo suo, alio fortè in sensu, approbavit : quem semel admissum nisus est summa ope propugnare, tamquam in eo nihil ab orthodoxa Ecclesiæ doctrina, nihil a Conciliorum definitionibus, nihil denique ab antiqua Patrum traditione esset alienum. Damnatus quidem fuerat multo antea in Ephesina Synodo Nestorius, eo quod duos filios, seu duas in Christo personas constitueret, morali tantum unione invicem copulatas; neque id latebat Elipandum. Quare sub captioso verborum involucro Nestorianæ hæreseos venenum obtegere meditatus fuit.

Digitized by Google

fuit. Itaque cum duas in Christo personas non assereret apertè, immo negaret, duas tamen denominationes filii naturalis et adoptivi, iuxta diversas, quibus constat, naturas, divinam scilicet et humanam, ita Christo attribuendas contendebat, talibusque argumentis comprobabat, ut nolens in duos diversos filios, duasque personas veluti incurreret: quod verò se effugere simulabat.

Hæc dicimus secundùm communiorem Theologorum de Elipando opinionem. Nec enim huius loci est, nec instituti nostri Elipandi erroris historiam otiosiùs expendere, et in illius damnationis causas curiosiùs inquirere. Quamquam non ignoramus nonnullos extare, quibus probabile est, Elipandum in errore Nestorii minime fuisse versatum, atque circa hypostaticam unionem naturæ divinæ et humanæ in una eademque Verbi divini persona rectè catholiceque sensisse, prout non semel in suis epistolis declaravit, scribens, in uno Domino nostro Iesuchristo, vero Deo atque hominis filio, unam tantum esse personam. Interea tamen propter malam adoptionis intelligentiam, quæ cadere propriè non potest nisi in personam adoptanti extraneam, nomine filii adoptivi significatam, non pressè, ut oportebat, fuisse loquutum: adeo ut cum Christum adoptivum hominem dicere non dubitaret, eo ipso naturalem filium fuisse negare cogeretur. Qui quidem si superstes esset, fortassis idipsum diceret: se Christum adoptivum asseruisse non ratione personæ, quæ unica erat in illo Verbi Divini, sed ratione naturæ gratuitò assumptæ: et adoptionem non strictim, prout a Iurisperitis definitur, accepisse, sed sensu improprio et latiori significatione. Verùm hæc ad Theologos.

Redimus ad nostrum propositum. Elipandus igitur suscepto huiusmodi sententiæ patrocinio, cum videret non sine magno animi dolore Felicem collegam suum varia fortuna iactatum, tandem in concilio Ratisponensi da-

Digitized by Google

damnatum fuisse, Carolum Magnum per litteras convenit, enixe obtestans eum, ut in novo Episcoporum consessu doctrinam suam iterum discuti curaret, sperans fore, ut tamquam orthodoxa ab illis probaretur. Itaque Episcopis Francofurti, ubi tunc erat Imperator, congregatis Elipandus libellum obtulit, totam eius de adoptione Christi sententiam continentem, multis Scripturæ et SS. PP. testimoniis fulcitam, inter quos gloriosæ memoriæ prædecessores suos, Eugenium, Ildephonsum, Iulianumque laudabat: quasi nihil aliud ipse doceret quàm quod tot integerrimi doctores tradidissent. Displicuit Concilio libellus, atque Elipandi doctrina denuo proscripta est. Verùm quoniam prædictum errorem per Hispaniam disseminari operâ ipsius intellexerant, epistolam synodicam Francofordienses ad universos Hispaniæ Præsules conscripsere, in qua execrandam illius impietatem acriter insectantes, testimonia ab Elipando pro se adducta refellere aggrediuntur. Hoc autem in S. Augustini, Hieronymi, Hilarii, aliorumque auctoritatibus ita exequuntur, ut illis maturè perpensis, eorumque operibus consultis, vel illorum verba sano sensu exponant, vel quod frequentius est, Elipandum sublestæ fidei convincant, qui verba aliquando corruperit, vel sententiam truncaverit, opportuniora subdolè reticendo. At verò iusta hæc æquitatisque plena in revincendo Elipando œconomia, tandiu a Concilii Patribus observata, donec ventum est ad Toletanorum Præsulum testimonia ab Elipando adducta. Heic nullo adhibito examine, nullis consultis codicibus, nullaque benigna interpretatione quæsita, durissima illa sententia superiùs relata in illos pronuntiata fuit. Credi oportet nimio zelo fidei ferventibus illam e calamo excidisse, quemadmodum alia, quibus in progressu epistolæ ita in universos Hispaniæ Episcopos invehuntur, quasi omnes nullo excepto in eodem Elipandi cæno iacerent. Scilicet Concilii Patres Elipando sanctissimos Toletanæ Eccle-

Digitized by Google

clesiæ Doctores suæ sententiæ patronos proclamanti facilè crediderunt, cuius tamen malam fidem in ceteris laudandis deprehenderant. Nihil igitur mirum, si fidem veteratori adhibentes, errore facti lapsi sunt.

Quod si aliter sese gessissent, atque Elipandi testimonio, ut res ipsa suadebat, minime fidentes, loca ab ipso designata adiissent; si Missas a Patribus compositas, seu ut ipse appellat, dogmata propriis oculis perlustrassent; si Missalia, quibus Ecclesia Toletana tunc utebatur, consuluissent, cognovissent apertè Elipandum non magis æquum in suos, quàm in alienos extitisse. Comperissent enim vel codices Ecclesiæ Toletanæ verbum *adoptivi* et *adoptionis* minimè continere, vel fortè præsentes cum antiquioribus conferentes, invenissent post Maurorum incursionem eos fuisse depravatos, commutatis vocibus *assumptionis* et *assumpti* in illas *adoptionis* et *adoptivi*, quo nihil verisimilius est. Namque (ut observavit Alcuinus *lib.* 2. *contra Elipandum* cum in responsione corruptos esse codices Toletanos argueret, siquidem in eis testimonia ab Elipando adducta legerentur) minimè credibile est fuisse verba illa a superioribus Patribus scripta, quæ a nullo veterum Doctorum Hispanorum Iuvenci, Isidori, et aliorum, nec a Conciliis Toletanis unquam usurpata sunt. Quin apertissima potius ex illis testimonia contra filiationem adoptivam Christi exhiberi possunt: quale est Iustiniani Valentini Episcopi, qui ante ducentos annos scripserat, auctore S. Isidoro lib. de *Viris illustribus*, varias responsiones ad quæstiones cuiusdam Rustici, in quibus secunda erat adversus Bonosianos, qui Christum adoptivum filium et non proprium dicunt. Cui consonat professio fidei in Concilio Toletano XI. edita sub Quirico Præsule Toletano, medio inter Ildephonsum et Iulianum, cuius hic erat unus ex articulis: *Hic etiam filius Dei natura est filius, non adoptione.* Unde clarè apparet hanc fuisse perpetuam Tole-

tanæ Ecclesiæ, et reliquarum ibi congregatarum eo tempore fidem, orthodoxam, puram, ab omnique erroris nævo prorsus alienam.

Verùm nulla alia re id melius evincitur, quàm apertissimis Ildephonsi nostri testimoniis, quem Francofordienses PP. singillatim contemnere atque erroris arguere videntur. Lubet hanc rem verbis exponere Cardinalis Baronii, qui Patrum Toletanorum, præcipuè verò Ildephonsi honorem egregiè vindicat ad annum Christi 794. agens de Synodo Francofordiensi: » Ceterum tantum abest (inquit) ut S. Ildephonsus eius erroris assertor fuerit, ut potius in suis scriptis, crebris » sententiis tamquam spiculis tale monstrum sæpe confecerit. Est igitur in promptu, ut imprimis in eum » tanta illata calumnia quàm apertissimè detegatur, neque ex dubiis quidem testibus testimoniisque obscuris, sed eiusdem Ildephonsi germanis scriptis, quibus non semel totidem verbis eiusmodi Nestorianismum in Hispaniis disseminatum impugnat, negans » prorsus filium Dei secundùm carnem dici debere filium adoptivum. In primis igitur illud adducamus » in medium quod habet in libro de Virginitate S. Mariæ, et in necessariam deducitur assumptionem, ubi » post multa secundùm veritatem catholicam disputata, » *Audisti*, inquit cap. 6. *quia cum aliud sit Deus, et aliud* » *homo, non tamen est alter Deus, et alter homo; sed* » *unus est Dominus noster Iesus Christus, idem Deus,* » *et homo*? Et inferius cap. 11. *Ita in utraque natura* » *unum generans filium, ut idem sit filius Dei qui filius hominis, nec alter sit filius hominis quàm filius* » *Dei*. Prosequitur eruditissimus historicus testimonia adducens ex libro de Parturitione B. M. Virginis, quem cum Feu-ardentio primo eius editore credebat indubitatum S. Ildephonsi opus, contra id quod his temporibus fere omnibus persuasum est. Sed quoniam res non est omnino explorata, testimoniumque

Digitized by Google

que adversus adoptivorum errorem ex illo dessumptum luculentissimum est, integrum locum exhibemus: *Ac per hoc talis partus non est communis lege naturæ, sed sicut mirabiliter conceptus, ita mirabiliter Deus et homo natus. Ergo non illum, ut ceteros filios, Dei adoptio fecit filium, sed divinitatis natura illum in proprium Dei filium exaltavit, donavit et illi nomen, quod est super omne nomen; ut esset totus Dei filius homo et Verbum, quia numquam non fuit Dei filius, qui sempiternus permanet unici genitoris unigenitus.* Et post pauca: *Alioquin si ipse ex matre coinquinatus esset, aut materna viscera quasi pro peccato corrumperet,..... non esset Dei filius, sed adoptivus ut ceteri: quinimo nec odoptivus, et nullus esset per quem adoptaretur ipse, si non esset proprius.*

Ex quibus concludit laudatus annalium parens: „ Hæc et alia ipse Ildephonsus, quibus omnibus ma- „ gisque coarguas hæretici impostoris (*Elipandum in-* „ *telligit*) illatam in ipsum calumniam, vindicesque „ eum pariter a Patrum concepta de ipso sanctissimo at- „ que doctissimo viro ex testificatione Elipandi mala „ existimatione, atque asserta falsa sententia, ut plane ap- „ pareat nihil adeo alienum fuisse a tanto Patre quàm de „ adoptione Christi filii Dei secundùm carnem assertio." Hucusque Baronius.

Hæc omnia et alia huiusmodi comperissent PP. Francofordienses, si Elipandi testimonium expendissent. Verùm accidit, alienissimo sanè tempore, ut nec Missale Toletanum, nec opera nostrorum Patrum ad manus tunc haberent; adeo ut mirandum non sit illa non consuluisse. Dolemus equidem, sed non istud est de quo maximè querimur: tantum optaremus, ut quando necessaria ad rectè iudicandum monumenta deerant, ab omni prorsus censura abstinuissent. In eo verò quod significant, vel nomina Toletanorum Patrum esse illis ignota, credimus affirmantibus; sed mirari numquam satis poterimus, tot Patres ex tam diversis provinciis congre-

Digitized by Google

gatos usque adeo ignorasse Toletanos Præsules, viros et propter doctrinam qua in pluribus Conciliis Toletanis eluxerant, ubique illustres, et propter sanctitatis famam eo tempore minimè obscuros: cuius non leve argumentum est, quòd non ita multò post, nempe medio sæculo nono, Usuardus Monachus Gallus Eugenium III. Iulianumque inter Sanctos retulerit in suo Martyrologio, quo diù Ecclesia Romana cum aliis quamplurimis usa fuit: licèt Ecclesia Toletana (ut in Eugenii vita scribimus) proprium de illo officium usque ad sæculum decimumseptimum non habuerit, quemadmodum nec de S. Iuliano usque ad decimumsextum. S. Ildephonsi verò nomen, quamvis Usuardus illius non meminerit, exploratum est longe fuisse ceterorum illustrius, adeo ut eius festivitas multo antea iam in universa Hispania celebraretur, ut patet ex Concilio Pennafidelensi anno 1302. celebrato.

Concludamus igitur Patres Francofordienses testimonio Elipandi deceptos, in merum errorem facti circa SS. Toletanorum doctrinam lapsos fuisse, quemadmodum aliis Conciliis etiam Oecumenicis accidere posse, et verò aliquando accidisse, fatentur omnes Theologi cum Cardinalibus Baronio et Bellarmino: atque adeo propter illorum acerbiorem censuram, Patrum Toletanorum existimationem eorumque sanctitatis ac doctrinæ famam nihil apud cordatorum animos imminutam esse oportere. Atque de his satis.

Venimus iam, lector benevole, ad aperiendum nostrum in præsenti editione consilium, operamque in ea perficienda collocatam. Ergo summa animi alacritate ad opus accincti, quod et nostratibus et exteris præsentiebamus gratissimum haud dubie futurum, prima nobis cura fuit Scriptorum Ecclesiasticorum catalogos consulere, omnesque Patrum Toletanorum lucubrationes notas habere, ut eas summa diligentia investigaremus, cum aliquando editas, tum quæ publicam nondum aspe-

xis-

xissent lucem. Itaque editiones varias nonnullorum opusculorum nobis comparavimus: deinde ad inquirenda illorum aliquot MSS. exemplaria omnes nostras cogitationes contulimus, siqui forsan codices in antiquissimo S. Ecclesiæ Toletanæ tabulario, eiusque bibliotheca reperirentur, quorum perlustrandorum copiam habebamus. Accessimus, perscrutati sumus, atque nonnullos invenimus postea indicandos, qui operam nostram non parum iuvarunt; sed ut fateamur quod res est, multo pauciores quàm sperabamus, quique sitim nostram vix sedare, nedum extinguere potuerunt.

Hoc autem quoniam non dubitamus, quin lectoribus mirum et vix credibile videatur, in tabulario et bibliotheca Toletanæ Ecclesiæ, in quibus permulta reconditioris antiquitatis monumenta servantur, tantam esse eorum codicum MSS. inopiam, qui Præsulum Parentumque suorum opera contineant, exponamus breviter variam huius bibliothecæ fortunam, multiplices casus, innumerasque calamitates, quibus variis temporibus obnoxia fuit.

Primò itaque nemo ignorat Arabum in Hispaniam irruptio quàm funesta et exitialis rei litterariæ extiterit; adeo ut instar miraculi habendum sit quòd non omnia cuiusvis generis scripta perierint. Ea verò quæ commune naufragium evaserunt, occasione consequutæ servitutis facile fuit e nostrorum hominum manibus abripere, qui hostium potentia ac feritate oppressi, de asserenda potius libertate, vitaque quoquomodo tuenda, quàm de MSS. codicibus conservandis cogitabant. Inde factum est ut illorum incredibilis copia ad exterorum manus pertransierit, a quibus nos domesticarum rerum memoriam eramus aliquando emendicaturi. Illi verò codices qui e Regni finibus minimè extracti fuerunt, non multo æquiorem fortunam sunt experti. Quî enim fieri poterat, ut in tanta rerum perturbatione, hominumque animis in dies barbarie occupatis, inter bellatorum manus

nus

Digitized by Google

nus pretiosissima litterarum monumenta custodirentur?

Perierunt itaque, vel huc illuc distracta fuere quamplurima, ne dicam penè omnia, adeo ut prædecessor noster Rudericus Ximenez de Rada, historiam de rebus Hispaniæ sæculo decimotertio conscripturus, incredibiles labores ac difficultates devoraverit in colligendis hinc inde nonnullis codicibus ad prædictam historiam spectantibus. Quod similiter Cardinali Francisco Ximenez de Cisneros contigisse postea comperimus in Bibliorum Polyglottorum editione.

Neque est quare collectione MSS. a prædicto Ruderico summo labore facta consolemur. Quamvis enim Rudericus moriens bibliothecæ suæ in posterum consulere cupiens, illam congruenti cum dotatione testamento reliquerit Monasterio Cistercensium de la Huerta in Diœcesi Seguntina (in quo etiam sepeliri voluit iuxta sepulcrum Alphonsi Regis, sed in inferiori loco); tamen si præsentem librorum, quibus constat, paucitatem cum antiqua illorum copia conferamus, manifestò apparet multorum MSS. á Ruderico relictorum fecisse iacturam; sive ea fortuito incendio contigerit, sive quod suprema auctoritate inde sint extracti, sive quavis alia ratione. Unum certum est multo pluribus, quàm quæ nunc habet, voluminibus constasse. Fuit enim Rudericus librorum indagator diligentissimus: deinde verò in eius gratiam a Ferdinando Castellæ regio fuit decreto provisum, ut quæcumque reperirentur monumenta, quæ ad historiam Hispaniæ conducere possent, ad eum deferrentur. Vir multæ doctrinæ et spectatæ fidei prudentiæque, quam sæpissime prædictus Ferdinandus expertus est; neque minùs Alphonso Octavo carus, qui in expeditione adversus Mauros eum sibi comitem itineris adscivit; dignus propterea cuius fidei Sancius S. Ferdinandi Regis filius instituendus committeretur, Sancius, inquam, qui postea fuit Archiepiscopus Toletanus.

At-

Digitized by Google

Atque hæc de universa Hispania. Quod vero S. Ecclesiam Toletanam spectat, quamquam in suo archivo nonnulli MSS. asservarentur, formatam tamen bibliothecam non habuisse putamus usque ad Petri Tenorii Archiepiscopi Toletani tempora, qui sæculo decimoquarto suam Ecclesiæ testamento reliquit, instructissimam videlicet, ac selectissimam. Fuit etenim vir imprimis eruditus, iuris præsertim consultissimus, magni Baldi discipulus: tanta doctrinæ et prudentiæ fama, ut dignus habitus fuerit, quem S. Pontifex ex Conimbricensi Sede ad Toletanam nihil minus cogitantem eveheret, ut ea ratione finis aliquando imponeretur discordiis inter Canonicos Toletanos excitatis super Archiepiscopi electione; quos, ut erant diversis partium studiis distracti, nulla spes affulgebat aliquando inter se consensuros. Hic igitur pretiosissimos contulit in Bibliothecam MSS. quorum si antiquum indicem haberemus, constaret omnibus a Petro Tenorio quasi iacta fuisse illius fundamenta, quæ deinceps aliorum Archiepiscoporum et Canonicorum etiam donationibus multum aucta est et locupletata.

Verùm ex hac bibliotheca a Tenorio relicta, fama fert, Petrum de Luna cum Toleti verum Papam ageret, quando nempe Reges Castellæ, Aragoniæ, et Galliarum eius partibus favebant, quamplurimos MSS. eosque pretiosiores extraxisse, qui numquam postea illi reddita sunt, neque quo eos adsportaverit, scimus.

Post hæc verò sæculo decimosexto incredibile est quantum laboraverit ad eamdem ornandam et quodammodo redintegrandam, quamplurimis codicibus exscribendis ex aliarum bibliothecarum exemplaribus, eiusdem S. Ecclesiæ Canonicus D. Ioannes Baptista Perez: vir multæ lectionis, eruditionis omnigenæ, atque emunctissimæ naris criticus: Concilii Provincialis Toletani sub Cardinali Archiepiscopo Gaspare de Quiroga celebrati Secretarius: deinde Episcopus Segobricensis.

Hæc

Digitized by Google

Hæc varia rei litterariæ fortuna quoad antiquissimos codices, quorum aliquando locupletissima fuit Ecclesia Toletana. Cuius fortunæ acerbitatem ubi lector animadverterit, mirari iam desinet, quod in S. Ecclesiæ bibliotheca illi tantum codices reperti sint, quos catalogus huic prologo subiiciendus continet, in quo operum S. Ildephonsi perpaucos MSS. antiquos offendet, S.Iuliani verò nullos.

Accipe nunc qualem in prædictis edendis opusculis observaverimus œconomiam. Patrum ut quisque antiquior est, ita ceteros præcedit: uniuscuiusque operibus vitam auctoris præfigimus, vel a nobis de novo elaboratam, ut in Montano et S. Eugenio fecimus; vel ex veterum elogiis transcriptam, nonnullisque notulis ad imam oram illustratam, ut in Ildephonso et Iuliano: quod non sine ratione fecisse satis indicamus suis locis.

Præter hæc uniuscuiusque Patris opera certa ab incertis et spuriis, si quæ sunt illis attributa, secerni curavimus. In singula opuscula aliqua verba præfamur, cum ut illorum rationem reddamus, tum ut legitimos eorum auctores, quod frequentius est, secundùm æquioris critices regulas investigemus. Nonnullas item aliquando notas subiecimus, quando id nobis argumentum superius omnino exigere visum est: paucas tamen, quoniam editores potius quàm commentatores Patrum Toletanorum haberi volumus. Verùm hoc quantum quantum illud est, æqui bonique consulant eruditos lectores exoramus: quando in toto hocce consilio et labore capessendo non aliud nobis propositum fuit, quam ut viris studiosis quoquomodo placentes proficeremus.

Ad extremum omnes intelligant optamus, quorum virorum opera in hac editione perficienda usi simus, quos laude sua fraudari iniquum esset. Symbolam itaque huc suam contulerunt in codicibus MSS. diligenter excutiendis, atque illis cum editionibus et inter se conFe-

Digitized by Google

ferendis D. Rochus Martinus Merino S. Ecclesiæ Toletanæ Canonicus et Cappellanus maior, nunc dignissimus Episcopus Terulicensis, D. Gregorius Alphonso Villagomez eiusdem S. Ecclesiæ Canonicus et Archidiaconus de Calatrava, D. Petrus Hernandez Bibliothecæ Archiepiscopali Toletanæ præfectus, et D. Athanasius Puial nostræ Cameræ Theologus Consultor atque familiaris.

Digitized by Google

INDEX MSS. CODICUM,

QUIBUS CUM OPERA HEIC EDITA CONTULIMUS.

PRO EDITIONE S. EUGENII NOBIS PRÆSTÒ FUIT.

Codex Gothicus dictus *de Azagra*, continens præter alia aliorum opuscula, non solum epigrammata antea edita S. Eugenii tertii unâ cum emendatione Dracontii, et epistola ad Regem Ervigium, sed etiam alia quamplurima carmina eiusdem, quæ a nobis nunc primùm emittuntur in lucem. Antiquissimus est codex, quantum ex scripturæ caractere colligitur sæculo X. haud posteriori. Asservatur in Bibliotheca Toletana pluteo 31. num. 18.

PRO EDITIONE OPERUM S. ILDEPHONSI.

Codex Gothicus antiquissimus, scriptus anno 1077. a Salomone Archipresbytero S. Ecclesiæ Toletanæ, sub Paschali eius Archiepiscopo. Continet tantùm librum *de virginitate perpetua S. Mariæ.* Asservatur hodie in Archivo Conventus Toletani Patrum Calceatorum Ordinis SS. Trinitatis, qui nobis eum humanissimè commodarunt.

Alter codex Gothicus continens eumdem librum *de virginitate perpetua S. Mariæ*, scriptus, quantum coniicimus, sæculo XIII. Dicitur proprius esse Confraternitatis Portionariorum eiusdem S. Ecclesiæ Toletanæ, asservaturque in eius Bibliotheca.

Item alius codex dictus *Amelianus*, superioribus recentior, scriptus, ut ad eius calcem annotavit librarius, sæculo XIV. in Gallia iussu Cardinalis Amelii, ad exemplar, ut asseritur, vetustissimi codicis Gothescalci, inter Aquitanos Episcopi, qui librum *de virginitate S. Mariæ* ex Hispania rediens, secum adsportavit. Accuratissimè descriptus est, continetque præter supradictum libellum, opusculum aliud *de parturitione B. Mariæ*, et sermones XII. sub nomine S. Ildephonsi. Asservatur in Bibliotheca Toletana pluteo 15. num. 13.

Alter item codex Gothicus continens librum *de viris illustribus* ab S. Isidoro inceptum, et a S. Ildephonso continuatum, unâ cum additionibus Iuliani, et Felicis. Extat in eadem Bibliotheca pluteo 31. num. 20.

Alter demum codex Gothicus continens libellum *de corona Virginis*, in eadem Bibliotheca adservatus, pluteo 5. num. 9.

IN-

Digitized by Google

INDEX GENERALIS
OPERUM SS. PP. TOLETANORUM,
QUÆ IN HOC PRIMO TOMO CONTINENTUR.

MONTANI TOLETANI EPISCOPI.

S. EUGENII III. EPISCOPI TOLETANI.

S. ILDEPHONSI ARCHIEPISCOPI TOLETANI.

OPERA CERTA.

EIUSDEM OPERA DUBIA.

APPENDIX OPERUM SUPPOSITORUM.

Digitized by Google

INDEX

SINGULORUM CAPITUM OMNIUM OPUSCULORUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

MONTANI OPERA.

S. EUGENII OPERA.

II.

Epigrammata apocrypha.

Digitized by Google

S. EUGENII III.
Epistolæ duæ.

OPERA SANCTI ILDEPHONSI
Archiepiscopi Toletani.

IN OPERA S. ILDEPHONSI

De virginitate perpetua S. Mariæ adversus tres infideles, liber unicus.

Explicit liber de perpetua Deiparæ virginitate.

IN DUO SEQUENTIA OPUSCULA

SANCTI ILDEPHONSI EPISCOPI
annotationum de cognitione baptismi liber unus.

CAP.

Digitized by Google

CAP.

Digitized by Google

CAP.

Digitized by Google

Digitized by Google

Expliciunt capitula.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

DE ITINERE DESERTI

quo pergitur post baptismum.

CAP.

Digitized by Google

Explicit liber de progressu spiritualis deserti.

S. ILDEPHONSI EPISTOLÆ.

DIVI ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI de viris illustribus liber.

Digitized by Google

APPENDIX

Operum suppositorum sancto Ildephonso.

LIBELLUS DE CORONA VIRGINIS.

CONTINUATIO CHRONICORUM
B. Isidori S. Ildephonso falsò adscripta.

EPIGRAMMATA S. ILDEPHONSO
attributa in collectione variorum carminum a Pseudo-Iuliano facta.

Finis indicis tomi primi.

MON-

Digitized by Google

MONTANI
ANTISTITIS TOLETANI
OPUSCULA.

MONITUM AD LECTOREM.

Auspicamur, lector optime, a Montano SS. PP. Toletanorum editionem, quoniam e tota retro antiquitate is primus est, non qui monumenta literaria ediderit, sed cuius scripta ad nos usque pervenerint. Quis enim dubitet Montano aliquos præcessisse in Sede Toletana doctos Præsules, ac scribendi laude præclaros? De Audencio, quem Toletanum Antistitem fuisse nemo ambigit, scitum est Gennadii elogium, cap. 14. *his verbis*: Audencius Episcopus Hispanus scripsit adversùs Manichæos et Sabellianos, et Arianos, qui nunc vocantur Bonosiaci, librum quem prætitulavit DE FIDE ADVERSUM OMNES HÆRETICOS: in quo ostendit antiquitatem filii Dei coæternalem Patri fuisse, nec initium Deitatis tunc a Deo Patre accepisse, cum de Beata Maria Virgine homo, Deo fabricante, conceptus et natus est. *Virum eumdem* in Scripturis exercitatum habentem ingenium *vocat Trithemius. Sed hoc Audencii opus, sicut et alia aliorum, periit. Montanus itaque primus occurrit, cuius epistolæ sæculo sexto conscriptæ, atque a S. Ildephonso laudatæ, temporis edacitatem superantes, in variis MSS. repertæ sunt, ex quibus editæ primum a D. Garcia Loaysa, deinde ab Em. Aguirrio in sua collectione Conciliorum Hispaniæ: postremò a P. Florez ad quamplures MSS.*

co-

Digitized by Google

codices Gothicos, ut ipse asserit, collatæ, multò emendatiores quàm in prioribus editionibus exhibitæ sunt in appendice ad tom. 5. Hispaniæ sacræ. Eius nos editionem sequuti sumus, nullis ex nostro variantibus lectionibus annotatis, quoniam MS. codicem, ad quem epistolas exigeremus, nullum habuimus. Variantes igitur descriptæ sunt ex ipsa Florezii editione: annotationes verò ad imam oram adhibitas ex Em. Card. Aguirrio desumpsimus, quas tamen nostris animadversionibus ad calcem auximus, locum obscurissimum epistolæ secundæ quoquomodo illustraturi, qui nulli hactenus editori non negotium facessit. Quod vitam Montani eius epistolis præfigimus, non vanum nobis consilium visum est iniisse, ut de auctore rationem prius redderemus, quàm eius repræsentaremus scripta. Itaque in ceteris Patribus edendis eamdem observavimus methodum. In Montano verò, quoniam elogium illius a S. Ildephonso conscriptum brevius est, nos vitæ eius historiam paulo longiorem contexuimus, colligentes ea quæ ab aliis historicis scripta reperimus. Vale.

MON-

Digitized by Google

MONTANI VITA.

MOntanus Ecclesiæ Toletanæ post Celsum Antistes floruit tempore Amalarici Regis Gothorum, præfuitque illi ab anno 522 usque ad 531 secundùm seriem Præsulum Toletanorum D. Ioannis Baptistæ Perezii Canonici Toletani, et Clar. Loaysæ, et Aguirrii, quam auctiorem et correctiorem dabimus ad calcem tom.II.

Ex Sancto Ildephonso intelligimus, quot quantisque virtutibus eluxerit. Fuit enim summa animi virtute præditus, in dicendo eloquentissimus, in gubernando prudentissimus, omnibus summis honoribus dignus, atque vitæ innocentia commendatissimus et beatissimus.

Et quidem eius sanctitatis eminentia abundè comprobatur antiquissimâ fidelique traditione, qua S.Ildephonsi ætate omnium ore ferebatur, sanctissimum Præsulem putida calumnia ab hominibus invidis appetitum, insigni miraculo suam innocentiam vindicasse, carbones accensos tandiu in propriis vestibus sustinendo, quoad sacra Mysteria ipse perageret; quin tamen intereà vestes vel levissimum ceperint detrimentum, ignisve quidquam de vi sua remiserit. Cuius simili purgatione posterioribus sæculis S.Anselmum, aliosquè sanctissimos viros, Spiritu Sancto inspirante, usos legimus.

Eloquentia Montani atque eius doctrinæ splendor satis apparet ex duabus epistolis, quæ ad nos usque pervenerunt. Prima fratribus filiisque dilectissimis Territorii Palentini, altera D. eximio Thuribio scripta; necnon ex Concilio Toletano II. cui præfuit: cuius Canones qui sedulò perlegerit, abs dubio in illis animadvertet quamdam sermonis castimoniam aurea sæcula redolentem, et Gothorum temporibus perraram.

Insigne fuit abs dubio per omnem Hispaniam Montani nomen; et eius sapientiæ fama adeo percrebuit, ut Synodus II. Toletana habita anno 527 hoc modo inscribatur: *Synodus habita in Civitate Toletana apud Montanum Episcopum*; sæpiusquè à Patribus postremo in capite nominatur, asserendo, sequens Concilium

à *Montano convocandum*, *et apud eum debere celebrari.*

Octoginta tribus annis post præfatam Synodum transactis, in Synodo Carthaginensi habita sub Rege Gundemaro anno 610 referunt Patres acta Concilii Toletani II. sic indigitati: *apud Sanctum Montanum.* Quæ verba superioribus adiuncta perspicuè comprobant, non solùm sapientiam, verùm etiam sanctitatem Montani in Hispania fuisse percelebrem.

Quamvis Sanctorum Toletanorum Fastis non sit adscriptus, fraudari non potest elogio Sancti Ildephonsi, qui eum *beatissimum Sacerdotem* appellat, necnon Patrum Carthaginensium conclamatione *Sanctum* Montanum denominantium.

Licèt virtutum omnium laude floruerit, maximè verò zelo domus Domini ardêre visus est, et pro fide orthodoxa sarta tecta tuenda atque sacrorum Canonum disciplina instauranda, contra errorum monstra et pravos usus in Hispania grassantes assiduè præliari. Id epistolæ iam laudatæ testantur, undique zelum spirantes; sive Presbyteros Palentinos chrisma conficientes, atque alienæ sortis Episcopos ad consecrandas Basilicas adsciscentes acriter coarguit; sive ipsorum levitatem atque vecordiam perstringit, qui abominandam Priscilliani hæresim abiicientes, eius nomen honorare pergerent; sive dum probatissimo Presbytero Thuribio auctoritatem suam ad hæc mala coercenda committit. Denique quanta veneratione Romanorum Pontificum monita suspexerit, quantoque studio Conciliorum sanctorum Canones observari curaverit, exemplo erit quod ex epistola secunda non improbabilitèr coniicimus, atque latiùs in notis ad eam exponemus. Cum enim quidam illegitimè electus ac ordinatus Episcopus, Celso Metropolitano Montani prædecessore, Comprovincialibusque Episcopis insciis, Ecclesiam Palentinam invasisset, Montanus ad Toletanam Sedem evectus, sontem diu impunitum esse non est passus, neque multorum precibus adduci potuit, ut contra sancti Concilii Nicæni decreta quidquam de illorum severitate remitteret.

Quæ omnia eò magis Montani virtutem commendant, quò

quò mirabilius est, Pastorem adeò integerrimum, sanæquè Patrum suorum doctrinæ ita tenacem iis temporibus floruisse, cum Ariana hæresis totam ferè Hispaniam occupaverat, cum Gothis Regibus in throno iactabunda consedens. Ipse verò non in aliquo remoto angulo latuerit, verùm in media ipsa Hispania coràm Principe hæretico, totoque Aulicorum Arianorum grege tàm insignia pietatis, et in orthodoxa religione tuenda indefessi studii testimonia præbuerit. Ex quo maximam in hanc sanctam Metropolitanam Ecclesiam Toletanam gloriam redundare nemo non videt: atque indè omnes intelligent, quàm meritò eam *Catholicam* dixerit Eufemius à Montano quartus huius Sedis Episcopus in subscriptione III. Concilii Toletani: nempè quia Pastores semper habuisset, qui Montano similes à recta atque orthodoxa Catholicæ Ecclesiæ fide vel inter ipsas errorum tenebras maximasque persecutionum procellas numquàm desciverint.

Obiit Montanus anno ultimo Amalarici Regis, Episcopatus sui nono, Incarnationis Dominicæ 531: atque in hunc annum referenda sunt quæ quamplurimi historici cùm nostrates, tum exteri tradunt de direptione Toletana à Gallis facta post victoriam de Amaralico impio crudelique catholicæ Clotildis vexatore reportatam. Qua ex re non temerè opinamur, sanctissimum Præsulem non tam senio quàm dolore confectum, cum vidisset urbem tanta calamitate oppressam, Ecclesiam Sponsam suam omni vita chariorem bonis suis expoliatam, vasa sacra usque ad sexaginta abrepta, patinas quindecim, Librorum Evangeliorum thecas viginti, omnia ex auro mundissimo conflata atque pretiosissimis gemmis ornata, oculos tanta clade defatigatos clausisse; eamque rem omnium luctuosissimam mortem illi maturavisse. Pro coronide damus verba S. Ildephonsi, quibus tanti viri elogium expressit; *Lib. de Viris illustr. cap.* 3.

„Montanus post Celsum »primæ Sedis Provinciæ Carthaginis Toletanæ Urbis Cathedram tenuit: homo et virtute spiritûs nitens, et eloquii opportunitate decorus, »regimen honoris retentavit, »ac disposuit condigno cæ-

» lestiquè iure, simul et ordi- » ne. Scripsit epistolas duas » ecclesiasticæ utilitatis disci- » plina consertas; è quibus » unam Palentiæ habitatoribus, » in qua Presbyteros Chrisma » conficere, Episcoposque alie- » næ Diœcesis alterius terri- » torii Ecclesias consecrare, ma- » gna perhibetur prohibere au- » ctoritate, sacrarum littera- » rum testimoniis affirmans id » ipsum fieri penitùs non licere. » Amatores quoque Priscillia- » næ sectæ, licet non opera- » rentur eadem, quia tamen » memoriam eius amore reti- » nerent, abdicat, et expro- » brat, commemorans, quod » in libris Beatissimi Thuribii » Episcopi ad Leonem Papam » missis, eadem Priscilliano- » rum hæresis detecta, convi- » cta, atque decenter maneat » abdicata. Aliam verò episto- » lam ad Thuribium Religio- » sum, in qua collaudans eum, » quòd culturam destruxerit » idolorum, committit ei Sacer- » dotalis auctoritatem vigoris, » per quam Presbyteros Chris- » ma conficere, et Episcopos » alienæ sortis alterius Diœ- » cesis Ecclesias consecrare ma- » gna compescat invectione. » Hic vir antiquissima fideli- » que relatione narratur, ad » exprobrationem infamiæ tan- » diu prunas tenuisse in vesti- » mento ardentes, donec co- » ràm Sedis suæ sacro altari » totius Missæ celebritatem » per semetipsum expleret. » Peractis autem solemnibus, » nec prunæ ignem, nec ve- » stis inventa est amisisse de- » corem. Tunc Deo relatis gra- » tiarum actionibus, per sim- » plicem naturam ignis convi- » cta est et fallacia detestabilis » accusantis, et innocentia bea- » tissimi Sacerdotis. Gloriosus » habitus fuit temporibus Ama- » larici Regis. Annis novem » Pontificatus tenuit dignita- » tem."

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA MONTANI PRIMA.[1]

Dominis dilectissimis, fratribus, filiisque Territorii Palentini Montanus Episcopus in Domino æternam salutem.

I. CUnctarum Ecclesiarum Domini potissimos[a] Præsules per Ezechiëlem Prophetam terribilis illa commonitorii dictio sub speculatoris nomine concutit, dicens: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël: audiens ergo ex ore meo sermonem, annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium: impie, morte morieris: non annunciaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur à via sua impia, et vivat; ipse quidem in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram*, et cetera, quæ huius lectionis ordo de admonentis, admonitiquè animis[b] exquirendum ostendit.

(a) Alius MS. peritissimos. Loays. Domini piissimi.

Ezech. 3. & 33.

(b) Gerundensis, et Urgellensis MSS. anima.

II. Hac ergo voce permotus, huius officii necessitudinem me suscepisse non nesciens, studere curavi, ne cuiusquam perditi animam de manu mea Christus inquirat; præsertim cum Toletanæ Urbi Metropolitani privilegium vetus consuetudo tradiderit; & eo magis non solum parochiarum, sed & urbium cura huius urbis solicitet Sacerdotem. Ergo, ut Apostolus dicit: *Quid horum vultis? in virga veniam ad vos? an in charitate, et spiritu mansuetudinis?* Nova namque præsumptio præsidentium vobis Presbyterorum nostros pulsavit auditus, si tamen nova tantùm, et non detestabilis dici possit, quæ ab initio Fidei Catholicæ numquam præter nunc subrepsisse probatur, ut id quod per manus Summi Pontificis Trinæ Divinitatis invocatio sanctificare consuevit, Presbyter ignarus disciplinæ conficere sibi Chrisma præsumeret. Hoc si ignaviæ est, tam demens Sacerdos esse non debuit; si præsumptionis est, hunc schismaticum esse, quis nesciat, qui inau-

1. Cor. 4. 21.

NOTÆ CARDINALIS DE AGUIRRE

Ex tom. 3. Collectionis maximæ Conciliorum omnium Hispaniæ.

(1) In Epistola hac Montanus Toletanæ Ecclesiæ Metropolitanæ Antistes graviter reprehendit, quòd quidam Presbyteri Territorii Palentini inscii, aut temerarii conficerent sacrum Chrisma, cum id solis Episcopis competat; prætereà, quòd ad consecrationem Basilicarum Episcopi extranei admitterentur; denique quòd aliqui infamem, et toties fulguritam Priscillianistarum sectam in honore haberent. Monet prætereà, ut libros Theoribii Episcopi contra illam scriptos legant. Sed de iis omnibus satis diximus suprà in notis ad Concilium Cæsaraugustanum, Toletanum I. et Hispanicum generale, atque in Epistolam celebrem Sancti Leonis Papæ ad Thuribium Episcopum Asturicensem.

Ex

auditam rem, et Religioni contrariam, senescente iam mundo, talis temerator inducat. (c)

III. Revolvatur manibus vestris, ó Presbyteri, sacratissimus Numeri liber, in quo vestri officii in septuaginta Seniorum personis auspicatus est honor; et invenietis quorum negotiorum vobis prærogativa concessa sit. Adiutores vos Deus (d) nostri laboris secundo dignitatis gradu esse voluit; non temeratores sacrarum quarumdam rerum esse (e) permisit. Sic Nadab, et Abiud ignem offerentes alienum, id est, sui officii non debitum, divinus ignis absumpsit. Sic Chore, Dathan, atque Abiron Moysi, (f) Dei gratia, et divinis eloquiis perfruenti invidentibus, ac dicentibus: (1) *Non soli* (g) *tibi locutus est Dominus, quia omnis congregatio sancta est*, novis schismaticis interitus novæ perditionis (h) advenit, ut ieiuno ore insatiabiliter terra absorberet, quos indignatio divina damnasset. Quid memorem Oziam, qui non contentus regalibus fascibus, ne fungeretur et Sacerdotis officio, contra ius, fasque potestativo elatus (i) cothurno, oblationem expiationis solis Sacerdotibus debitam offerre pararet, sic ultione cælesti lepra perfunditur, ut munere Sacerdotis, & Regni ex eo usquè ad obitum permaneret? (k) Ozam pariter, quantùm ad ipsum erat, devoto officio, iuvencis calcitrantibus, nè arca Dei laberetur, sustinere parantem divinitus percussio illata consumpsit: ostendere scilicet volens, quia nullis omnino causis, nec sub occasione humilitatis præsumentibus, divina officia, et sacramenta cælestia ab eo, cui non incumbit officium, contingi aliquatenus debent.

Ca-

(c) Loays. *indicat.*

Numer. 11. 16.

(d) Loay. *Adiutores suos Dominus.*

(e) Editio Loays. non habet *esse.*

Levitici 10. 1. 2.

(f) Urgellens. et Loays. *Mosen.*

Numer. 16. 3.

(g) Urgell. *Non soli.*

(h) Loays. *prædicationis.*

2. *Paralyp.* 26. 16. *et seq.*

(i) Ita Ger. et Urgell. alii verò: *Potestatis velatus.*

(k) Ita edidit P. Florez ex MS. nos legendum putamus: *ad obitum privatus maneret*: quod confirmat editio Aguirriana: *ut munere Sacerdotis et regni careret, exosusque &c.*

Reg. 2. 6. 7.

(1) *Non solum tibi locutus est Dominus, quia omnis congregatio sancta est.* Hæc verba allegat Montanus ex cap. 16. Numeror. iuxta veterem translationem, qua Ecclesia usa fuit, donec posteà tempore. S. Gregorii Magni Vulgata prævalere cœpit ubique ferè. Porrò priora non habentur apud Septuaginta, ubi solùm legitur: ἰσχίτω ἐν ὑμῖν, ὅτι πᾶσα ἡ συναγωγὴ. παντες αγιοι καὶ ἐν αὐτοῖς κύριος. *Sufficiat vobis, quia omnis congregatio, omnes sancti, et in eis Dominus.* Nec prætereà extant in Hæbraico textu iuxta translationem Pagnini, nec in Paraphraste Chaldaico. Itaque mihi dubium non est, priora illa verba, *non soli tibi locutus est Dominus*, citata fuisse ex translatione veteri, quam sicuti Herculeo animo, et incredibili labore cœpit restituere sæculo præcedenti Flaminius Nobilius, utinam etiam perfecisset. Vide quæ præmissimus tom. I. dissert. IV. num. 20. et sequentibus.

Hanc ipsam Montani Epistolam commemorat, et plures illius laudes profert S. Ildephonsus *lib.* 4. *de Viris illustrib.* dicens: *Montanus post Celsum primæ Sedis Provinciæ Carthaginis Toletanæ Urbis Cathedram tenuit: homo et virtute spiritûs, et eloquii opportunitate decorus, regimen honoris retemperavit, ac disposuit, condigno cœlestiquè iure, simul et ordine. Scripsit epistolas duas ecclesiasticæ utilitatis disciplina confertas; è quibus unam Palentiæ habitantibus, in qua Presbyteros Chrisma conficere, Episcoposque alienæ Diœcesis alterius territorii Ecclesias consecrare, magna perhibetur prohibere auctoritate, sacrarum Scripturarum testimoniis affirmans id ipsum fieri penitus non licere. Amatores quoque Priscillianæ sectæ, licèt non operarentur eadem, quia tamen memoriam eius amore retinerent, abdicat, et exprobrat, commemorans, quòd in libris Beatissimi Thoribii, ipsis ad Leonem Papam missis, eadem Priscillianorum hæresis detecta, convicta, atque decenter maneat abdicata.* Hæc ibi Ildephonsus de epistola præjacta. Statim verò commemorat aliam eiusdem Montani nunc à nobis exhibendam. *Hucusque Card. Aguirrius.*

Digitized by Google

IIII. Caveant ergo, caveant qui sibi putant esse licitum quod aliis non ignorant [l] esse illicitum; nè similis eos [m] horum, quos memoravimus, pœna percellat. An forsitan Sanctorum Patrum regulas, et Constitutiones synodicas ignoratis, quibus præcipiuntur [n] parochenses Presbyteri non per viliores personas, sed aut per semetipsos, aut per Rectores sacrariorum annuis vicibus chrisma a præsidente sibi Episcopo petant? Credo, quòd qui petere iusserunt, potestatem consecrandi penitùs abstulerunt. Providebit [o] ergo charitas vestra, nè post huius humilitatis nostræ interdictum, donec et consuetus vobis à Domino præparatur Antistes, quisquam vetita iterare præsumat, et incipiat graviorem ecclesiasticæ districtionis sustinere censuram. Utatur quisque honoris sui concesso privilegio, quod proprium scit [p] ordinis Presbyterii; non quod Summi Pontificatus est, improbus minister adsumat. Quisquis post hanc admonitionem in huiuscemodi rebus aliquatenus fuerit deprehensus, sub anathematis insolubili vinculo se noverit esse damnandum. Cui in hoc ipsum non parùm humanitatis conceditur, quòd nunc eum transire patimur impunitum.

V. Sanè si Dominus voluerit, cum tempus Paschalis festivitatis advenerit, si vobis ad petendum impossibile est, datis litteris vestris indicare debetis, [q] et nos sacri huius liquoris ultrò poterimus transmittere gratiam, dummodò [r] non præsumatur [s] illicita.

(l) Ita Loays. Florez verò, *non ignorantes*.
(m) Florez ex Gerund. et Urgell. edidit *reos*.
(n) Florez ex eisdem MSS. interserit *ut*; quod non probamus, nisi pro *præcipiuntur* scribatur *præcipitur*; quod nullus habet Codex.
(o) Ita Ger. et Urgell. alii *providerit*.
(p) Ita Ger. et Urgell. alii habent *sit*.
(q) Alii Cod. *debebitis*.
(r) Ita Gerund. et Urg. alii *dum*.
(s) *Præsumatur*, non habet Loays. editio.

VI. Pari ratione cognovimus, quòd ad consecrationem Basilicarum alienæ sortis à vobis Episcopi invitentur, et licèt sint unius fidei copula nobiscum in Christo connexi, tamen nèc Provinciæ privilegiis, nec rerum Domini noscuntur utilitatibus convenire, quia iam ad ipsum huiuscemodi fama perlata [t] est. Ideoque salubri ordinatione censuimus, ut siquando talis necessitas incubuerit, litteris nos informare debeatis, et aut per Nos, aut per eum, qui nobis ex Fratribus, et Coepiscopis nostris visus fuerit, et consecratio Ecclesiarum, Deo auspice, poterit celebrari.

VII. Prætereà perditissimam Priscillianistarum sectam tam actis, quàm nomine a vobis præcipuè novimus honorari. Rogo, quæ est ista dementia in eius amore superfluè labi, quem in opere non velis imitari? Nam, ut pauca de eius spurcitiis in notitiam vestri deducam, exceptis iis, quæ in Divinitate profanus erupit, et ore sacrilego blasphemavit, omnium vitiorum in eodem congeries, veluti in sordium sentina confluxit, ut sectatricum pudorem impudefactus adulter eriperet [u]; et ut ad sceleris nefarii effectum faciliùs perveniret, maleficii usum gesta etiam ei adsignant. Quid tandem in hoc [x] Religioni congruum fidelis cuiusquam anima veneratur, qui non solum a sanctis Sacerdotibus refutatus est, verùm etiam mundani Principes iustitiâ legum suarum eum pro memorati sceleris qualitate damnarunt?

(t) Loays. *prolata*.
(u) Ita Loays. Florez, et Gerund. edidit: *impuderatus ... eruperet*.
(x) Ita Loays. Florez. verò ex suis MSS. edebat: *Quid tamen in hunc*: non absque mendo.

Hunc

Digitized by Google

VIII. Hunc talem fuisse, pleniùs discet qui beatissimi ac religiosissimi Viri Thoribii [y] Episcopi ad Sanctum Papam Urbis Romæ Leonem libros editos legit, in quibus hanc sordidam hæresim explanavit, aperuit, et occultam tenebris suis, perfidiæque nube velatam in propatulo misit. Ex ipsis etenim libris, qualiter cavere, quid respondere contra sacrilegos possit, pius lector inveniet. [z] Unde, quæso, ut perfidiam cum auctore damnantes atque anathematizantes, rectæ fidei regulam teneatis, et de omnibus suprascriptis cautiores exhibere vos procuretis, quò faciliùs nec mihi de taciturnitate possit esse damnatio, et vobis de obedientia fructum maximum coram Salvatore Deo nostro providere possitis. Pax Domini cum omnibus vobis. Amen.

(y) Flor. ex MSS. Loays. *Theoribii.*

(z) Ita Urg.Loays. edidit: *invenitur.*

EPISTOLA SECUNDA.[1]

Domino eximio, præcipuoque Christicolæ, Domino et Filio Thuribio [2] Montanus Episcopus.

I. Alumnum te fidei Catholicæ, et sanctæ Religionis amicum, etiam in actis mundialibus conversantem valde et novimus, et

NOTÆ CARDINALIS DE AGUIRRE

in hanc Epistolam ex tom. 4. Concil. iam suprà citato.

(1) Hanc commemorat S. Ildephonsus libro citat. *de Viris illustr.* agens de Montano Toletanæ Ecclesiæ Præsule. Postquam enim de præcedenti illius epistola locutus fuit, ut in notis ad eam vidimus, subiungit: *Aliam verò epistolam* (scripsit Montanus) *ad Thuribium Religiosum, in qua collaudans eum, quòd culturam destruxerit Idolorum, committit Sacerdotalis auctoritatem vigoris, per quam Presbyteros Chrisma conficere, et Episcopos alienæ sortis alterius Diœcesis Ecclesias consecrare magna compescat invectione.* Sed et statim insignem eius laudem addit, hisce verbis: *Hic vir antiquissima fideli que relatione narratur, ad exprobrationem infamiæ tandiu prunas tenuisse in vestimentis ardentes, donec coram Sedis suæ sacro altari totius Missæ celebritatem per semetipsum expleret. Peractis autem solemnibus, nec prunæ ignem, nec vestis inventa est amisisse decorem. Tunc Deo relatis gratiarum actionibus, per simplicem naturam ignis convicta est et fallacia detestabilis accusantis, et innocentia beatissimi Sacerdotis. Gloriosus habitus fuit tempore Amalarici Regis. Annis novem tenuit dignitatem.*

(2) Quisnam sit hic Thuribius ad quem Montanus scribit, implicata satis quæstio est. Quidam enim nolunt fuisse, nisi unicum Theoribium, sive Thuribium, cui conveniat, quidquid in hac epistola legitur, tam de libris scriptis adversus Priscillianistas tempore S. Leonis Papæ, quam de gestis, et prædicatione adversus laudatores eius sectæ, hortatu Montani Præsulis Toletani. Sed enim falsam esse hanc opinionem facile evincitur ex ipso S. Ildephonso, qui eodem loco, *de Viris illustribus*, palam distinguit inter utrumque Thuribium. Agens enim de Epistolis Montani præiactis ait: *Commemorans* (Montanus) *quòd in libris beatissimi Thuribii ad Leonem Papam missis, eadem Priscillianorum hæresis detecta, convicta, atque decenter maneat abdicata. Aliam vero Epistolam ad Thuribium Religiosum* (scripsit) *in qua collaudans eum, quòd culturam destruxerit Idolorum, committit ei Sacerdotalis dignitatem vigoris, &c.* ut paulo ante scripsimus. Ubi palam distinguit Ildephonsus duos Thuribios: alterum Episcopum, et Synchronon S.Leoni Papæ, ad quem libros miserit contra Priscillianistas scriptos: alterum vero posteriorem non

Digitized by Google

et probavimus. Cùm enim adhuc floreres in sæculo, ita claritudinis [a] tuæ vita perpatuit, ut secundùm sententiam Domini et quæ sunt Cæsaris Cæsari non negares, et Deo quæ sua sunt, devotâ mente persolveres. Iure etenim auctorem [b] te divini cultus in hac præsertim Provincia nominabo. Putasne quanta tibi apud Deum maneat merces, cuius solertiâ vel [c] instantiâ [d] et idololatriæ error abscessit, et Priscillianistarum detestabilis ac pudi-

(a) Loaysa *claritatis.*

(b) Deest *auctorem* in Loaysa.

(c) Loaysa *atque.*

(d) Ita Urg. alii habent: *instinctu.*

non Episcopum, sed *religiosum* & prædicatorem adversùs idololatriam, ad quem viventem scripserit epistolam hanc posteriorem Montanus Præsul Toletanus. Itaque palam est duos fuisse Thuribios, non unicum.

Quod ipsum apertè demonstratur ex Chronographia, iuxta quam Thuribius Episcopus, qui libros scripsit contra Priscillianistas, et misit ad Leonem Papam, floruit ipsius tempore, ac proinde circa medium quinti sæculi: Nam Leo ab anno Christi CDXL. usque ad CDLXI. Sedi Apostolicæ præfuit. Ut omittam, eumdem Thuribium iussu ipsius Leonis Papæ Concilium in Hispania celebrasse anno Christi CDXLVII. ut suo loco præmissimus (*supra in notis ad epist. S. Leonis Papæ ad Thuribium Asturicens. Episcop.*) et cuique notum est. Thuribius autem, seu potius Theoribius, ad quem scripta est hæc epistola, longè posterior fuit et floruit sub initium sæculi sequentis. Cùm enim Montanus ad eum viventem scribens interfuerit et subscripserit Concilio Toletano II. Æra DLXV. id est anno Christi DXXVII. Amalarici Regis V., et S. Ildephonsus asserat eum *gloriosum habitum fuisse tempore Amalarici Regis*; consequens plane est, ut hic Theoribius sit octoginta circiter annis posterior, ac proinde alius omnino a Thuribio illo præcedenti.

Hinc constat Loaysam, doctissimum licèt, lapsum fuisse in notis ad hanc ipsam epistolam, dum dixit: *An hic Thuribius ille Monachus fuerit cuius meminit Ildephonsus*, de Viris illustribus, *in vita Montani*, *an alter Notarius Sedis Apostolicæ a B. Leone Papa missus in partes Hispaniæ ad Priscillianam hæresim exstirpandam*, *ut constat ex Concilio Bracarensi I. in exordio*, (*vocabantur et ii Notarii Regionarii*) *an verò Episcopus Palentinus et Asturicensis non satis constat. Postremæ sententiæ acquiesco*, *ut ex prima epistola patet*; *et scripsisse libros doctissimos adversùs Priscillianos*; *et in secunda epistola eum vocat Sacerdotem*, *hoc est*, *Episcopum*: *ut severissimi* (inquit) *Sacerdotis auctoritate utaris.* Lapsus, inquam, fuit Dominus Loaysa; cùm ex testimonio S. Ildephonsi constet satis, hunc Theoribium fuisse, cuius meminit ille in vita Montani, utpote scribentis ad illum tamquam Synchronon octoginta circiter annis, postquam ille alter Thuribius Notarius, sive etiam Episcopus tempore S. Leonis floruerat, et memoratos libros scripserat.

Quin et eiusdem veritatis fidem facit Montanus ipse in utraque epistola præiacta. In priore enim ad fratres et filios Territorii Palentini, loquens de erroribus et vitiis Priscilliani, ait: *Hunc talem fuisse plenius discet*, *qui beatissimi et religiosissimi viri Thuribii* (non Theoribii) *Episcopi ad S. Papam Urbis Romæ Leonem libros editos legit*: *in quibus hanc sordidam hæresim explanavit*, *aperuit*, *et occultam tenebris suis perfidiæque nube velatam in propatulo misit.* Ubi loquitur Montanus de iis libris tamquam olim scriptis a Thuribio Episcopo tempore S. Leonis Papæ. At verò in hac posteriori epistola epigraphen adhibet: *Domino eximio*, *præcipuoque Christicolæ*, *Domino & filio Thuribio Montanus Episcopus.* Ubi et eum filium vocat, non fratrem, qualiter deberet si esset Episcopus: et tamquam viventem alloquitur eo tempore, octoginta circiter annis postquam floruerat Thuribius Scriptor et Episcopus Asturicensis.

Nec iuvat Loaysam quod Montanus ibidem ait: *Ut severissimi Sacerdotis auctoritate utaris.* Inde enim futurum colligitur, Theoribium iam tunc inter Sacerdotes seu Presbyteros numeratum, cui præterea Montanus veluti Metropolitanus delegat vices suas ad ea delicta coercenda. Quin et ubi in hac epistola loquitur de Episcopis, non filios sed fratres appellat. *Fratres nostri*, inquit, *alienæ sortis Episcopi.* Et in alia epistola præcedenti Episcopos non appellat *Sacerdotes* sed *Summos Pontifices*, et eorum dignitatem *Summum Pontificatum.* Mitto pleraque alia, ex quibus id ipsum confirmari posset. Sed sive hic Theoribius fuerit Episcopus tunc, sive non, distinctio illius a Thoribio Scriptore et Episcopo Asturicensi est manifesta. *Hæc Aguirrius.*

(e) Ger. & Urg. *adhuc eius nomen.*

(f) Ger. & Urg.

dibunda secta contabuit? Si tandem adhuc et in nomine [e] honorare desistant, cuius per tuam admonitionem collapsa esse opera non ignorant. Nam de terrenorum Dominorum fide quid loquar? Cui ita tuum impendisti laborem, ut feroces cohabitantium tibi animos ad salubrem regulam et normam regularis disciplinæ perduceres.[f] Quæ tamen ex Palentino Conventu ad nos pervenerint, Celsitudini vestræ indicare curavi: quo faciliùs per vestram increpationem nefanda præsumptio in posterum conquiescat.

II. Quidam (ut ad nos perlatum est) Presbyteri ausu temerario res sacras non tam consecrare, quàm violare præsumunt: et cunctis ab initio Fidei Catholicæ sæculis inusitatum sui ordinis hominibus, nisi tantum Summis Pontificibus debitum, ius consecrationis chrismæ, nescio quo typo, an dementiâ dicam, indubitanter adsumunt: quod quàm sacrilegum sit, piissimam conscientiam tuam latêre non credo; et ideo spero, ut pro enervanda hac ipsa superfluitate, severissimi Sacerdotis auctoritate utaris, et tantæ rei temeratores districtiori increpatione coerceas. Qui si post datam admonitionem nefas iterare præsumpserint, contumacia eorum sententiâ convenienti damnabitur.

III. Simili ratione cognovimus, eò quòd necessitudine consecrandarum Basilicarum Fratres nostri alienæ sortis Episcopi in locis istis invitati conveniant: et licèt sit in toto orbe Sponsæ Christi thalamus unus, eiusque Antistites unâ in eodem fibulâ charitatis et fidei unione connexi; * quod tamen privilegium (3) Decessori nostro, necnon Dominis et Fratribus nostris Carpetaniæ vel Celtiberiæ Episco-

(3) Super huius periodi intelligentia nihil omnino adnotavit Emin. Card. Aguirrius. Quæ tamen implicatissima atque densissimis tenebris circumsepta omnes ferè harum epistolarum editores insigniter torsit. Contextus ea parte corruptissimus est. Qua verò ratione illi medendum sit, hoc opus, hic labor. Padillæ visum fuit, ab illis verbis fragmentum legi alterius epistolæ, quod huic librariorum imperitia attexuisset. Sed nulla probabili ratione id nobis suadet. Claris. P. Florez putat sententiam præcedentem facilè restitui posse, si post illa verba *et fidei unione connexi* hæc alia addantur ex superiori epistola, in qua similem sententiam ita concludit Montanus = *tamen nec Provinciæ privilegiis, nec rerum domini noscuntur utilitatibus convenire.* Placet nobis coniectura. Quæ verò post hæc addit, ut explicet cl. vir illius vocis *privilegium* commodam in loco significationem, non ita probare possumus. Autumat enim Celsum cæterosque Carpetaniæ et Celtiberiæ Episcopos a Palentino Antistite testamenti sui executores fuisse forsitan constitutos, qui piam eius, nescio quam, voluntatem ad effectum perducerent; contra quam aliquid a Montano Palentini postulaverint, quare ab eo fuerint repulsi. Neque enim apparet, inquit, qua alia ratione Episcopus inferior et suffraganeus Metropolitano suo et Comprovincialibus privilegium fecisse dici possit. Expositio verbis quidem speciosa; cuius tamen vim verba sequentia planè infringunt = *Et certè*, prosequitur Montanus, *municipia, id est Segoviam, Britablo, et Caucam eidem non quidem rationabiliter, sed pro nominis dignitate concessimus*; qui modus loquendi apertè indicat præcedentia esse ad hæc referenda: non enim scriberet *eidem concessimus*, nisi antea de eodem Coepiscopo loquutus fuisset. Quibus omnibus attentè consideratis, ad hæc explananda aliam viam aggressi sumus.

Itaque nos privilegium non vulgata significatione accipiendum putamus, sed potiùs pro iniusta actione contra alterius ius intentata; ita ut privilegium idem sonet ac

Digitized by Google

scopis vester Coepiscopus [g] fecit, in exemplaribus charitati vestræ direximus; ut scire possitis, improba petitio qualem potuisset habere profectum.[h]

IV. Et certe municipia, id est *Segoviam*, *Brittablo*, et *Caucam* eidem non quidem rationabiliter, sed pro nominis dignitate concessimus: ne collata benedictio, persona vagante, vilesceret. Quod ipsi tantummodo, dum advivit, præstitum fuisse cognoscite. Hoc ergo providere vo-

(g) Ita Loays. Florez. ex Ger. & Urg. edidit: *vester quoque Episcopus.*

(h) Loays. *effectum.*

ac iniuria damnumvè alteri irrogatum. Qua significatione non semel illis temporibus fuisse hanc vocem usurpatam novimus ex Glossario Dufresne ad Scriptores mediæ et infimæ latinitatis, verbo *Privilegium*, ubi hæc habet: *Privilegium* idem quod supra *pravilegium* (videlicet vox in malam partem usurpata, ut sit quid contra legem) ...... Vita S. Dunstani tom. 4. Maii pag. 356. .... *Per spiritalem sacri baptismatis uterum* (Ecclesia) *a primi parentis privilegio regeneravit.* Et ex Carpentier in Glossario novo seu supplemento ad Dufresne. *Privilegium* idem quod *tyrannis*..... S. Eulogius lib. 2. Memorial. Sanctor. cap. 1. *Totam penè Iberiam* (Abdarragman) *diro privilegio occupavit.* Eo sensu, cùm aliquis ius proprium alterius sibi arroganter adsumit illudque lædit, privilegium illi facere dici potest.

His ita præiactis, coniecturam nostram producimus eò probabiliorem, quò cum his omnibus mirè consentit quæ de toto isto negotio fusè scribit idem clar. Auct. tom. 8. secundæ edit. Hispaniæ Sacræ pag. 18. Quantùm ergo coniicimus, res ita se habuit: Sede Palentina vacante, electus quidam et ordinatus fuerat in illius Ecclesiæ Episcopum contra sacr. Canonum disciplinam, quam Innocentius Papa I. in Hispania collapsam restaurare cupiens per epistolam [a] Patres Concilii Toletani II. admonuerat, ut solicitè invigilarent, ne quis eligeretur aut ordinaretur in Episcopum ab aliis, quàm ab Episcopis eiusdem Provinciæ cum auctoritate Metropolitani, prout iam antea canon. 4. Concilii Nicæni sancitum fuerat. Is ergo illegitimè electus et ordinatus Episcopus, atque Palentinæ Ecclesiæ invasor magnum Celso Metropolitano et cæteris Comprovincialibus privilegium fecerat. Ipsum verò Montanus sacrorum Canonum zelator eximius e Sede iniustè occupata expulit iuxta canon. 6. eiusdem Concilii Nicæni, quo cautum erat, eum qui præter sententiam Metropolitani factus fuerit Episcopus, Episcopum esse non debere. Tamen non ita acriter in eum animadvertit, quin Episcopalis Ordinationis ac dignitatis rationem habens tria illi Municipia in eadem Diœcesi designaverit, quorum curam gereret, simulque ex eis congruam caperet sustentationem.

Hæc cum ita essent, Palentini illius studiosi (nec enim sine multorum suffragio tantum facinus aggressus fuisset) preces Montano adhibuerunt, eum orantes, ut prædictum Coepiscopum in Palentinam Sedem restituere vellet; atque eam nos putamus esse petitionem, quam improbam vocat in hac epistola, utpote quæ sacror. Canon. severitati esset adversa: quod ipsum abs dubio in exemplaribus, quæ dicit ad eos direxisse, illis luculenter exposuerat. Atque ut simul intelligeret, quàm benignè cum illo actum esset, addit Montanus, se illa Municipia non rationabiliter, id est, aliquo suo merito permotum illi assignasse, sed sola Episcopalis dignitatis ratione adductum. Insuper, ne Palentini animum inducerent illa Municipia ab Ecclesia Palentina in reliquum rescissa mansura, nevè Minister indulgentia elatus proprium se Pastorem et non tantùm delegatum putaret, adiungit, id solùm illi dum viveret esse concessum.

Nec movet nos, ut ab hac coniectura recedamus, quòd legimus Segoviam anno 589. proprium iam habuisse Episcopum, qui Concilio III. Toletano subscripserit. Quamquam enim ea tunc fuerit Montani voluntas, ut illa tria Municipia nullatenus ab Ecclesia Palentina seiungerentur, potuit tamen fieri, ut Segovienses commodam nacti occasionem, illo primo Episcopo vita functo, Pastorem proprium sibi postulaverint, qui ei succederet, idque non multo negotio fuerint adsecuti; maximè cùm Palentina Diœcesis ita amplissimis limitibus contineretur, ut ab uno Pastore commodè gubernari non posset. Multas enim huiusmodi Diœcesum divisiones factas illo sæculo simili causa legimus in Provincia Gallæciæ, ut contractioribus Episcopatuum terminis uniuscuiusque Gregis rationibus meliùs consuleretur. Atque hæc satis dicta sint, ut obscurissimo loco lucem aliquam, quoad fieri posset, adspergeremus. Interea nihil nobis arroganter assumimus, sed meliora ab aliis excogitari, desideramus.

(a) Videsis tom. 3. Collect. Concilior. Card. Aguir.

Digitized by Google

volumus, ut consuetudinem antiquam nulla ratione prætermittere debeatis. Quòd si hæc nostra admonitio in vobis nihil profecerit, necesse nobis erit Domini nostri exinde auribus intimare, pariter & filio nostro Ergani suggerere, et huiusmodi ausum præcepta culminis eius vel districtio Iudicis, non sine vestro detrimento, severissimè vindicabunt: tanta etenim, tribuente Domino, eius est pietas, ut nihil de hoc quod ius antiquum custodisse probatur, immutari permittat. Divina vos custodiat Trinitas. Amen.

Digitized by Google

VITA SANCTI EUGENII III.

EUgenius hoc nomine tertius, atque post alterum Eugenium Ecclesiæ Toletanæ Antistes Toleti optimis catholicisque parentibus natus a teneris annis eiusdem sanctæ Ecclesiæ servitio mancipatus fuit. Cum adolevisset, perfectioris vitæ cupidus, clam patriâ aufugiens Cæsaraugustam secessit, ubi monasticam vivendi rationem amplexus, ad sanctorum Martyrum cultum sapientiæque cœlestis studium totus incubuit. Acri vividoque ingenio præditus, dum pietati studet, miros in ea nec minores in ecclesiasticis disciplinis progressus fecit. Qua ex re cùm apud ceteros, tùm vero apud sanctum Braulionem Sedis Cæsaraugustanæ Archiepiscopum maximam gratiam iniit: isque tanto Eugenium amore complexus fuit, ut eum in Archidiaconum sibi assumpserit, quem semper secum habere cupiebat, non aliter ac ipse Braulio Ioanni fratri prædecessori suo in eodem officio constanter adhæserat. Tanti viri consuetudine Eugenius et sanctitate et doctrina procedebat in dies: itaque quotidie Braulio eum magis magisque diligebat; ex eiusque familiaritate maximam capiebat et voluptatem, et fructum. Neque enim in maximis ærumnis ac laboribus aliud illi solamen erat præter Eugenium suum: et senio confectus, cum minus iam corpore valeret sanctus Præsul, omnem ferè pastoralem solicitudinem in ipsum coniecerat, adeò ut per aliquot annos Ecclesia Cæsaraugustana unius Eugenii Archidiaconi humeris tota consistere videretur. Quæ omnia eius virtutis atque doctrinæ testimonia in Eugenii nostri commendationem eò maiorem vim apud omnes habere debent, quòd ea Reccesvintho Regi non semel per epistolas exhibita atque a Braulione profecta fuere: eo, inquam, Braulione, qui post magnum Isidorum eius magistrum (cui Hispali operam dederat) totius Hispaniæ sol fulgentissimus atque fidei firmissimum columen habitus est, quique omnium Hispaniæ Episcoporum nomine ad Honorium Papam scribens, tanta sententiarum gravitate, tantoque verborum pondere atque elegantia eorum famam falsò traductam vindicavit, ut urbem Romam eius epistola admiratione compleverit.

Verùm Eugenii virtutum fama non unius Cæsaraugustæ finibus contenta per omnem Hispaniam brevi est pervulgata. Itaque Eugenio II. Archiepiscopo Toletano vita functo, omnium omnino oculi ad concivem, et conterraneum suum Eugenium conversi sunt. Nec mora, quin Reccesvinthus Rex Braulionem per epistolam certiorem faceret, communibus omnium suffragiis Eugenium ad Toletanam Sedem expetitum; quare ipsum dimittat, atque Toletanæ Ecclesiæ non tam alienum donet, quàm suum

Digitized by Google

suum reddat ac restituat Eugenium. Nuncio accepto, quanta doloris vis Braulionem oppresserit non aliter, quàm legendis eius ad Reccesvinthum epistolis, concipi potest. Dolet in eis, deflet, obsecrat, obtestatur, adiurat, nullum denique non movet lapidem, ut Regis animum emolliat, atque a tam duro, ut ipsi videbatur, consilio avocet. Eugenium unicum gravis senectutis sibi levamen esse relictum, nec iam eius solùm esse vitæ solatium, sed *animæ dimidium suæ:* a qua quantò homini acerbissimum est separari, tantò ægriùs a suo se Eugenio divelli pateretur: maximam deinde omnium calamitatem Cæsaraugustanæ Ecclesiæ Archidiaconi absentia imminere, nec sine multarum rerum iactura eius operâ subsidioque carere posse. Sed omnia incassùm. Rex eius lachrymis minimè permovetur; maioremque Toletanæ Ecclesiæ quàm sancti Præsulis desiderii rationem habens, iterum Eugenium suum quasi proprio iure agens repetiit. Tandem Eugenius, invitus licèt atque præ summa animi humilitate reluctans, disrupto potiùs quàm scisso, ut scribit Braulio, societatis vinculo, ab eo avulsus Toletum pervenit, mirabilique omnium acclamatione suscipitur: tamquam a propriis ovibus desideratissimus Pastor, quem sibi cœlum magis quàm hominum consilia designaverant.

Convocatum fuerat in illud tempus a prædecessore suo Concilium Toletanum VII., ad cuius celebrationem Comprovinciales Episcopi per illos dies Toletum convenerant. Itaque ab eis nulla morâ interposita, Eugenius, qui nuper advenerat, Toleti Episcopus ordinatus est; qua verò die nos latet, nisi quòd ante diem decimamquintam Kalend. Novembris eius consecrationem contigisse scimus; siquidem ea ipsa die inter reliquos Concilii Patres Eugenius consedit, eique subscripsit, ut apertè demonstrat cl. P. Florez tom. V. Hispaniæ Sacræ contra aliorum sententiam, qui Eugenium huic Concilio subscribentem non hunc III. sed II. fuisse putarunt.

De suis in Episcopatu gestis nihil ferè proditum litteris legimus, nisi quòd ex sancti Ildephonsi verbis colligimus, omnes pastoralis officii partes cumulatissimè explevisse. Quod quantam vim habeat, quamque amplam laudem in se contineat, nemo non videt. Præter hæc verò, eius pastoralis vigilantiæ indefessique studii in extirpandis pravis consuetudinibus et unoquoque de clero in suo officio continendo, non obscurum specimen novissimè nobis exhibuit eius epistola ad magnum Braulionem Toleti data, in qua magistrum discipulus consulit, qua ratione sese gerere oporteret cum quodam Presbytero, in cuius ordinatione vel nimia conniventia, vel minùs forti consilio prædecessoris sui aliqua contigerant nec rectè facta, nec facilia extricatû: tum super quorumdam Diaconorum et Presbyterorum sacrilega temeritate, qui suæ pote-

te-

testatis in ministrandis Ecclesiæ Sacramentis limites excesserant; in quos cùm pro criminum gravitate animadvertêre, tùm præteritis et futuris incommodis obviam simul ire cupiebat.

Deinde, ut erat vir sanctissimus Ecclesiasticæ disciplinæ peritissimus summèque tenax; intolerabiles abusus intimè dolens, quibus divina psalmodia corrupta ac deturpata fuerat, Ecclesiæ suæ cantum ipse correxit, eumque pristinæ et gravitati et suavitati restituit. Varia insuper singulorum Ecclesiasticorum Ordinum officia superiorum temporum incuriâ vel prætermissa vel confusa discrevit, singulis singula tribuendo.

Magni Braulionis ipse discipulus, doctissimi ac sanctissimi Iuliani Archiepiscopi Toletani magister extitit, eoque satis illustri nomine non semel ab ipso laudatur in suis operibus; ut videre est in lib.3. Prognost. cap. 17. per hæc verba: *Præceptor noster sacer Eugenius*: item 24. *Egregii præceptoris nostri Eugenii Toletanæ Sedis Antistitis.* Quasi qui officii memor discipulus maximam, quam posset, Magistro gratiam referre vellet, eiusque sapientiæ laudem ad omnem posteritatis memoriam transmittere, cui quidquid in suis libris est eruditionis ac cælestis doctrinæ, acceptum refert.

Adfuit Conciliis Toletanis VII. et VIII. tertio eis loco subscribens: præfuit verò IX. et X. ut eius subscriptiones apertè nos docent. In quibus omnibus præcipua Eugenii opera æstimata est. Tandem ægra valetudine confectus, qua omni penè vita usus fuerat, diem supremum obiit idibus Novembris anno Domini 657. cum duodecim ferè annos, ut scribit sanctus Ildephonsus, Ecclesiam Toletanam rexisset. Deo et hominibus dilectus magno omnium dolore ac gemitibus elatus est, atque in Basilica sanctæ Leocadiæ sepultus.

Quàm firma constansque fuerit apud omnes, sicut de eius integerrima vita, ita et sanctissimo obitu opinio, significat sanctus Iulianus, qui de sancto Ildephonso Eugenii successore scribens asserit omnibus persuasum fuisse, communi cum Eugenio gloria donatum, in eodem cum ipso habitare receptaculo claritatis. Itaque ab initio sæculi XVII. Eugenii nomen in Sanctorum Fastis adscriptum novimus die decimatertia Novembris, qua ipsa die ab Ecclesia Toletana universaque Archidiœcesi eius memoria sanctissimè recolitur.

Multa variaque opera scripsit. Ex S. Ildephonsi elogio constat librum composuisse de sancta Trinitate, solida ac recondita doctrina refertum, omnibusque orationis luminibus (quantum tempora illa ferebant) ornatum ac perpolitum. Opus certè dignum quod a Patribus Africanis, et Orientalibus legeretur, ad quos fuisset transmissum, nisi mare procellosum viam nunciis præclusisset. Magis verò dolendum, quòd superiorum temporum incuriâ omnino illud perierit, neque ad nos aliud pervenerit, quàm acerbum

tam

tam eximii operis desiderium. Nisi forsàn in vetustissimis alicuius Ecclesiæ tabulariis delitescit, donec in manus peritas atque monumentorum antiquitatis scrutatrices meliori fato, quod optamus, inciderit. Eodem fato correptum est aliud eius opusculum diversi operis, ut ait S. Ildephonsus, prosa elaboratum.

Sed scripsit et multa alia oratione numeris adstricta. Cum enim plurimum ingenio valeret, magnoque Braulione tot annos fuerit familiarissimè usus, qui poeticis compositionibus quammaximè delectabatur atque in eo genere excellebat, non magno negotio Eugenius in Poetam evasit; adeo ut mira facilitate versus funderet, non aliter ac si soluta oratione loqueretur.

Itaque iussu Regis (ut legimus) Chindasvinthi, Dracontii Hispani Poetæ opus *Hexaemeron*, sive de opere sex dierum, emendavit; quæ in illo erant corrupta ac depravata loca restituit; quæ deerant supplevit; ita ut opus non tam emendatum, quàm novum ex eius manibus prodiisse videretur.

Multa deinde epigrammata non uno eodemque carmine panxit; quæ cum ederet, etsi non omnia, Claris. Sirmondus suum de eis iudicium protulit in epistola nuncupatoria ad Henricum Borbonium Galliæ Regis filium et Episcopum Metensem, scribens, quod licèt Eugenii versus impoliti, et crasso ac soloci filo texti esse videantur; tamen quilibet in eis animadvertet, etiam sub tenui paliolo latêre sapientiam, quæ ipsa plerumque in dictionis artisque neglectu velut gemma in centone clarius micat.

Acrosticis versibus multum capiebatur; in quo genere nihil æquè egregium, ut ait Ambrosius de Morales, omnibusque numeris absolutum elaboravit, quàm illud epitaphium, quod vivens sibimetipsi composuit; in quo ex primis singulorum versuum litteris nomen *Eugenius*; ex ultimis *Misellus* conficitur. Eccillud.

E*xcipe, Christe potens, discretam corpore mente* M,
U*t possim picei pœnam vitare baratr* .... I.
G*randis inest culpa, sed tu pietate redunda* .... S,
E*lue probra, pater, et vitæ crimina toll* .... E.
N*on sim pro meritis Sanctorum cœtibus exu* ..... L.
I*udice te, prosit sanctum vidisse tribuna* ...... L.
U*is lector uno, qui sim, dignoscere vers* .... U?
S*igna priora lege, mox ultima nosse valebi* ..... S.

Duæ tantùm, quas nos viderimus, horum Opusculorum editiones adhuc prodierunt: alia a Sirmondo Parisiis ex Officina Nivelliana anno 1619. supra memorata, alia ab Editoribus Bibliothecæ Patrum ex ipsa Sirmondiana ad verbum expressa. Nos omnium cumulatiorem exhibemus; nam præter epistolam ad san-

Digitized by Google

sanctum Braulionem Toleti datam, quam primus omnium publici iuris nuper fecit R. P. Risco Hispaniæ sacræ continuator ex antiquissimo codice Gothico S.Ecclesiæ Legionensis in appendice III. ad tom. XXX. præterque aliam epistolam ad Protasium Tarraconensem Episcopum, a nobis ex MS. S. Ecclesiæ Toletanæ transcriptam; quamplurima producimus epigrammata hactenus inedita, quæ in codice Toletano vulgò *de Azagra* sub unius Eugenii nomine reperiuntur: in quibus si non omnia, multa certè carmina S. Eugenio adscribenda sunt, quæ ab eius stylo et dicendi genere non abhorrere videntur. Hæc sunt quæ in tanti viri commendationem expiscari potuimus; quæque S. Ildephonsi elogio concludimus *lib. de Viris illustribus cap.14*.

" Item Eugenius alter post
,, Eugenium Pontifex subrogatur.
,, Hic cùm Ecclesiæ Regiæ cle-
,, ricus esset egregius, vita mo-
,, nachi delectatus est. Qui saga-
,, ci fugâ urbem Cæsaraugusta-
,, nam petens, illic Martyrum
,, sepulchris (1) inhæsit, ibique
,, studia sapientiæ, et propositum
,, Monachi decenter incoluit; un-
,, de principali violentia reductus
,, atque in Pontificatum adscitus
,, vitam plus virtutum meritis,
,, quàm viribus egit. Fuit nam-
,, que corpore tenuis, parvus ro-
,, bore, sed validè fervescens spi-
,, ritûs virtute. Studiorum bono-
,, rum vim persequens, cantus
,, pessimis usibus vitiatos melo-
,, diæ cognitione correxit, offi-
,, ciorum omissos ordines curam-
,, que discrevit. Scripsit de san-
,, cta Trinitate libellum et elo-
,, quio nitidum, et rei veritate
,, perspicuum, qui Libiæ, et
,, Orientis partibus mitti quanto-
,, ciùs poterat, nisi procellis re-
,, sultantia freta incertum pavidis
,, iter viatoribus distulissent. Scri-
,, psit et duos libellos, unum di-
,, versi carminis metro, alium di-
,, versi operis prosa concretos;
,, qui ad multorum industriam
,, eius ex hoc tenaciter sanctam
,, valuerunt commendare memo-
,, riam. Libellos quoque Dracon-
,, tii de creatione mundi conscri-
,, ptos, quos antiquitas protulerat
,, vitiatos, ea quæ inconvenien-
,, tia reperiit subtrahendo, im-
,, mutando, vel meliora conii-
,, ciendo, ita in pulchritudinis
,, formam coëgit, ut pulchriores
,, de artificio corrigentis, quàm
,, de manu processisse videantur
,, auctoris. Et quia de die septi-

(1) Sanctorum Martyrum sepulcra, quorum cultui Cæsaraugustæ sese tradidit Eugenius, ea credimus fuisse, in quibus innumerabilium Martyrum cineres conditi fuerant, quorum historia omnibus satis nota est ex actis, S. Braulioni tributis. Cùm enim tempore Diocletiani quamplurimi Christifideles illius urbis incolæ nulla ratione adduci potuissent, ut Christi fide abiectâ idola colerent, a Daciano Cæsaraugustæ Præfecto urbe omnes exulare iussi sunt. Cui decreto libentissimè pro Christo obtemperantes, ab impiis satellitibus per insidias extra urbem oppressi crudelissimèque trucidati fuere: corpora verò in rogum coniecta et igne absumpta. Eorum deinde venerandos cineres cùm christiani pia curâ colligerent, in massam albam fuere continuò coagulati, atque posteà in loco sacro religiosè depositi, quem sepulcrum sanctorum Martyrum, seu Templum S. Massæ appellarunt. Eò itaque putamus S. Eugenium devotionis causa patriâ fugientem sese recepisse.

Digitized by Google

„ mo idem Dracontius omnino „ reticendo semiplenum opus visus est reliquisse, iste et sex „ dierum recapitulationem singulis versiculis renotavit, et de „ die septimo quæ illi visa sunt „ eleganter dicta subiunxit. Clarus habitus fuit temporibus „ Chindasvinthi, et Reccesvinthi Regum, ferè duodecim „ annis tenens dignitatem simul „ et gloriam Sacerdotis; sicque post lucis mundialis occasum, in Basilica S. Leocadiæ (1) tenet habitatione sepulcrum.

(1) Animadvertere operæ pretium iudicavimus tres fuisse Toleti Basilicas sub invocatione sanctæ Leocadiæ, simulque uniuscuiusque situm describere. Earum prima omniumque antiquior sita est in suburbio in ea planitie, quam vulgò appellant *la Vega*. Et hic quidem locus est, qui multis magnisque nominibus nobis, et omnibus quàm commendatissimus esse debet, summaque religione colendus, propterea quòd multa in eo et illustriora Concilia sub Gothis Principibus celebrata fuere; Toletanum IV. præsidente in eo S. Isidoro Hispalensi: item V. VI. ac XVII. Et ut alia mittamus, quia in eodem loco iuxta sepulcrum sanctæ Leocadiæ, sanctorum Patrum, Ildephonsi, Eugenii III. Helladii, et Iuliani corpora condita sunt. Quorum omnium reliquiæ (præterquam unius Ildephonsi, quæ Zamoræ coluntur) ubinam sint, omnino nos latet. O nos beatos! Si ætate nostra Dominus indicare dignaretur, atque tanti thesauri inventione Ecclesiæ Toletanæ lacrymas abstergere, quibus tam gravem iacturam per multa iam sæcula deflet.

Altera Basilica in ædibus sita erat, in quibus constanti traditione fertur, sanctam virginem Leocadiam natam fuisse. Quo in loco Ecclesia Parochialis nunc est eius nomini consecrata.

Tertia denique ædificata fuit in ipsis ergastulis, in quibus cùm ob christianæ fidei confessionem detineretur, squalore confecta spiritum Deo reddidit. Huius carceris situs penè immutatus ad nostra tempora pervenit. Transtulit ad eum Alphonsus X. cognomento *Sapiens* Gothorum Regum Wambæ et Reccesvinthi ossa, et iuxta illum regiam Arcem sibi ædificavit, nunc ex semiusta fereque diruta in regiam domum charitatis ad pauperum levamen instauratam. Denique cùm ob redituum paucitatem Ecclesia Collegiata, quæ illius loci curam gerebat, ad summam inopiam redacta fuisset, prædictus locus ob maiorem sui venerationem Fratribus Capuccinis, prout hodie videmus, custodiendus et incolendus traditus fuit.

S.

Digitized by Google

S. EUGENII III.

EPISCOPI TOLETANI

OPUSCULORUM

PARS PRIMA.

MONITUM AD LECTOREM.

Damus heic primo loco ea S. Eugenii III. Opuscula, quæ a Iacobo Sirmondo edita sunt, nunc primùm a nobis diligenter collata ad codicem Gothicum S. Ecclesiæ Toletanæ, vulgò de Azagra*; ex quo variantes lectiones ad marginem adnotavimus, lacunas replevimus, versus aliquos, qui in Sirmondiana desiderantur, suo loco inseruimus; denique al calcem II. libri Dracontii duos et viginti continuos versus adiecimus, prout in eodem codice reperimus. Quæ quò facilius inter legendum animadverti possent, diversis caracteribus notata voluimus.*

PRÆFATIO.

Obliquum nostræ visum qui figis opellæ,
  Si mihi rite placet, quæ tibi cura manet?
Quamvis rancidulum rugata fronte susurres,
  Non pavet Eugenius, non pavet Eugenius.
Nil valet, infelix, nasutas fingere sannas,
  Atque animum cœptis tristificare bonis.
Invide iam cessa, iam cessa perfide, cessa:
  Prodest hoc animæ sat, mihi crede, tuæ.
Quòd si livor adest, et adhuc te concutit, audi:
  Nec nobis noceas, nec tibi proficias.
At tu qui nostras tranquillo pectore nugas
  Perlegis, et blandè rustica verba foves,
Sis vitâ locuples, et Christi munere dives,
  Nec metuas libris æmula flabra tuis.
Præsens incolumi transcurras tempore sæclum,
  Et faveat iugis pax tibi, paxque tuis.

Digitized by Google

Oratio ad Deum.

I.

Rex Deus, immensi quo constat machina mundi,
Quod miser Eugenius posco, tu perfice clemens.
Sit mihi recta fides, et falsis obvia sectis,
Sit mihi præcipuè morum correctio præsens.
Sim carus, verax, humilis, cum tempore prudens,
Secreti tacitus, et linguæ famine cautus.
Da fidum socium, da fixum semper amicum,
Da blandum, sobrium, parcum, castumque ministrum.
Non me pauperies cruciet, aut languor obuncet.
Sit comes alma salus, et sufficientia victus.
Absint divitiæ, fastus, et iurgia litis,
Invidia, et luxus, et ventris pensio turpis.
Crimine nec lædam quemquam, nec crimine lædar.
Sic bene velle queam, quo pravum posse recedat.
Nil turpe cupiam, faciam, vel proloquar unquam.
Te mens desideret, lingua canat, actio promat.
Da pater altitonans undosum fletibus imbrem,
Quo valeam lacrymis culparum solvere moles.
Da precor auxilium, possim quo vincere mundum,
Et vitæ stadium placido percurrere passu.
Cumque suprema dies mortis patefecerit urnam,
Concede veniam, cui tollit culpa coronam.

Commonitio mortalitatis humanæ.

II.

O mortalis homo, mortis reminiscere casus:
Nil pecude distas, si tantùm prospera captas.
Omnia quæ cernis vanarum gaudia rerum,
Umbra velut tenuis veloci fine recedunt.
Præcave non felix, ne te dum nescis, et audes,
Quassans præcipiti dissolvat turbine finis.
Porrige poscenti victum, vel contege nudum,
Et te post obitum sic talia facta beabunt.
Dilige pauperiem, mordaces effuge gazas:
Nam reddunt cupidis post carnis dulcia flammas.
Quamvis perspicuus auro gemmisque nitescas,
Pauper et exiguus ibis et nudus ad umbras.
Id solum tecum post mortis fata manebit,
Quod benè, quod rectè, quod iustè feceris ipse.

De

De mentis humanæ mutabilitate.

III.

Nescia mens nostra fixum servare tenorem;
Nolumus et volumus, non unum semper amamus.
Displicet ante placens, atque olim complacet horrens,
Nunc rectum sequimur, nunc pravum corde tenemus:
Nunc sancti castique sumus, nunc scorta fovemus:
Nunc pollent sobria, nunc marcent ebria corda.
Semper in ambiguo volvuntur pectora cursu.
Quid iam plura loquar? quot lucent sydera cœli,
Quot punctis horæ, quot currunt sæcla momentis,
Tot nostram faciem mutat sententia formis.

De bono pacis.

IV.

Qui cupis infestum semper vitare chelydrum,
  Cordis ab affectu pace repelle dolum.
Mens pace rutilat, quæ Christum pectore gestat:
  Quæ pacem spernit, hæc furibunda perit.
Pax animæ vita, pax virtus, paxque medela,
  Pax ordo rerum, pax bonitatis amor.
Pax fessis requies, pax denique certa laboris,
  Pax blanda sociat, pax bona conciliat.
Pax lites reprimit, pax gaudia tota remulcet,
  Pax pia corda regit, pax mala cuncta fugat:
Pax pia summa Deus peccatis præmia præstat,
  Iurgantes perimit pax pia summa Deus.

Contra ebrietatem.

V.

Qui cupis esse bonus, et vis dignoscere verum,
Ut mortis socium, sic mordax effuge vinum.
Nulla febris hominum maior, quàm viteus humor
Immodicè sumptus: vincit lethale venenum,
Sontior est [a] igni, viroso sontior angue.
Quantum vina nocent, non tantum vipera lædit.
Inde tremor membris, inde est oblivio mentis,
Et gressus poplite nutans, et visio fallax.
Surdescunt aures, balbutit denique lingua,

(a) igne.

Per-

Digitized by Google

Perdens eloquium, profundit semilatratum.
Dic mihi dic, ebrie, vivisne an morte gravaris?
Pallidus ecce iaces, (b) et nunc sine mente quiescis.
Ægra quies oculos lethali pondere clausit;
Non bona, non mala, non dura, non mollia sentis.
Hoc tantum distas a fati sorte sepulto,
Quòd tenuis miseros subpungit anhelitus artus.

(b) ecce sine.

Contra crapulam.

VI.

Propensè stomachum qui farcit dape ciborum,
 Viscera crassa vehit, sed macra corda gerit.
Decrescit sensu, grandescit corporis auctu,
 Carnea fit moles membra caduca ferens.
Gutturis arvina fauces angustat obesas,
 Et perdit liquidos vox malè rauca sonos.
Cuncta soporifluo marcescunt ossa tepore,
 Ambulat et stertit, nec vigilare valet.
Qui cupit ergo suam doctrinis crescere mentem,
 Castiget ventrem, tunc homo doctus erit.

De Basilica Sanctorum decem et octo Martyrum.

VII.

Incolit hoc templum sat felix turba piorum,
 Quorum promeruit sors benedicta polum.
Hîc montes sacros virtutum culmine celsos,
 Unica ter senos continet urna viros.
Fumea cœnosi liquerunt gaudia mundi,
 Proque fide Domini membra dedere neci.
Hîc etiam compar meritis Encratia martyr
 Sorte sepulcrali dissociata iacet;
Huius inexhaustum testantur sancta triumphum
 Palla cruore rubens, secta papilla fibris.
Nomina (c) sanctorum si mavis nosse virorum,
 Edicet cursim subdita summa tibi.
Sed quia cuncta simul metrum non suscipit unum,
 Accipe diversis hæc variata metris.
Quintilianus adest, (d) Eventius, atque Cassianus,
 Felix, Lupercus, Ianuariusque,
Iulius, Urbanus, Apodemius, inde Primitivus,
 Optatus, Publius, Cæcilianus.

(c) magnorum.

(d) Evotius.

Hîc

Digitized by Google

Hîc Successus inest, hîc Matutinus habetur,
Ecce Faustus, ecce Fronto, postque Martialis.
Hæc tibi turba potens concedat prospera, Lector,
Et veniam præstet hæc tibi turba potens.

De Basilica S. Vincentii in Cæsaraugusta, ubi dicitur cruor eius effluxisse.

VIII.

Macte decus proprium, Vincenti Martyr alumne,
Unica spes nobis macte decus proprium.
Purpureus niveum meruisti sanguine cælum,
Et sequeris agnum purpureus niveum.
Passio sacra tuum provexit ad æthera nomen,
Conservet populum passio sacra tuum.
Hîc iacet ille cruor, quem das pro corpore pignus,
Nare fluente tuus hîc iacet ille cruor.
Hîc tua nunc tunica quod Christi fimbria præstat,
Tactu nam salvat hîc tua nunc tunica.
Hîc veniam culpæ mereantur, vota favorem,
Gaudia summa ferat qui petit hîc veniam.

De (e) Basilica S. Æmiliani.

(e) *Baselica.*

IX.

Quem mœror, quem culpa premit, quem denique morbi
Tabida vis vexat, aut valitudo quatit,
Huc festinus agat devoto pectore (f) currum:
Anxia deponens prospera cuncta geret.
Certa salus ægris, spes et tutela misellis,
Et pater et genitrix Æmilianus adest.
Huius ad imperium dispulsus (g) pectora dæmon
Tenta diu linquit, quæ retinere nequit.
Hîc claudis gressus dantur, et lumina cæcis,
Reddit et incolumem lepra repulsa cutem.
Vita redit functis, et languor pellitur omnis,
Servit ad obsequium mox reparata salus.
Hîc sua signa Deus respectans crescere gaudet,
Gestit et athletam mirificare suum.[1]
Quisque precator ades, fidenter poscere noris,
Impos namque redit qui dubitanter adit.

(f) *Curtum.*

(g) *Corpora.*

Cum-

(1) In Codice nostro legitur pentametrum omninò diversum:
Et Dæmon cernens hic sua damna gemit.

Cumque precum murmur te propter fuderis intus,
Et gemitum toto prompseris ex animo:
Eugenium, quæso, propiùs adiunge querelis;
Sic culpis veniam promereare tuis.

In Basilica S. Felicis quæ est in Tutanesio.

X.

Ecce domus Domini quæ ducit ad atria cæli,
Cordibus [h] afflictis huc properate viri.
Gaudia pro luctu referet, lætusque redibit,
Fuderit hîc tristis qui lacrymando preces.
Quatuor in titulis constat hæc ianua templi,
[i] Sed prima Felix culmina sanctus habet.
Hîc fessis requies, hîc victus manat egenis,
Hîc sacrum monachis extat ovile piis.
Hoc opus Ætherius cara cum coniuge fecit,
Cui nomen olim [k] Teudesvinta fuit.
Quisque precator ades, horum memorare benigne,
Sic pater omnipotens sit memor ipse tui.

(h) *Afflicti.*
(i) *Et.*
(k) *Teudesvinta.*

Querimonia ægritudinis propriæ.

XI.

Væ mihi, væ misero, qui semper fessus anhelo,
Et fractus animo languida membra traho;
Morbus adest iugis, desunt fomenta salutis:
Hinc dolor ossa terit, cor pavor inde quatit.
Omnia quæ prosunt validis, sunt noxia nobis,
Dum stomachus tenuis viscera læsa gerit.
Frigida me lædunt, nec semper fervida prosunt:
Dum malè corpus habet, nec mea vita placet.
Da Christe quæso veniam, da Christe medelam,
Nam tædet animum tot mala ferre simul.

Lamentum de adventu propriæ senectutis.

XII.

Impia iam miserum me captat curva senectus,
Indè dolore novo carmina mœsta cano.
Fletibus ecce rigo rotanti vertice malas,
Et lacrymosa petunt murmura nostra polum.
Antè tamen nostris ipsa pandetur iambis,
Quàm noceat morbis intoleranda suis.

Cru-

Digitized by Google

Crudelis ætas, o senectus improba,
Quæ cuncta pulchra fauce sæva devoras,
Rictu voraci nigra pandis guttura,
Mortale germen ut noverca saucias,
Et sauciatum mortis ense perforas.
Te proximante robur omne deficit,
Salus recedit, ægritudo provenit,
Sensus hebescunt, pulchritudo deperit,
Tabescit ægrum pectus in suspiriis,
Gaudere tædet, eiulare complacet.
Tu frangis ossa, membra rugis asperas,
Comas recidis, atque canos inseris,
Dentes retundis, muculentos efficis,
Tremore fœdo corpus omne succutis,
Febres minaris, et dolores ingeris.
Per te podagra dura gignit tubera,
Anhela tussis expuit putriflua,
Cutem perurit vulnerum profusio,
Potûs cibique nulla delectatio,
Lamenta sola conferunt solatium.
Hæc tædiosa mente dum recogito,
Libet relictis omnibus quæ transeunt,
Deum timere, sempiterna quærere,
Terrena lucra deputare pulverem,
Orare semper, atque flendo dicere:
Abite pessùm vana mundi gaudia,
Opes caducæ, luculenta prædia,
Fasces, honores, blandimenta noxia.
Iam finis instat, et ruina proxima,
Iam mors cruenta nostra pulsat limina.

O mors omnivorax, ad te nunc verto querelam,
Cur miserum sequeris? cur [l] properando venis?
Tu facis ut rapido volvantur tempora cursu,
Accelerentque suos fata cruenta gradus.
Quum tu deproperas, tunc [m] vitæ gaudia cessant,
Umbra pavenda venit, lux radiata fugit.
Omnia vitali privantur viscera motu,
Clauduntur oculi, garrula lingua tacet.
Surdescunt patulæ [n] tunsis anfractibus aures,
Naribus obclusis non odor ullus adest.
Non spirat pulmo flabris vitalibus auras,
Frigida membra rigent, nec cruor ipse calet.
Tabe fluunt carnes, corrodunt omnia vermes,
Sic species hominis fit putrefacta cinis.

(l) *properata.*

(m) *Vita et gaudia.*

(n) *Tusis.*

Digitized by Google

(o) *Multaque.*
(p) *Introitum.*
(q) *Fixi.*
(r) *Hinc.*
(s) *A te.*
(t) *Eugenio misero.*

Multa pavenda quidem cecini,[o] seu multa tremenda;
Sed magè quid verear, nunc lacrymando loquar.
Iudicis altithroni iam tristis cerno tribunal,
Cuius[p] ad intuitum cuncta creata tremunt.
Substernit niveas cælorum turba coronas,
Et titubante genu proruit ante thronum.
Cernere sic ambit Dominum, sic semper amare,
Ut pulset animum mixtus amore timor.
Quid faciet ergo vermis, putredo, favilla,
Si Christi faciem corda beata pavent?
Oppressi, rapui, nudavi, crimina [q] finxi,
Pauperis ad vocem mens mea surda fuit.
Corrupi proprium lascivo vulnere corpus,
[r] Hîc miser, hinc pavidus, hinc tremulentus eo.
Nulla meas unquam venia compescuit iras,
Nec sine felle furens, nec sine cæde fui.
Inde pavet animus similes ne perferat ictus,
Aut pœna laceret quæ sine fine nocet.
Nam licèt hîc modico patrentur tempore probra,
Longa tamen animam post malè flamma cremat.
Talia dum ritè paveo, dum corde tremesco,
[s] Te te summe Deus pro pietate peto.
Te sine nemo valet peccati tollere labem,
Aut mentem vitiis emaculare suis.
Dimitte culpam misero, dimitte reatum,
Effice post lapsum post mala tanta bonum.
Parce precor animæ pulsanti, parce petenti,
Quæ flammas metuit, dum sua facta gemit.
Gaudia tu sanctis, tu reddis præmia iustis,
[t] Eugenii miseri sit rogo pœna levis.

Nosse quicumque cupis, aut requiris,
Quæ mei causa fuerit laboris,
Huius ut vitæ mala funerarem,
Disce benigne.

Dum quaterdenos simul et novenos
Vita non felix agitaret annos,
Dumque me pigra peteret senectus
Præpete cursu;

Accidit lasso gravis ægritudo,
Quæ fere mortis minitaret ictum,
Ac diu fessa cruciaret acri
Membra dolore.

Fe-

Digitized by Google

Febris incerta terebrabat ossa,
Languida [u] mortis caro defluebat,
Nulla quassatum recreabat esca,
Potio nulla.

(u) *Morbis.*

Tanta me crebrò mala dum ferirent,
Mortis horrendæ trepidus pavore,
Labilem currum fugientis ævi
Carmine [x] prompsi.

(x) *Planxi.*

Eiusdem metro Trochaico de brevitate huius vitæ.

XIII.

Criminum mole gravatus et reatu saucius,
Carmen insonare nitor luctuosis questibus.
Lacrymis ora madescunt, verberantur pectora,
Mundus ecce natus æger, et ruinam nuntiat.
Tempora grata fugantur, ingeruntur pessima.
Omnia mala propinquant, et bona prætervolant;
Eugeni miselle plora, languor instat improbus,
Vita transit, finis urget, ira pendet cælitus.
Ianuam pulsat ut intret mortis ecce nuntius.
Cur inique concupiscis falsa mundi gaudia?
Cur caduca non relinquis, curris ad perennia?
Dum petis tantilla lucra, dona perdis maxima.
Dic, miser, futurum in luctu quod tibi solatium?
Nil boni portabis illic quo recedat ultio.
Pœna te cremabit ardens, anxiabit spiritus.
Nemo te miselle credet, nemo consolabitur,
Non parentes, aut propinqui, non sodales optimi.
Cuncta te procul abibunt, quæ amasti dulciter.
Corrige crudelis actu, terge noxam fletibus.
Sit tibi pro pane luctus, lacrymæ pro gaudio.
Pande Christo probra, cordis eiulando fletibus.
O Deus! bonum perenne, semper exorabilis,
Cerne fletum profluentem de medullis intimis.
Vincla criminum resolve, pone finem lacrymis.
Nolo me, pater Averni, mancipes incendio,
Flamma quo iugis aduret membra citra terminum.
Hîc repende quod meremur, sit quies post transitum.
O genus mortale! mecum lacrymas effundite,
Pauperi præbete victum, parce Christo dicite;
Forsitan iram refrænat, donat indulgentiam.

Digitized by Google

Pacis redintegratio.

XVIII.

Gaudia præpetibus concurrunt undique votis,
Et gestit animum pax recreare meum.
Vivescunt sensus bello liteque repressi,
Et [c] redit ad primum mens lacerata modum. (c) *Venit.*
Crescit amore salus : procul o! procul este dolores,
Nam iussit refugos iam stabilire Deus.
At tu perverse Dæmon , et pestifer anguis,
Nil prodesse tibi nunc peritura dole.
Non tua præda sumus , quamvis pia pectora rixis
Punxeris ad modicum , non tua præda sumus.
Sic semper rapidis vanescas tabidus auris,
Et nos in Christo sic tueatur amor.

Heptametrum de primordio Mundi.

XIX.

Primus in orbe dies lucis primordia sumpsit,
Alter splendifluis cælum firmavit in oris,
Tertius undivagum mare dat cum germine terræ,
Quartus habet Phœbum , Lunamque , et sidera cæli.
Quintus plumigeras volucres , piscesque natantes,
Sextus quadrupedes , reptans , hominesque sagaces,
Septimus est Domino requies his ritè peractis.

Monosticha de decem plagis Ægypti.

XX.

Prima plaga Ægypti lymphas in sanguine vertit,
Altera ranarum [d] crepitum , tabemque creavit, (d) *Crepitur.*
Tertia mordaces culices de pulvere movit,
Quarta dedit muscas ictu sonituque pavendas,
Quinta quoque morte damnat animantia cuncta,
Sexta putrescenti vesicas vulnere patrat,
Septima fulmineum murmur cum grandine vibrat,
Octava frugi nocuas frondique locustas,
Nona parat piceas tactu palpante tenebras,
Ultima , quæ decima , prolis primordia truncat.

Digitized by Google

De Inventoribus Litterarum.

XXI.

Moyses primus Hebræas exaravit litteras,
Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas;
Quas Latini scriptitamus edidit Nicostrata,
Abraham Syras, et idem reperit Chaldaicas,
Isis arte non minori protulit Ægyptias,
(1) Gulfila prompsit Getarum quas videmus ultimas.

De Animantibus ambigenis.

XXII.

Hæc sunt ambigena, quæ nuptu dispare constant.
Burdonem sonipes generat commixtus asellæ,
Mulus ab Arcadicis, et equina matre creatur,
Titirus ex ovibus oritur hircoque parente,
Musmonem capra verveno semine gignit,
Apris atque sue setosus nascitur Ibris,
At lupus et catula formant coëundo Lyciscam.

Ad Iohannem.

XXIII.

O IO versiculos nexos quia despicis HANNES,
Excipe DI solers si nosti iungere VISOS.
Cerne CA pascentes dumoso in littore MELOS,
Et POR triticea verrentes germina CELLOS.
AR sitibunda petunt lympharum pocula MENTA,
Atque BU glandiferæ recubant sub tegmine BULCI,
Nunc PAS lanigeras ducunt ad pascua TORES,
EI FŒ consumunt fraudantes munera TURÆ.
PRO tibi ut nostro veniat ex carmine FECTUS,
Instar (2) Lucilii cogor disrumpere versus.

Ad

(1) Hic ipse Gulfilas, ab aliis Ulfila appellatus, est ille Gothorum Episcopus, cuius meminêre Melitus, et S. Isidorus in Chronico ad annum mundi 5576. *Fridigernus*, inquiunt, *Athalaricum Valentis Ariani Imperatoris auxilio superans, suadente eodem, in huius beneficii gratiam ex Catholico Arianus cum omni gente Gothorum effectus errorem secutus est ipsius. Tunc quoque Gulfilas Gothorum Episcopus ad instar Græcarum litterarum Gothis tunc reperit litteras, et utrumque testamentum linguam in propriam transtulit.* Totidem fere verba de eo habet S. D. in historia de Regibus Gothorum ad annum Christi 377. æra 415. Unde Gothica scriptura dicta est Ulfilana. Quòd verò Getas S. Eugenius Gotham gentem appellaverit, antiquo, et primitivo eam nomine indigitare voluit: namque, ut idem S. Isidorus ex S.Hieronymo scribit initio prædictæ historiæ, *retrò eruditio eos* (Gothos) *magis Getas, quàm Gog et Magog appellare consuevit.*

(2) Lucilium hunc, quem in præsenti carmine componendo imitatus est S. Eugenius, fuis-

Digitized by Google

Ad Eusicium Presbyterum.

XXIV.

Sanctorum meritis claro, semperque beato
  Eusicio Eugenius vilis et exiguus.
Accipe conscriptos plebeio carmine versus,
  Quos dat dilecti pagina mœsta tibi.
Cara mihi vestros advexit epistola questus,
  Et me tristifico perculit inde sono.
Oblitum te namque gemis vilescere nobis,
  Inque meo vultum corde perisse tuum.
Crede meis verbis, nam fas est credere nobis;
  Credere nempe licet, cùm dubitare nocet.
Testor namque Deum, Sanctorum nomina testor,
  Affectum vestrî non tepuisse mihi.
Antè polus Solis et Lunæ luce carebit,
  Quàm sim conspectûs immemor ipse tui.
Antè quoque nostro discedet pectore vita,
  Quàm vestræ mentis dulcis amicitia.
Volvent puncta dies, volventur mensibus anni:
  Semper in ore meo nomen amorque tuus.
En quia deprompsit affectum pagina nostrum,
  Dilige me nimium, dilige me nimium.
Obsequio cordis persolvens iura salutis,
  Hinc precor ut miseri sis memor alme tui.
Christus ubique tuis concedat prospera votis,
  Et parcat culpis Christus ubique meis.

Ad quendam familiarem.

XXV.

Sæpe tuam placidè cupio quia nosse salutem,
  Idcirco nostrum percipe lætus Ave.
Ac ne longifluo grandescat epistola tractu,
  Quod possum breviter, dulcis amice, vale.

Item

fuisse suspicamur Poetam illum vetustissimum ab Horatio, Persio aliisque sæpiùs laudatum, tanquam eum, qui inter Romanos Satyram primus conscripserit; incultè tamen, et absque ullo ornatu, quippe qui

.... in hora sæpe ducentos,
Ut magnum, versus dictabat..............
Garrulus, atque piger scribendi ferre laborem.

Ut de eo aït Horatius lib. 1. sat. 4. Fortè non diversus fuit ab eo Lucilio, de quo S. Isidorus Ethymolog. lib. 1. cap. 33. de Solœcismo, hæc scribit: *Fiunt præterea et plurimis modis* (solœcismi): *Nam Lucilius centum genera Solœcismorum dixit, quos omnes vitare potiùs, quàm sequi debet, qui regulam rectè loquendi tenère studet.*

Porrò hoc epigramma, quod animi tantùm gratiâ ab Eugenio elaboratum credimus, non tam indicat eum simili carmine delectatum fuisse, quàm eius ingenii ubertatem demonstrat, quo quantùm tentàsset, assequebatur.

Item ad eundem.

XXVI.

Immensas Domino laudes, gratesque rependi,
Quòd missa incolumem te mihi charta dedit.
Inde salutigerum devoto pectore carmen
Mittimus, et caro dicimus ore, Vale.

Item ad eundem.

XXVII.

Multa salus nobis, si sunt tibi dona salutis:
At tu sospes ave, tu sine fine vale.

Versus de tempore.

XXVIII.

Quinque trahit volvens annorum tempora Lustrum,
Quatuor ex annis numerus finitur Olympi,
Nam tribus impletis Trieterica solvere mos est.

Versus supra lectum.

XXIX.

Imperat omnipotens, procul o! procul effuge dæmon,
Ne fraude nostrum possis adire torum.
Ne somnos turbes, ne mortis vincla ministres,
Ne fallas animum sordibus ipse meum.

Versus de æstate.

XXX.

Dura quod gignit et amara cunctis,
Tempus æstivum resonare cogor,
Sapphico tristi modulante versu,
Omnia passus.
Nunc polus Phœbi nimio calore
Æstibus flagrat, fluviosque siccat,
Intonat tristis, iaculansque vibrat
Fulmina dira.
Ingruit imber inimicus arvis,
Flore nam suevit spoliare vites:
Spem quoque frugum populat nivosis
Grando lapillis.

Bu-

Digitized by Google

Bufo nunc turget, et amica sylvis
Vipera lædit, gelidusque serpens,
Scorpius ictu iugulat, paritque
    Stellio pestem.
Musca nunc sævit, piceaque blatta,
Et culex mordax, olidusque cimex,
Suetus in nocte vigilare pulex
    Corpora pungit.
Tollat hæc monstra Deus imprecanti.
Pelle languorem, tribue quietem,
Ut queam gratas placido sopore
    Carpere noctes.

De morte coniugis Chindasvindi Regis.

XXXI.

Si dare pro morte gemmas licuisset et aurum,
Nulla (1) mala poterant Regum dissolvere vitam.
Sed quia sors una cuncta mortalia quassat,
Nec pretium redimit reges, nec fletus egentes;
Hinc ego te, coniux, quia vincere fata nequivi,
Funere perfunctam sanctis commendo tuendam.
Ut cùm flamma vorax veniet comburere terras,
Cœtibus ipsorum meritò sociata resurgas.
Et nunc cara mihi iam Reciberga valeto,
Quodque paro feretrum Rex (2) Chindasvintus, amato.
(3) Annorum breviter restat edicere summam,
Qua tenuit vitam, simul et connubia nostra.
Fœdera coniugii septem ferè duxit in annos,
Undecies binis ævum cum mensibus octo.

(1) *Mibi* edidit Sirm. cui nos lectionem Toletani prætulimus longè meliorem, *nulla mala.*

(2) In codice Toletano legitur *Reccesvintus*: sed priorem lectionem retinendam putamus, quam edidit cl. Sirmondus ex MS. Bibliothecæ S. Victoris Parisiens. confirmatque vetustissima Scriptura Asturicæ existens, ut docet nos Ambrosius de Morales, in qua Chindasvintus Rex cum uxore sua Reciberga amplissimas donationes fecerunt Monasterio de Compludo in territorio Asturicensi sito, utroque eidem subscribente, Rege quidem priori loco, deinde Regina his verbis: *Ego Reciberga Regina banc seriem testamenti confirmo.* Exhibet hoc monumentum Ill. Yepes, tom. 2. Script. XIII. Non ignoramus, prædictam Scripturam a nonnemine explodi quasi spuriam ac sublestæ fidei; sed ut gratis ei concedamus post annum 646. quem præsefert, fuisse confictam, certè quòd Recibergam uxorem Chindasvinti appellat (quemadmodum et Eugenius noster in MS. Victorino supra laudato) non nisi antiquissimo innixus testimonio, vel traditione fecisse credendus est supplantator, quò suo commento fallacem veritatis vestem indueret.

(3) Aliter hic versus legitur in codice nostro Toletano:

Funge defleta. Restat et dicere summam,

Ineptè quidem, et mendosè: nisi totus hic locus cum versu præcedenti ita restituatur:

Quodque paro feretrum Rex Chindasvintus amator,
Fungere defleta. Restat &c.

Verùm totum id solius est coniecturæ.

DRACONTII[1] LIBELLI
A B. EUGENIO
IUSSU REGIS EMENDATI.

E U G E N I I[2]
EPISTOLA AD CHINDASVINTUM REGEM.

Inclyto, glorioso rerum domino Chindasvinto, Principi summo et maximo Regum, Eugenius vestrorum fidelium servulus.

Clementiæ vestræ iussis, Serenissime Princeps, plus volendo deserviens quàm valendo, Dracontii cuiusdam libellos multis [a] videns erroribus involutos, Christo Domino tribuente valorem, pro tenuitate mei sensuli subcorrexi. Hoc videlicèt moderamine custodito, quo superflua demerem, semiplena supplerem, fracta constabilirem, et [b] crebrò repetita mutarem. Versiculi sanè, quos huic operi de-

(a) *Hactenùs.*

(b) *Crebriùs.*

(1) Hic est Dracontius ille, de quo hæc scribit Labbeus in Dissertatione Historica, quam inseruit lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis Emin. Bellarmini: „ Dracontius Pre„ sbyter Hispanus, ac Christianus Poeta celebravit *Hexaemeron* seu *Opus sex dierum* „ carmine heroico, quod S. Eugenius II. (*tertium dicere debuisset: sed ignorabat sci„ licet alterum Eugenium, quem nos priorem bis duobus babemus*) Toletanus iussu Chin„ dasvindi Wesegothorum in Iberia Regis emendavit, auxitque, teste S. Ildephonso „ cap. 14. lib. de Viris illustribus. Eiusdem quoque Dracontii meminit S. Isidorus Hi„ spalensis Præsul cap. 24. ut per mihi mirum acciderit, quo tandem pacto vir eru„ ditus Gerardus Io: Vossius lib. de Poetis latinis cap. 9. inter Poetas incertæ ætatis „ numeraverit; et post Caroli Magni Romanorum Imperatoris, ad annum 800. Dra„ contium nostrum relegaverit. Vixit porrò sub Theodosio Iuniore Orientis Imperato„ re, ad quem scripsit Elegiam, quæ extat cum aliis eiusdem versibus typis excusa „ Parisiis anno 1619. in 8. cura et studio R. P. Iacobi Sirmondi S. I. Presbyteri: in „ ea autem veniam petit, si fortè in præcedente carmine incautus erraverit.

(2) Hæc Epistola Eugenii in codice nostro Toletano omni inscriptione vacat, ex qua colligi possit, cuius Regis iussu Eugenius adgressus fuerit Dracontii correctionem. Id ipsum absdubiò, cum animadverteret, cl. P. Florezium impulit, ut coniecturam tentaret, quam exponit in Eugenii vita tom. V. Hispaniæ Sacræ, mandatum illud putans a Reccesvinto profectum. Nos tamen quare indulgeamus in hac re coniecturis non videmus, cum MS. Victorinus Sirmondi in epigraphe Epistolæ nomen Chindasvinti repræsentet; et Chindasvintum religionis pietatisque gloriâ clarum, non ita a sacrorum librorum lectione alienum fuisse sciamus, quin Taionem Cæsaraugustanum tunc Presbyterum et Abbatem, postea S. Braulionis in Episcopatu successorem, Romam legatum miserit, ut varia S. Gregorii M. opuscula simul cum reliquâ librorum Moralium parte, quæ in Hispania desiderabantur, a Romano Pontifice tunc Martino I. impetraret, atque summa cura transcripta Hispaniam secum adsportaret; quod Taionem re perfecisse constat. Itaque religiosi, atque in sacris codicibus evolvendis studiosi animi laus non Reccesvinti propria, sed ipsi cum parente Chindasvinto communis quodammodo fuit.

Digitized by Google

detrahendos esse putavi, et sensu tepidi, et verbis illepidi, et nulla probantur ratione subnixi : nec in eis aliquid reperitur, quo lectoris animus animetur, aut mulceatur doctus, aut doceatur indoctus. Et quoniam de die septimo præfatus auctor omnino reticuit, semum mihi opusculum videbatur, si non inde aliquid in hoc codiculo haberetur. Idcirco in fine libelli, quamvis pedestri sermone, sex dierum recapitulationem singulis versiculis, quos olim condidi, denotavi : de die verò septimo quæ visa sunt dicenda subnexui : decretumque divale, ac si non ut volui, velut valui consummavi. Implorans vestri solii prælargissimam pietatem, ut vile servuli fidelis oblatum vestra sibi gloria efficere dignetur acceptum: fiatque mihi misero repensio fructuosa laboris, placida respectus vestri contributio gratiæ vel favoris.

PRÆFATIO.

Principis insignem faciem visure libelle,
Cuius ad imperium meruisti sorde carere,
Et capere nitidam longo post tempore pallam:
Cœperis ut limen aulæ regalis adire,
Atque auro rutilo radiantem cernere sedem,
Incipe quamprimùm largas persolvere grates,
Errorum quòd nube carens correctus haberis:
Dein prostratus humi veniam deposce precatu,
Latorisque tui solers patronus adesto.
Ignoscat placidus, ignoscat mente benignus,
Quòd te sordidulum dum conor ritè lavare,
Asperiùs impressa manus tenuando polivit.
At si de plebe quisquam livore perustus
Dixerit, et quis est veterum qui carmina mutat?
Scribit qui levibus epigrammata vana libellis?
Noverit hoc ipse, quòd nusquam culpa putatur,
Quam non velle videt, sed maior iussio cogit.
Denique iussa bona dum promulgantur agenda,
Qui complet sapiens, qui vult contemnere demens.
Quòd si Virgilius, et vatum summus Homerus
Censuram meruere novam post fata subire,
Quam dat Aristarchus, Tucca, Variusque, Probusque:
Cur dedignetur, quòd iussus Principe magno
Parvula præparvi Draconti carmina libri
Parvulus Eugenius nugarum mole piavi?

Digitized by Google

DRACONTII HEXAEMERON.

Prima dies lux est terris, mors una tenêbris,
Lux datur ante polum, lux clari causa diei,
Lux iubar æthereum, lux noctis limes et umbræ,
Lux facies rebus cunctis, et lux elementis,
Lux genitis factisque calor, lux gratia solis,
Lux decus astrorum, lux aurea cornua lunæ,
Lux fulgor cæli, lux et primordia mundi,
Lux splendor flammæ, lux magni temporis index,
Lux opus auctoris primum, candorque pudoris,
Lux honor agricolis, requies lux omnibus ægris,
Lux ævi meta, lux quæ dat tempora metis,
Qua benè constructa mundi primordia lucent.
Clarus ubique Deus, nunquam mutabilis auctor,
Quem non obscurant quacumque ex parte tenêbræ,
Nec celantur ei quæcumque obscura geruntur.
Principium factis lucem dat lucis origo,
Qua mundo vita præmissa est principe luce,
Quæ totum præcessit opus quod continet orbis,
Quæ solis prævenit iter lumenque coruscum,
Cuius iussit ope clarescere cuncta creata.
Altera quippe dies cæli convexa meretur,
Et supra cælos ingentia flumina dantur,
Ac dominatur aqua glomeratis fontibus alma,
Ignibus æthereis cælesti sede locatis.
Unda beata nimis, meruit quæ tecta polorum
Celsa favore Dei, iussu suspensa Tonantis.
Limitibus contenta suis elementa morantur,
Nec flammas restinguit aqua, glaciemve teporat
Flammeus ignis aquæ. servant sub lege tenorem
Incorrupta suum, non impugnata vicissim:
Non discreta quidem, sed nec permixta morantur.
Tertia cæruleum ponti lux edidit æquor,
Fluctibus immensis pelagi freta glauca liquescunt,
Et mare navigerum quatitur spumantibus undis:
Ipsa dies terram meruit de fluctibus auctam.
Eruitur terra vasto demersa profundo,
Et solidante globo gravior per inane pependit.
Sustentant solidam fluidis radicibus undæ,
Quam molles portant ceu fundamenta liquores.
Arida materies rapitur de corde fluenti,
Nondum mater humus: cuius pars solvit arenam,
In glebas pars membra ligat, pars saxea turget,
Cautibus extat montis apex, pars flumina mergit,

Pla-

Digitized by Google

Planitie pars tensa iacet, pars littora curvat,
Pars datur in tumulos, pars aspera rupibus horret,
Pars riget inculta, residet pars valle profundâ,
Et colles tumidi cumulis iuga celsa supinant,
Atque humiles campos spatiis æqualibus aptant,
Pars data dulcifluis undantis fontibus agri.
Promitur herba virens, it surculus omnis in auras,
Et semper vestita comis frondescit oliva.
Omnia poma virens profert, non parturit arbor,
Linguæ laurus honos solvit donanda poëtis.
Torta per obliquos it vitis in orbe corymbos,
Verberat et palmæ calamos fluitante flagello:
Vinea pampineos subarundinat ebria campos,
Munera lætitiæ spondens pendentibus uvis,
Fructibus [c] et variis redolent florentia rura. (c) Ex.
Una parens tellus non unum fundit odorem:
Sed quot sunt herbæ, tot permiscentur odores.
India tunc primùm generans pigmenta per herbas
Eduxit sub sole novo, rudibusque racemis.
  Est locus interea diffundens quatuor amnes,
Floribus ambrosiis gemmato cæspite pictus,
Plenus odoriferis numquam marcentibus herbis,
Hortus in orbe Dei cunctis felicior hortis.
Fructus inest anni, cum tempora nesciat anni.
Illic floret humus semper sub verê perenni,
Arboreis hinc inde comis vestitur amœnis.
Frondibus intextis ramorum murus opacus
Stringitur, atque omni pendent ex arbore fructus,
Et passim per prata iacent. non solis anhelis
Flammatur radiis, quatitur nec flatibus ullis,
Nec coniuratis furit illic turbo procellis.
Non glacies districta domat, non grandinis ictus
Verberat, aut gelidis canescunt prata pruinis.
Sunt ibi sed [d] placiti fructus, quos mollior aura (d) Placidi.
Edidit exurgens nitidis de fontibus horti.
Arboribus movet illa comas de flamine molli,
Frondibus impulsis immobilis umbra vagatur.
Fluctuat omne nemus, et nutant pendula poma.
Ver ibi perpetuum communes temperat auras,
Ne lædat flores, et ut omnia poma coquantur.
Non apibus labor est ceris formare cicutas;
Nectaris ætherei sudant ex arbore mella,
Et pendent foliis iam pocula blanda futura,
Pendet et optatæ vivax medicina salutis.
Cetera depingit variis natura figuris.

Au-

Digitized by Google

Auroram iam quarta dies præmiserat undis,
Et rutilante polo, compresserat astra rubore,
Mox solis radiare globum iubet igne salutis.
Flamma salutaris perfundit lumine mundum,
Cuncta salutifero rident elementa vapore.
Cuius ab igne suo lunam iubet ire secundam,
Nigra tenebrarum corrumpere tempora noctis,
Et trepidam proferre diem comitante quiete.
Candida somnigeris perlustrat cornibus axem,
Quæ numero est maiore brevis, et plena minore.
Flammeus ornatus cæli per sidera fulsit:
Officia stellis, numeros, et nomina iussit,
Tempora distribuit, loca contulit, ignibus egit,
Limitibus fixit, iubar induit, axe rotavit,
Cursibus aptavit, cæli regionibus addit:
Agminis innumeri nec flammea sidera cælum
Destituunt quocumque die, sed luce premuntur
Luminis immensi radiato vertice Phœbi.
Nec mirum si clara latent sub sole corusco
Sidera, quo mundum monstrat mensura minorem.
Qui fovet igne pio cælum, mare, sidera, terras:
Conceptum virtute Dei quem sphæra polorum
Sustinet, et sentit Dominum per cuncta tonantem,
Cuius ab imperio veniunt quæcumque ministrat:
Omnia iussus agit, totum sub lege laborat,
Miles et ipse Dei, cum lunam et sidera cuncta
Ostentat, sub verê novo, sub tempore primo,
Sub tirone die veterana in sæcla paratus.
Addit quinta dies animalia cuncta profundi.
In corpus solidantur aquæ, nervique ligantur:
Musculus humor erat, fluctus durescit in ossa,
Atque oculi gemmantur aquis humore gelato,
Et quot sunt fluctus, tot forsàn in æquore pisces.
Luserunt fluido per cærula vasta natatu,
Et crispante freto perflabant naribus undas,
Terrigenis factura cibos post cuncta creandis.
Exilit inde volans gens plumea læta per auras,
Aëra concutiens pennis crepitante volatu,
Et puto collaudant Dominum meruisse creari.
Hæ niveo candore nitent, has purpura vestit,
His croceus plumæ color est, has aureus ornat,
Albentes aliis pennæ solidantur ocellis,
Atque hyacinthus adest per colla et pectora fulgens:
Eminet his cristatus apex, has lingua decorat,
Has virides pennæ reddunt, has discolor ornat

Mul-

Multa per innumeras currens pictura volucres,
Et levibus tenuem subtexunt aëra plumis.
Ipsa dies folium ramis, et floribus herbas
Evomit, et spicis acuit seges omnis aristas.
Silva comis vestita viret, nidosque loquaces
Exhibet, et varias decantat garrula voces.
Cum vagabunda volat commotis plausibus ales,
Frondibus insidens vento cum fronde movetur,
Unguibus ad ramos infixa tenacibus hærens.
Pennigerum vernare nemus vapor urget in usus
Pignoris, et molli durescunt ova tepore.
Pennantur tunc membra globis, animantur, anhelant,
Rumpuntur, confracta sonant, nutrita volatus
Tentant, et rudibus librantur in aëra pennis.
Sed cum discordent inter se elementa coacta,
Fœtibus eductis concordant unda vel ignis:
Unda creat volucres, producit flamma volucres.
Pabula montis erant, sed non qui pasceret herbas
Adfuit : intactæ senuissent floribus herbæ,
Ni pascenda daret tellus iumenta per agros.
Sexta dies Phœbi rutilo processerat ortu,
Cùm natura parens gignit animantia terris.
Cornibus erumpunt armata fronte iuvenci,
Et per prata vagos sequitur sua (e) bucula tauros. (e) *Vaccula.*
Cervus in arva fugax palmatis cornibus errat,
Et velox prorumpit equus, pecus utile bellis.
Impia terribiles producit terra leones,
Simplicitas ovium fraudes passura luporum,
Et raucos timuit discurrens dama molossos.
Spumat aper, mortes lunato dente minatur,
Et latus obliquans meditatur prælia torvus,
Ac maxilla ferox duros (f) desævit in armos, (f) *Destituit.*
Audacter certans spumantia bella movere.
Gignitur omne genus pecudum, genus omne ferarum,
Inter prata vagum nullo custode per herbas.
Instar montis habens incedit bestia mole;
Promitur anguis hians, quatiens sub dente venenum,
Et maculosa repit squamis per viscera serpens,
Atra venena nocens missura e flatibus oris,
Et subito sparsura graves per sibila mortes,
Atque eadem membris impertitura medelas.
Sed ne cuncta simul passim (g) permixta fuissent, (g) *Per prata.*
Distribuit loca certa Deus, et tempora fixit.
Tempore non uno veniunt quæ sæva vocantur:
Non semper movet arma leo, nec scorpius ictum

Sem-

Digitized by Google

Semper habet, nec semper agit fera vipera morsus,
Nec semper tollunt ad vulnera colla cerastæ.
(h) Nec. Non semper furit unda maris, [h] non semper adurit
Solis ubique calor: pro tempore temperat ignes,
Pro regione plagæ contemperat unda vaporem,
Et modò bellantes fluctus freta pigra iacebunt.
Ipse polus, qui grande tonat, sine nube serenus
(i) Pura. Iam tacet, et [i] puro redeunt sua lumina cælo.
Multa locis data sunt variis dispersa per orbem.
Arida vipereos angues suscepit arena,
Humida sortitur tellus fera colla leonum:
India cum gemmis et eburnea monstra minatur.
Bellua divinos inter generatur odores,
Ambrosiasque sapit malè frangens bestia messes,
Incertusque color tigris per mille colores
(k) Ac. Montibus Hyrcanis venit, [k] atque effœta marito
Mittitur, ut vincat currens orbata procellas.
Cornibus erectis sortita est Africa damas,
Concava suscipiunt per montes saxa dracones.
Cetera distribuit diversis semina terris:
Plurima coniunxit, sed cæspite multa diremit.
Munera præterea funduntur divitis auri:
(l) Industrior. Protulit eximias [l] illustrior India gemmas,
Producunt niveos et littora rubra lapillos.
Flammantes viridesque tulit Babylonia crustas,
Persida nobilitat pretiosis littora gemmis,
Frigidus et roseo carbunculus ardet honore.
Seres fila trahunt nullo sub pollice ducta,
Balsama Cæsareos plorant virgulta per agros,
(m) Odoris. Et nimis ambrosium lacrymæ dant munus [m] odores:
(n) Sub Phœnice. Cinnamon interius profert [n] Phœnicia tellus,
Solis amica nimis: nam non de sole perusta
Hæc nardi flores, hæc portio fundit amomum.
Omnibus his genitis, animal rationis amicum
Formatur virtute Dei, limatur in artus.
(o) Dominanter. Ut [o] dominator eat moderatior omnibus unus
(p) Natura iussit. [p] Naturæ iussu quæ protulit omnia princeps.
Ast hominem non terra parit, non pontus ab undis,
Non cælum, non astra creant, non purior aër:
Sed dominatorum dominator summus, et auctor
Limavit per membra virum de pulvere factum.
Limus adhuc deformis erat: membratur in artus
Corporea species hominis cælestis imago:
Conspicitur nova forma viri, sine mente parumper,
Spiritus infusus subitò per membra cucurrit,

Iam

Et calefacta rubens tenuit præcordia sanguis.
Mox rubuere genæ, totos rubor inficit artus:
Iam cutis est qui pulvis erat, iam terra medullas
Ossibus includit, surgunt in messe capilli,
Orbe micant gemino gemmantia lumina visu,
Et vocem compago dedit nova machina surgens,
Auctorem laudare suum gavisa quòd esset.
  Tunc oculos per cuncta iacit: miratur amœnum
Sic florere locum, sic puros fontibus amnes
Quatuor undifluo stringentes gurgite ripas
Ire per arboreos saltus, camposque virentes.
Miratur se quid sit homo, quos factus ad usus.
Scire cupit, simplex et non habet unde requirat,
Quo merito sibimet data sit possessio [q] mundi, (q) *Mundus.*
[1] Atque æterna domus nemoris per florea rura.
Parva procul spectat virides iumenta per agros:
Hac de re tacitus [r] volvitque et corde requirit, (r) *Angit.*
Vel quare secum non sint hæc ipsa, volutat:
Nam consorte carens, cum quo conferret, egebat.
  Viderat omnipotens hæc illum corde moventem,
Et miseratus ait: demus [s] solatia facto, (s) *Adiutorio.*
Participem generis. tanquam si diceret auctor:
Non solum decet esse virum, consortia blanda
Noverit, uxor erit cuius tamen iste maritus:
Coniugium se quisque vocet, dulcedo recurrat
Cordibus innocuis, et sint sibi pignus uterque,
Velle pares, et nolle pares, stans una voluntas,
Pars animi concors, paribus decurrere votis,
Ambo sibi requies cordis, sint ambo fideles,
Et quicumque datur casus, sit causa duorum.
  Nec mora, iam venit alta quies, oculosque supinat
Somnus, et in dulcem solvuntur membra soporem:
Sed cùm iure Deus nullo prohibente valeret
Demere particulam, de quo [t] prius ipse pararat; (t) Pius.
Attamen ablata iuveni ne costa doleret,
Redderet et tristem subitò, quem lædere nollet,
Fur opifex vult esse suus. nam posset alumnam
Pulvere de simili princeps formare puellam.
Sed quò plenus amor toto de corde veniret,
Noscere in uxore voluit sua membra maritum.
Dividitur [u] contexta cutis, subducitur una (u) *Contecta.*
Sensim costa viro, sed mox reditura marito.
Nam iuvenis de parte brevi formatur adulta

F Vir-

(1) *Atque domus alterna nemus per florea rura.*

Virgo, decora, rudis, matura tumentibus annis,
Coniugii sobolisque capax, quibus apta probatur,
Et sine lacte pio crescit infantia pubes.
Excutitur somno iuvenis, videt ipse puellam
Ante oculos astare suos, pater indè maritus,
(x) *Tamen.* Non [x] tantùm ex coitu genitor, sed coniugis auctor:
Somnus erat partus, conceptus semine nullo,
Materiem sopita quies produxit amoris,
Affectusque novos blandi genuere sopores.
Constitit ante oculos nullo velamine tecta,
Corpore nuda simul niveo, ceu Nympha profundi.
Cæsaries intonsa comis, gena pulchra rubore,
Omnia pulchra gerens, oculos, os, colla, manusque:
Ut qualem possent digiti formare Tonantis,
Nescia mens illis fieri quæ causa fuisset.
(y) *Coniungit.* Tunc Deus et princeps ambos [y] coniunxit in unum,
Et remeat sua costa viro, sua membra recepit:
Accipit et fœnus, cùm non sit debitor ullus.
His datur omnis humus, et quicquid iussa creavit;
Aëris et pelagi fœtus, elementa duorum
Arbitrio commissa manent. his *Crescite* dixit
Omnipotens, replete solum de semine vestro,
Sanguinis ingeniti natos nutrite nepotes,
(z) *Copulate.* Et de prole novos iterum [z] reparate iugales.
Dumque fretum terra, dum cælo sublevat aër,
Dum solis micat axe iubar, dum luna tenêbras
Dissipat, et puro lucent mea sidera cælo,
Sumere quicquid habent pomaria nostra licebit,
Deliciæque fluent vobis, et honesta voluptas:
Arboris unius tantùm nescite saporem.
Dixerat ista Deus, sanxit natura quod inquit
Omnipotens, migrare diem, discedere solem,
Nec lucem remeare putat terrena propago,
(a) *Lunari luce tenebris.* Subductisque nigris [a] collucet luna tenêbris,
Sidera cuncta notant cælo radiare sereno.
Ast ubi purpureum surgentem ex æquore cernunt
Luciferum vibrare iubar, flammasque ciere,
Et reducem super astra diem de sole rubentem,
Mox revocata fovent hesterna in gaudia mentes,
Temporis et requiem noscentes, luce diurna
(b) *Redire.* Cœperunt sperare diem, [b] ridere tenêbras.
Tot bona facta Deus non obliviscitur unquam,
Quæ propter homines fecit, sanxitque manere.
(c) *Hic.* [c] His dominus pietatis opem subducere non vult,
(d) *Scit.* Proiicere nec plasma suum [d] vult conditor ævi,

Es-

Esse nihil prorsus se præter ubique rogandum,
Et nisi subveniat succurrens non erit ullus.
Indè malo bonus est homini Deus, omnibus auctor,
[e] Ipse opifex, dominus, rector, dux, arbiter, index, (e) Spes.
Continua bonitate pius, virtute modestus,
Simplicitate bonus, et culmine celsior omni.
Ibant per flores, et tota rosaria læti
Inter odoratas messes, lucosque virentes,
Simpliciter pecudum ritu, vel more ferarum,
Corporibus nudis, et nescia corda [f] pudoris. (f) Livoris.
Quæ pars membrorum secretior esset habenda,
Unde rudes scirent, quid moribus esset honestum?
Quod digitos oculosque putant, hoc membra pudenda.
Publica iungebant affectibus oscula passim,
Nec rubor ullus erat, cum staret origo pudoris,
Illicitumque sibi prorsus nihil esse putabant;
Et benè credebant, quibus omnia iussit ad usum,
Arboris unius fructu sub lege negato.
Vomere non tellus, non rastris iussa domari,
Quærere nec sudor fructus quocumque labore
Cogitur, aut campos aliquo de fonte rigare.
Imbriferis semper pluviis absentibus uber
Cæspes, et arbitrio crescit fœtura marito.
Præterea solis datus est locus ille duobus,
Deliciis hominum tantùm constructus opacis.
Non placidas sustentat aves, non ore cruentas,
Unguibus armatas nescit perferre volûcres:
Omne genus pecudum nescit, genus omne ferarum.
Solus ibi irrepsit squamoso corpore serpens,
Fraudibus imbutus mortis, caput omne malorum,
Pectore vipereo mellitum ex ore venenum
[g] Funereo sub dente parans spumante palato. (g) Fundere.
Ergò ubi livor edax contusum dente venenum
Invidiæ mordacis habens sub fronte modesta,
Quærit opem sceleris, per quam fallatur honestas,
Simplicitasque cadat, vel credula corda [h] reatus (h) Reatum.
Incurrant non fraude sua, sed clade perenni.
Fortia corda viri non expugnanda per anguem
Præsensit pietatis inops: sed coniugis aures
Aggreditur sub voce pia, sermone maligno
Insidiosus adit heu! mollia corda puellæ,
Ingerit ore cibos crudeli funere plenos.
His [i] simul assumptis reserantur lumina cordis,
Ac permixta bonis patuit doctrina malorum. (i) Semel.
Pœnituit nescisse dapes, et damna putantur

Digitized by Google

Temporis exacta spatia: procedere peius
Ausum quippe nefas. tentat seducta maritum,
Et capit insontem iam noxia femina victum.
Circumventa perit, sed circunscripta fefellit.
Nec circunscripta serpens impunè triumphat.
Nam postquam iuvenis violatâ mente comedit
Funereos sine lege cibos in morte futurus,
Mox sapit infelix quid pravum, quid sit honestum,
Cognita simplicitas et mox est corde fugata.
Membra pudenda putat partem quæ est prolis origo,
Et qua ventris erat pridèm digestio turpis.
Omnibus ex membris pars mundior ipsa putatur,
Noxia sola magis fuerat quæ in corpore toto.
Os [k] aditum mortis tunc protulit, atque reiecit
Lingua malisuada, sed et aures limina mortis.
Viderat omnipotens [l] omnem didicisse pudorem,
[m] Perdiderant quem fraude truci dapibusque comesis,
Errantes per prata reos, foliisque tegentes
[n] Iam fœdos artus: dant agnita membra reatum,
Inlicitum [o] licitum reputant, licitumque profectò
Creditur esse nefas. hos increpat ore tonanti
Sacrilegos, qui iura Dei calcando profanant.
Dum quærunt ullas foliis vel rupe latêbras,
Hinc magis obtunsi, quòd credunt posse latere
Tunc quodcumque Deum, cui cuncta creata patescunt.
Et meritò quia cuncta facit fecitque iubendo,
Non fugit artificem, calidos quæ massa caminos
Sustineat, rubigo [p] latens quæ viscera ferri
Conrodat, quæ missa semel fornace liquescat.
[q] Hic non defossa prodit tellure metalla,
Promittens saxis, et non de pulvere gemmas.
Scit quibus immittat mordaces fluctibus hamos,
Retibus aut pisces fallat scrutator aquarum,
Et malè venturas spondet sibi nauta procellas.
Si pluvialis hyems, aut saxeus urgeat imber,
Non latet agricolam. sub terris providus undæ
Promittit fontes designans [r] arte saporem.
Inspecta tellure semel sine flatibus ullis,
Sibila dum reticent, necdum serpente notato,
Prædicit Psyllus vim cuiuscumque veneni.
Signa videt medicus mortis, reducisque salutis,
Et negat aut spondet victurum iudice visu,
Tædia lætitiæ, vel gaudia luctibus indens.
Cur exempla damus populi præscire futura,
Cùm testante Deo doceatur nosse quod instat?

(k) *Aditus.*
(l) *Hominem.*
(m) *Perdiderat.*
(n) *Fœcundos.*
(o) *Iustum.*
(p) *Labens.*
(q) *Hinc.*
(r) *Ante.*

Na-

Natio viperea clamat, mortalibus inquit,
Signa poli nostis, prædicitis, imminet imber,
Et veniet, nec fallit hyems, nec tardat adesse.
Ecce genus hominum ventura scire probatur.
Nec mirum, Christi si sentit imago futurum,
Cum nos venturum moneant animalia multa.
Ardea, rana, sues, formicæ, corvus, hirundo
Prædicunt pluvias, nec iam præsagia fallunt,
Quid res exanimes testas ardente lucerna
Scintillare oleum fungis crescentibus ignem.
An Deus omnipotens posset nescire latêbras
Rupis, et ex foliis vestis contexta caducis
Aspectus obstare Dei? tunc voce reatum,
Crimine femineo semet peccasse fatetur:
Infelix coniux in coniuge facta redundat,
Et reus excusat, [s] sed non purgandus agebat, *(s) Excusat se, non &c.*
Et sic participem propter solatia cladis
Conscius adscivit socius: ceu femina possit
Ad scelus horrendum vel sæva piacula mortis
Supplicio sociante duos relevare reatu.
Credidit infelix: sed par sententia damnat,
Quos par culpa tenet. gradus illic temporis [t] inter *(t) Index.*
Est tantùm, nam causa ligat communis utrumque.
  Exurgit censura Dei pietate severa,
Et vitæ mortisque simul sententia fertur.
Supplicium infelix, quo mors datur, atque negatur.
Ultio vitalis cohibetur limite mortis.
Pœna mori crudelis erat, sed vivere peius.
Otia, delicias perdunt, discuntque labores,
Qui cultore Deo fructum telluris habebant,
Agricola dominus quam nondum verterat unquam:
Ipse rigator erat, sator, auctor, messor, arator.
Offendunt [u] nunc ambo pium: truduntur ab horto *(u) Tunc.*
Perpetui [x] floris, non est sub iure reorum, *(x) Flores nec sunt*
Et vitæ mors meta datur, cum fine malorum.
Magna Dei pietas, semper qui temperat iras.
Vita gravis hominum subducitur impete mortis,
Quæ recidiva magis vivaci corde resurgit.
Mors mundanorum requies est certa laborum,
Et malè viventi præstatur fine salutis.
Continuans quodcumque nocet pravumque bonumque,
Solus in æternum Deus est regnator et auctor,
Virtus una Deus, trinus Deus omnis et unus:
De quo speratum conceditur omne benignum,
Et quæcumque iubet, præsumptio nulla [y] refellit, *(y) Fefellit.*

Nec

Digitized by Google

Nec deest effectus faciendi tempore eodem.
(z) Quem penes et sensus primordia multa loquuntur,
Et voce reticente sonat super æthera sermo,
Ac mens pura Deum potius quàm lingua precatur.
Ergò operis memor ipse (a) sui, tunc imperat ambos
Sedibus egressos, placido dominentur ut orbi,
Ac totum quod mundus habet, sub iure tenerent:
Et quod floret humus, viridis quod germinat herba,
Quod spicat messis, quod ramis parturit arbor,
Quod gemmant vites, quod amœna comantia frondent
Flumina, quod mittunt fontes, quod fluctuat (b) amnis,
Quod pelagi trahit unda freti, quod littora tundunt,
Murmure quod venti flantes vaga marmora crispant,
Quod generant terræ, quod flumina, pontus, et aër,
Usibus humanis data sunt hæc cuncta venire.
Ut similis qui factus erat de pulvere Christo,
His dominaretur cunctis sub carne creatis,
Corpora corporibus servirent cuncta subacta.
Spiritus interea servit sine corpore ventus,
Ventus agit nubes, in nubila crassior aër
Cogitur: (c) hinc imbres veniunt, placidosque serenus
Ventus alit (d) fructus, et ventus spicat aristas,
Ventilat æstivo quas flatu mollior aura,
Deflorat fructus, et decutit arbore flores.
Flatibus accendit flammas, et temperat æstus;
Flatibus alternis redeunt comitantia vitæ,
Itque reditque suos repetendo spiritus haustus,
(e) Et duci vento fibræ pulmonis anhelant,
Faucibus excurrens in naribus aura vicissim
(f) Vitales recreat per membra tepentia sensus:
Atque modò gelidis, calidis nunc flatibus ora
Illustrata vigent, et tangunt flabra palatum.
Non hæc humanis tantùm spiramina membris
Sunt data, sed cunctis animantibus aura recurrit.
Spiritus ille Dei, quo corpora cuncta moventur,
Omnia complectens agitat, fovet, inserit, urget:
Unde genus diversa trahunt et semina rerum,
Mobilis immenso veniens e fonte perenni.
Artificis formata manu digesta moventur
Ordine cuncta suo, manet irrevocabile munus,
Nec tamen intereunt pereuntia lege diurna.
Quis neget undifluos procedere fontibus amnes,
Quorum iam reditus nunquam speravit origo?
Incessanter aquas licèt evomat impete pleno,
Iacturam tamen unda negat sentire fluenti.

O-

(z) *Penes quem sensum.*
(a) *Deus.*
(b) *Æquor.*
(c) *Hoc.*
(d) *Fluctus.*
(e) *Reduci.*
(f) *Vita læta animat.*

Digitized by Google

(g) Omnibus hic mos est de flammis tollere flammas,
Nec minuit (h) quicquam detractus ab ignibus ignis.
Damna aliena solent aliorum lucra parare:
(i) Hîc quæstus, non damna parant. (1) in fomite flammis
Detractis auferte iubar, succiditur ignis.
Nec carnale genus minuit fœtura creando:
Ecce dedit homini plusquam sibi rex Deus auctor,
Formatur virtute Dei mas unus et una,
Et multos creat unus homo, mansura propago
Maxima fit generis, quam parvula fundit origo.
Parva Deo fuerat succedere cura peremptis,
Ni consumpta daret post sæcla resurgere vitæ.
Sed ne sit fixum, reditus non esse sepultis
Cordibus illorum qui legis sancta profanant,
Annua conspiciunt agris frumenta renasci
Mortua per sulcos terram findentis aratri:
Maior et ex truncis surgit radicibus arbor,
Et foliis vestita viret redeuntibus annis.
(k) Pampinus uvifera vitis sarmenta revestit,
(2) Et geminata sui redeunt virgulta ruboris.
Ambrosio reduces rumpuntur cortice fructus,
Et cui vita fugax, et par cum flore senectus,
Sit rediviva virens et crinibus herba renatis.
Ligna renascuntur reduci sub germine cuncta:
Quæ nunc herba fuit, lignum iacet, herba futura.
Squammeus exuitur stellato tegmine serpens,
Pelle renascenti, rursus redeunte iuventa,
Reptat hians anguis per sibila guttura pandens.
(l) Frontibus arboreis amittunt cornua cervi,
Anguibus absumptis, sed mox palmata resurgunt.
Aëriæ nudantur aves, cùm (m) penna vetusta:
Et nova subvestit reparatas pluma volûcres.
Mortua præterea cæcorum lumina dudum
Nube tenebrarum discussa, luce recepta,
Ad visus (n) rediere suos, vultusque sepulti
Nocturnos perpessa dies oculatur imago.
Mortua pars hominis (o) quoties pars una iacebat,
Funera viva gerens, vivax in morte cadaver:
Ac sine morte tamen vitali morte perempta,
Et rediviva salus reduci per membra vapore
Nascitur, et calidus repetit vitalia sensus,

(g) *Hominibus.*

(h) *Unquam detractis ab ignibus ignes.*

(i) *In.*

(k) *Pampinis.*

(l) *Frondibus.*

(m) *Pinna vetusta est.*

(n) *Redire.*

(o) *Quotiens pars viva iacebat.*

Os-

(1) Totus hic locus variatus est in codice nostro Toletano, sed corruptus:
.... *in fomite flammas*
Detractæ cui forte iubar subducitur ignis.

(2) *Et tempta rosei redeunt virgulta ruboris.*

Digitized by Google

(p) *Gignensque.* Ossa tenens, venasque ciens, [p] sudansque medullas.
(q) *Exactam.* Phœnicis [q] exhaustam renovat Deus igne iuventam,
Combustusque senex tumulo procedit adultus,
Consumens dat membra rogus, sine sorte sepulcri.
Ignibus extinctis, iam mortua flamma resurgit,
Redditur ignis edax redivivo lumine candens,
Et scintilla volans incendia vasta reducit,
Et quod fumus erat, stridet iubar ignis anheli;
Igne vago rutilatur apex, fax cetera lambit,
Et cælum repetens erecto crine vagatur.
Mortua nox sub luce cadit, perit aurea luna,
Atque per ascensus et cornua colligit ignes,
Et dum cæca latet, reparato lumine fulget,
Mentiturque diem lux frigida solis imago.
Lucifero redeunte polo moriuntur et astra:
Nuncius auroræ subductus morte diurna
Lucifer extinctas reficit per sidera flammas:
(r) *Nocturnus.* Exhinc [r] nocturnis iubar emicat igne corusco.
Roscida puniceum spargens aurora ruborem
Ducit ubique diem periturum noctis ab umbris:
Et tamen hæc de sole perit, quo missa rubebat.
Sol oculus cæli, famulus super astra Tonantis,
Cuius ab immensis languescunt sidera flammis,
Ni gelidis animetur aquis per cærula ponti,
Occidit ipse dies super æquora sole cadente;
(s) *Æquore mersus obit, novus &c.* [s] Et quò demersus, novus æquore manè resurgit.
Vespere nocturno hunc radiata luce rubentem
Purpureis abscondit aquis, redditque diurnè
Depositum natura suum sub nocte sepultum,
(t) *Ore.* Manè resurgentem de fluctibus [t] orbe recepto.
Tot simul exemplis moniti defuncta renasci
Credamus virtute Dei, quæ cuncta creavit.
(u) *Tonanti.* Et generata vigent sub nutritore [u] Tonante,
(x) *Stillantis.* Qui cùm regna poli teneat [x] stellantis, et alti,
Aëra concludit, terram levat, æquora solvit,
Et totum capit una manus quod sermo creavit:
Unus ubique Deus, dum iussio rumperet una.
Qui tantum pius est, quantum decet omnipotentem,
Et nulla virtute minor, nisi verberis ira,
Sed votis et spontè bonus, pietate et amore.
Quem mens pura iuvat hominum, non victima supplex,
Ut se pœniteant sceleris mala vota reorum,
(y) *Succendent.* Et nova [y] succedant animorum corda piorum.
Ille etenim Deus est, quem nulla retardat origo,
(z) *Fluescunt.* Cuius ab aspectu montes et saxa [z] fluiscunt

In

Digitized by Google

In cineres, et pulvis erit, quem dura ligabant.
Qui visa tellure, simul mox pondera mundi
Concutit, et subitò monstrat vaga terra tremorem,
Ac formidatos ostendit pendula motus.
Alveus expavit [(a)] violato vertice turgens,
Dum reduces sentiret aquas, et sisteret amnem
Visa Dei facies, et marmora glauca fugaret
Gurgitis æquorei, quo mundus cingitur omnis,
Et pelago spatiante fretis ac littoris æstu.
Qui de thesauris ventorum flumina mittit,
Et frænat rabidas in tempestate procellas.
Grandinis atque nivis qui novit quæ sit origo,
Qui dat fulmineos collisis nubibus ignes,
Qui [(b)] laxas abscondit aquas, et continet imbres,
Qui scit quo nitidus crystallus ventre [(c)] creatur,
Candida materies glacies imitatur aquarum.
Qui noctes hiemis producit sole minore,
Et solis protendit iter flammantibus horis,
Qui Phœbi saltus statuit, lunæque labores,
Qui rosulis stellare nemus, vel floribus agros
Imperat autumni, qui dulcia poma saporat,
Et fragiles gemmis variat in vitibus uvas,
Ut cibus et potus sint ubera dulcia musti.
Qui dat corvorum pullis alimenta, facitque
Noverit ut vultur, qua sit regione cadaver,
Dux odor usque sagax quem mox invitat ad escam:
Præpetis aut aquilæ [(d)] senio renovare iuventam,
Quæ rostro crescente famem tolerabat obunco.
Qui pascit [(e)] quæcumque creat pietate parentis,
Vitæ certa salus per mille pericula mortis,
Debilibus virtus, opulentia maior egenis,
Auxilium miseris, spes et defensio pressis,
Fessorum virtus, dans nutrimenta salutis.
Qui facit æternam ut mortalia lege latenti
Membra tegant animam, vento spirante loquaci:
Qui lunæ crescente globo, iubet æquora crescant
Fluctibus [(f)] abiectis, crescant cum fontibus amnes,
Crescat et inclusum capite genus omne cerebri,
Et minuantur aquæ luna minuente liquores,
Ac decrescenti decrescant lege perenni.
Qui reges et regna domat, sternitque potentes,
Deiicit elatos, et mergit ab arce superbos,
Atque oppressores Deus opprimit, et pius ultor
Elevat elisos, et consolatur adactos
Luctibus et damnis, et vulnera sæva dolentes.

(a) *Violento.*

(b) *Latas.*

(c) *Creatus.*

(d) *Senium renovare iuventa.*

(e) *Quodquumque.*

(f) *Adiectis.*

G Tu

(g) Tunc. (g) Tu nobis, invicte Deus, pietate medelam
Impendis, cui cuncta salus medicamine nullo est,
Quod species terrena parat languoris ad æstus.
Spes hominum cernens, et vota precantia complens,
Aspice despectum, deiectum tolle parumper,
Confessumque iuva, quem pœnitet esse nocentem,
Ut valeam narrare tuas hoc carmine laudes,
Quas potero: nam nemo valet narrare creatus
Vel modicum facientis opus, quod mens rea clamat
Pectore contuso lacrymans, et voce fideli.
Obses sermo tuus nostro nam corde tenetur,
Quo te promittis nimia pietate parentem.

DRACONTII

LIBER SECUNDUS.

AD THEODOSIUM IUNIOREM AUGUSTUM.

Hoc sequenti libello auctoris satisfactio continetur, qua ab omnipotente Deo veniam petit, ne præcedenti carmine aliquid incautus errasset. Dein Theudosio iuniori Augusto precem defert, cur de triumphis illius eodem opere tacuisset.

Rex æterne Deus, auctor rectorque serenus,
Quem tremit omne solum, qui regis igne polum.
Sidera, flamma, dies, quem sol, nox, luna fatentur
Auctorem, dominum sæcula cuncta probant.
Omnia permutans, nullo mutabilis ævo,
(h) Noster. (h) Posthàc semper eris, qui es modò, vel fueris.
(i) Addit. Nil (i) confert demitque tibi tam longa vetustas:
Omnia tempus habent, nam tibi tempus abest.
Tu mentes hominum quàmvis per singula ducis,
Effingisque bonis candida corda viris.
(k) Iratos homines. Qui facis (k) iratus homini contraria bella,
(l) Regnent. Propitiusque iubes, ut bona cuncta (l) gerat.
Quicquid agunt homines, bona, prospera, sancta, modesta,
Te faciente fiunt, quo bona cuncta fiunt.
E contrà adversa, probrosa, maligna, inhonesta
Tu fieri pateris, qui mala nulla facis.
(m) Mose. Hæc tua lex docuit, (m) Moyse præscripta notante,
Cùm perduratum cor Pharaonis ait.
(n) Mea corda. Sic (n) me lingua, Deus, lingua patrante reatum,
Noxia culpa ligans traxit ad inlicita.

Ut

Digitized by Google

Ut qui facta Ducum possem narrare [(o)] tuorum,
Unde mihi possent dona venire simul.
Præmia despicerem [(p)] tacitis tot regibus almis,
Et peterem subitò certa pericla miser.
Quo nisi cælestis Domini [(1)] conspectus ad æthram
Aspera cuncta [(q)] premunt, prospera nulla iuvant.
Irascente Deo membra mutantur et artus,
Vertuntur sensus, vertitur et species.
Persarum regem [(r)] Babylonica regna tenentem
Post decus imperii novimus esse bovem.
Tum diademalem turparunt cornua frontem,
Mugitus pecudis verba fuere Ducis.
Erravit per prata vagus mala gramina pastus,
Et qui bos fuerat, de bove factus homo est.
Liquit et Antistes verus pater ille Ioannis,
Elinguisque fuit voce tacente silens.
Ast ego peccando regi, Dominoque Deoque,
Peior sum factus deteriorque cane.
Vulnera vexati [(s)] curat sua lingua molossi:
Heu me! quippe mihi vulnera lingua dedit.
Sed qui restituit pecudis post membra tyrannum,
Ut fieret rediens in sua regna bonus:
Quique reformavit taciti modulamina verbi,
Ut mutilata sonos lingua ligata daret;
Ipse meis parcet erratis, atque iubebit,
Ut me respiciat [(t)] restituatque pius.
Culpa quidem gravis est, venia sed digna reatus:
Quòd sine peccati crimine nemo fuit.
Nam Deus omnipotens potuit, dum conderet orbem,
Tristibus amotis optima sola dare.
Sed diversa creans et discordantia, [(u)] iussit
Et bona mixta malis, et mala mixta bonis.
Sic elementa potens contraria miscuit auctor,
Humida cum siccis, ignea cum gelidis.
Littera doctiloquax apibus cognata probatur,
[(x)] Queis datur ut habeant vulnera mella simul.
Cera dat ingenium pueris, primordia sensus:
Indè fit ut præstet littera, vel noceat.
Aspis habet [(y)] mortem, habet et medicamina serpens:
Vipera sæpe iuvat, vipera sæpe nocet.
Cerva salutaris pasto serpente medela est;
Conficiunt, [(z)] pellunt ipsa venena neces.
Materia ferri simplex et noxia constat:
Impius indè nocet, rusticus indè placet.

(o) *Meorum.*
(p) *Tactis.*
(q) *Premat.*
(r) *Babylonum.*
(s) *Curant.*
(t) *Respiciatque.*
(u) *Iungit.*
(x) *Quis.*
(y) *Mortes.*
(z) *Pelluntque.*

(1) *Conceptus ab æthra.*

Digitized by Google

Ipsa parit gemmas pretiosos terra lapillos:
Ipsa dat et vepres, spinea ligna, rosas.
Delicias mortesque parat mare fluctibus altum,
Et generat pelagi conchula divitias.
Aëra temperies auris vitalibus aptat,
(a) *Eripit, atque animas.* Quæ corrupta dies [a] corripit, atque animos.
Diras vel placidas retinet natura volûcres:
Blanda columba avis est, aspera vultur avis.
(b) *Pruinæ.* Nubibus aggestis pluviæ, nix, grando, [b] pruina
Gignuntur vicibus, ordine, lege poli.
(c) *Sultat.* [c] Solis temperie species gratissima mundi,
(d) *Parans.* (e) *Fovens.* Cuncta creanda [d] parit, cuncta creata [e] fovet.
Per quam fœtat humus flores, et messis aristas;
Sole perustus ager putris arena iacet.
Corpora sol reficit radiis, et corpora vexat:
Solibus alternis itque reditque salus.
Omnia nec mala sunt, nec sunt bona sidera cæli:
(f) *Sirius hoc docuit.* Lucifer hoc docuit, [f] sidus et hoc docuit.
Temperies cæli medium nec possidet orbem:
Nam de quinque plagis vix habet ipsa duas.
(g) *Creat.* Quod cælum, quod terra, [g] fretum, quod purior aër
(h) *Homo.* Non meruere simul, hoc [h] modo quando habet.
(i) *Molestos.* Culpa mihi fuerat dominos reticere [i] modestos,
Ignotumque mihi scribere nec dominum.
Qualis et ingratos sequitur, qui mente profana,
Cùm dominum norint, idola vana colunt.
Israëlitarum populum sic culpa tenebat,
Quando oblita Deum plebs vitulum coluit.
Et tamen indulgens veniam poscentibus auctor
Contulit, et legem post mala facta dedit.
Te precor, omnipotens, quem sat decet esse benignum,
Et quem nulla iuvat ultio, sed venia:
Cuius sancta manus sustentat corda regentum,
Et pius inclinas mox ubicumque iubes.
Coram te primùm me, carminis illius orsa
Quòd malè disposui, pœnitet en fateor.
Post te, summe Deus, regi dominoque reus sum,
Cuius ab imperio posco gemens veniam.
(k) *Armata.* Imperet [k] armato pietas tua, prospera mandet,
[1] Rex Dominusque meus semper ubique pius.
Nec mihi dissimilis, quàm quod solet omnibus esse,
Sit pietate sua, sit bonus et placidus.
Te nunc summè precor, magnorum maxime regum,
Pectore, mente rogans, voce manuque petens.

(1) *Rex Deus Omnipotens semper &c.*

Da

Da dextram misero, veniam concede fatenti,
Tempore tam longo non decet ira pium.
Nemo cadet [l] de iure tuo sub morte cruenta, (l) *Sub.*
Scit[m] se victurum qui volet esse tuus. (m) *Esse.*
Sic leo terribilis fremit horridus ore cruento,
Unguibus excussis, dente minante neces.
Acriter ardescit crispato lumine ferri,
Et mora si fuerit, acriùs indè furit.
At si venator trepidans venabula ponat,
Territus et iaceat, mox perit ira cadens.
Temnit prædo cibos, quos non facit ipse cadaver:
Ac ferus ignoscit, [n] cevatis accipiat. (n) *Ceu satis.*
Et dat prostrato veniam sine vulnere victor,
Ore verecundo deiiciens oculos.
Sic tua, regnator, non impia frangitur ira,
Cùm confessus erit crimina gesta reus.
Ignoscendo pius nobis imitare Tonantem,
Qui indulget culpis, et veniam tribuit.
Principis imperium simile est ad regna superna,
Ut canit ad populos pagina sancta Dei.
Sacrilegis referens cælestia iura catervis,
Vinctus apostolica [o] discipulaque manu. (o) *Discipulante.*
Nonne Dei præcepta iubent, ne sol cadat intrans,
Irascente alio, ne malus exstet homo?
Rex inimicorum populis mucrone pepercit
David, et sceleris certus adulter erat.
Confessus facinus veniam pro clade meretur,
Noxius impunè vel sine morte reus.
Insuper et Salomon eadem muliere creatus,
Quæ scelus admisit, munus honoris habet.
Non fuit hic Salomon casta de coniuge natus,
Sed sceleris fructus sceptra paterna tenet.
Ecce quid impendit patris clementia parcens,
Ut sibi [1] regna daret, ut daret et soboli.
Ipse inimicorum Salomon non colla poposcit,
Cum peteret Dominum, sed sapientis opem.
Extitit hîc prudens, quia noluit esse cruentus,
Pacificusque fuit, consiliique tenax.
Stephanus ante alios lapidum sub grandine martyr
[p] Hostibus orabat sponte suis veniam.
Hæc bona simplicitas præstat ieiuna cruoris, (p) *Pro hostibus.*
Vir sine morte furens nil habet ipse necis.
Cæsar ubique potens hosti post bella pepercit,
Et quod erat peius, civis et hostis erat.

(1) *Regnaret, hæc daret et soboli.*

Spon-

Digitized by Google

Sponte facultatem retinens reparavit honores,
Indè vocatus abit dignus honore [q] pater.
Cuius ab imperio surgens et origine Cæsar
Augustus meruit tempus habere pium.
Tempore namque eodem natus de virgine Christus,
Cuius et emicuit stella per astra poli.
Dux Princeps Romanus erat de Principe Titus,
Si non præstaret, dicere sæpe solens:
Perdidimus hac luce diem, si nulla dedisset
Mox exoratus præstita supplicibus.
Alter item Princeps modico sermone [r] probatur
Commodus Augustus vir pietate bonus:
Nobile præceptum, rectores, discite post me,
Sit bonus in vita qui volet esse Dei.
Ecce quid impendit homini clementia simplex,
Ut præstet vitam, conferat atque [s] animum.
Fama ducum mors est bellis collecta cruentis,
Ex quibus [1] occurrit sæpè reatus atrox.
Gloria bellorum ducibus populisque triumphus,
In commune datum dividit omnipotens.
Nam ducibus tantùm præstat clementia laudem;
Non habet hæc comitem, participemque negat.
Dicit, in arma simul fuimus cum Principe, miles,
Me pugnante comes victor ab hoste redit.
Nunquid ut ignoscat rector, pars militis instat?
Soli, qui ignoscit, gloria laudis erit.
Rex qui dat veniam subiecto, et temperat iras,
Plus quàm turba facit, qui sua corda domat.
Te Deus aspiciens effundere nolle cruorem,
Ut sine peccato, non sine laude daret;
Contulit absenti terræ pelagique triumphos:
Ansila testatur, Maurus ubique iacet.
Quòd pereunt hostes, regis fortuna vocatur:
Quòd pereunt populi, temporis ordo gerit.
Omnia tempus agit, cum tempore cuncta creantur;
Tempora sunt vitæ, tempora mortis erunt.
Sex sunt ætates hominum cuiusque senectæ,
Et distincta tenent tempora quæque sua.
Nunquid adulterii strepitus infantia simplex
Vindicat, aut fremitus pigra senecta gerit?
Non catulastra gerit puerilia, non puer audet
Adtrectare tener Martia tela manu.
Non furit in Venerem nondum pubentibus annis,
Nec fœtum partus femina reddit anus.

(q) *Puer.*
(r) *Profatur.*
(s) *Animam.*

(1) *Excurrit.*

Ma-

Digitized by Google

Maturus tractat, gemit et tremebunda senectus
  Nescia fervoris vel levitatis inops.
Nunquid nata seges homines mox armat agrestes,
  Floribus aut genitis fructus inest subitò?
Novimus astra poli confectos perdere cursus,
  Transactasque simul sic repetisse vias.
Tempore luna suo crescit, vel deficit orbe,
  Cuius ad ætatem plurima sæpe fiunt.
Nam luna crescente fretum incrementa resumit,
  Qua minuente poli est minor unda (t) *manus.*
Cinthia dum crescit, fontes et flumina crescunt,
  Et minuuntur item Cinthia dum minuit.
Ipsa medulla latens observat cornua lunæ,
  Servant et lunæ tecta cerebra globos.
Sol oculus cæli radians fuscatur ab umbra,
  Et tamen ad solitas itque reditque plagas.
Accipiunt facies crispas, lucemque resumunt
  Ordine cuncta suo sidera fixa polo.
Damna, vel augmenta rebus elementa dederunt;
  Tempus habent noctes, tempus et ipse dies.
Accipiunt augmenta dies, noctesque vicissim,
  Et minuunt cursus perpete lege poli.
Tempora sic flores retinent, sic tempora messes,
  Et cum lege redit vitis amœnus honor.

EXPLICIT DRACONTII LIBER II.

(t) Nos legeremus *maris.*

MONOSTICHA

RECAPITULATIONIS (u) *SEPTIMI DIEI,*

(u) *Septem dierum.*

A B. EUGENIO

IN FINE LIBRI DRACONTII ADIICIENDA.

Primus in orbe dies lucis primordia sumpsit.
Alter splendifluis cælum firmavit in oris.
Tertius undivagum mare dat cum germine terræ.
Quartus habet Phœbum, lunamque, et sidera cæli.
Quintus plumigeras volucres piscesque natantes.
Sextus quadrupedes, reptans, hominesque (x) fugaces.
Septimus est Domino requies, his ritè peractis.
Non quia cunctipotens humano more laboret
Actibus, aut fessus quærat requiescere tandem,
Qui semper requietus agit, faciensque quiescit:
Sed quòd sacra quies typicis adoperta figuris
Multa gerat signis, et pandat mystica nobis.

(x) *Sagaces.*

Di-

Digitized by Google

Dicta Dei requies, quòd rebus iure creandis
Ipsa modus fuerat, cunctis et maxima finis;
Nam nova quæque fiunt, iam tunc ordita probantur.
Dicta Dei requies, quòd nostra redemptio Christus
In carne veniens, et carnis vincla resolvens,
Hoc redeunte die felici morte quievit.
Dicta Dei requies, quòd nos post mille labores
Solus ubique fovens in se requiescere cogit:
Nec datur ulla quies miseris, nisi suscipit ipse.
Dicta quoque est requies, mundana quòd actio præsens
Post sex ætates, quas mundus in ordine currit,
Otia[y] percipiens æterna pace quiescit.
Dicta quoque est requies, quæ nobis ultima sors est,
Nam vitæ cursus mundanæ molis ad instar:
Sex sunt ætates [z] homini, sed septima mors est.
Prima tenet ortum generis infantia simplex,
Altera deinde [a] pueritia mollis habetur,
Tertia quæ sequitur ipsa vocitatur adulta,
Quarta gerit virtutis opem speciosa iuventa,
Quinta senecta gravis [b] ad ultima tempora vergens,
Sexta venit senium, [c] quod vitæ terminat ævum.

(y) *Præcipiens.*
(z) *Hominum.*
(a) *Loco pueritia mollis &c.*
(b) *Et in ultima.*
(c) *Quæ.*

Hæc tibi, Rex summe, iussu compulsus herili
Servulus Eugenius devotâ mente dicavit.

S.

Digitized by Google

SANCTI EUGENII III.
EPISCOPI TOLETANI
OPUSCULORUM
PARS ALTERA.

LECTORIS ADMONITIO.

Ecce tibi, Lector, reliqua S. Eugenii carmina, quæ in codice de Azagra *adhuc delitescentia, nunc primùm operâ nostra publicam lucem aspiciunt. Equidem ea cum præcedentibus in prædicto codice permixta sunt: nos verò ab illis seiuncta damus, quò faciliùs appareat, quid novi hæc nostra afferat editio. Codex prætereà multis locis corruptus a nobis sanandus fuit, quotiès in apertum librarii errorem incidimus; dubias verò interim lectiones retinuimus, contenti nostras qualescumque coniecturas aliquando ad marginem exponere. Namque omni alio MS. destituti, non habuimus quocùm hæc loca conferremus, ex variantibus lectionibus lucem aliquam, ut fieri solet, capturi. Illud deinde te monitum volumus, nos omnes hos versus quasi germanos Eugenii nostri fœtus nequaquam repræsentare, licèt in prædicto codice sub uno Eugenii nomine ordine continuo reperiamus scriptos. Illi quidem maximam partem Eugenii stylum sapiunt: attamen librarii imperitiâ nonnullos videmus cum ceteris consarcinatos, Eugenio certè non tribuendos, quos ideo velut spurios ad calcem reiecimus. Alios verò etiam illorum, quos suo loco retinuimus, ita leves, dissolutos, atque incultos videas, ut persuaderi sibi nemo possit, ab Eugenii nostri vena nec inopi, nec ita rustica profluxisse.*

ITEM ALIUD EUGENII EPITAPHIUM. (1)

I.

Mole culparum graviter onustus,
Crimine summus, vitiis abundans,
Quem bona nusquam recoles amasse,
Occubat (2) isto.

H Vi-

(1) Quicumque hæc priora epigrammata cum præcedentibus similis argumenti XII. XIV. XV. XXIX. aliisque conferre voluerit, non dubitabit, eumdem Eugenium utrorumque parentem extitisse.
(2) Fortè scripsit Eugenius *istòc*, non *isto*.

Digitized by Google

Vixit horrendo madidus tepore,
Tardus ad sanctum, celer ad malignum,
Ore, non corde monachi retentans
Religionem.
Imprecor indè tumulatus ipse,
Propter has culpas Dominum precari,
Quisque funesto relegis amarum
Carmine Threnum.

Item Tetrasticha in senectam.

II.

Nulla bona grata, quæ senilis devehit ætas,
Sed dura generat, duraque cuncta parat.
Hoc solum præstat miseram attigisse senectam,
Quòd luxum carnis iam caro fessa cavet.

Versus supra lectum.

III.

Inclyti parentis, alme Christe, pignus unicum,
Membra, quæ labore fessa nunc præpono lectulo,
Cerne mitis, et benignus, atque clementissimus;
Tolle monstra, stringe fibras, et soporem tempera,
Improba ne dum quiete prægravantur viscera,
Dæmonum fraude maligna sentiant piacula.

Item aliud.

IV.

Crucis almæ fero signum, fuge Dæmon.

Distichon Philomelaicum.

V.

Sum noctis socia, sum cantus dulcis amica,
Nomen ab ambiguo sic Philomela gero.

Item.

VI.

Insomnem Philomela trahit dum carmine noctem,
Nos dormire facit, se vigilare docet.

Digitized by Google

Item Dialogon tetrastichon.

VII.

Dic Philomela, velis cur noctem vincere cantu?
Ne noceat ovis vis inimica meis.
Dic, age, num cantu poteris depellere pestem?
Aut possim, aut nequeam, me vigilare iuvat.

Item carmen Philomelaicum.

VIII.

Vox, Philomela, tua cantus edicere cogit:
Indè tui laudem rustica lingua canit.
Vox, Philomela, tua citharas in carmine vincit,
Et superat miris musica flabra modis.
Vox, Philomela, tua curarum semina pellit,
Recreat et blandis anxia corda sonis.
Florea rura colis, herboso cæspite gaudes;
Frondibus arboreis pignera parva foves.
Cantibus ecce tuis recrepant arbusta canoris,
Consonat ipsa suis frondea silva comis.
Iudice me, cignus, et garrula cedat hirundo,
Cedat et inlustri Psittacus ore tibi.
Nulla tuos unquam cantus imitabitur ales,
Murmure namque tuo dulcia mella fluunt.
Dic ergo tremulos lingua vibrante susurros,
Et suavi liquidum gutture pange melos.
Porrige dulces sonus, attentis auribus escas;
Nollo tacere velis, nollo tacere velis.
Gloria summa tibi, laus, et benedictio, Christe,
Qui præstas servulis hæc bona grata tuis.

De ulmis, et passeribus.

IX.

En per frondisonas herbosi cæspitis ulmos
Concentu, pariles dulcè queruntur aves.
Hîc fessa gelidis tradamus corpora flabris,
Promentes verbis carmina dulcifluis.

De iurgio, quod accidit.

X.

Non sensus, Lector, quæso, non verba requiras,
Scribere nam versus impulit, ecce, dolor.

Digitized by Google

Christe fove segnis (1) torpentia carmina linguæ,
Ut possim questus ipse referre meos.
Da guttas oculis posco, da verba querelis,
Nam flere requies, gaudia pœna mihi.
Iunctus eram nimiùm dilecto mente sodali,
Cuius ob affectum carmina mœsta canunt.
Non sic Eurialum Nisus dilexit amatum,
Nectebat ut nos pax in amore Deus.
Concordes animos solvens discordia carpsit,
Et cessit duris pax tenuata dolis.
Ut turtur solus, percusso compare, plango,
Et frustra lacrymas penso perire meas.
Labor iocari, labor; succurrite fratri,
Præbete socio cum pietate manum.
Pelle, precor, penitùs pungentia iurgia, Christe,
Ut possim sacris lætus adesse tuis.

De partibus humani corporis.

XI.

Partibus (2) constat humanæ machina carnis,
Sed multipliciter quæ numerentur habes.
Portio prima caput, collus, ac brachia, truncus,
Intera, sensus iners, femora, crura, pedes.

De Phœnice ave.

XII.

Unica sum Phœnix immensi temporis ales,
Quum volo tum morior, et vitam morte resumo.

De Alcione.

XIII.

Alcion hibernum cùm ponit littore nidum,
Spumea fluctivagi frangitur unda sali.
Duc ergo celerem festinus navita puppem:
Bis septem soles æquora tuta tenent.

(1) In codice legitur *et torpentia*; sed illud *et* librarii oscitantia invexit contra omnem carminis, et sintaxeos rationem.

(2) Hoc loco desideratur aliquid ad carminis integritatem: nos legeremus: *Partibus hæc constat.*

De

Digitized by Google

De Hirundine.

XIV.

Arboreas exosa comas, et rura relinquens,
Vestræ tecta domus hospes hirundo colo.
Parce, precor, nostros dente contingere natos,
Est namque facinus, hospita membra cibum.

De Turture.

XV.

Utile conjugibus exemplum præbeo turtur:
Non repeto thalamum, nec coniux casta maritum.

De Pavone.

XVI.

Fulgida pinna facit inlustrem tegmine pavum;
Aurea pluma nitet, sed caro dura manet.

De Avibus loquacibus.

XVII.

Psittacus, et corvus, cornix, et garrula pica,
Gragulus, et sturni verba referre solent.

De Bubone.

XVIII.

Vitans plumigeras infelix bubo catervas,
Carmine fatali funera dira canit.

De Echitna pisciculo.

XIX.

Parvulus Echitnas ingentem pondere navem
Fluctibus in mediis ore tenere vales.

De Stellione.

XX.

Stellio guttatus nomen de corpore sumpsit,
Stellata maculis languida membra trahens.

Asyn-

Digitized by Google

Asyndeton de quinque sensibus.

XXI.

Auditus, visus, gustus, olfatio, tactus
Aure, oculis, ore, nare, cute corporis extant.

De temporibus anni.

XXII.

Ver gignit flores, pinguescit messibus æstas,
Autumnus uvas, bruma succidit olivas.

Distichon prognosticon.

XXIII.

Mane rubens cælum venturos nunciat imbres,
Vespere puniceum signat consurgere ventum.

Item prognosticon.

XXIV.

Cum terras nebula pressant, lux clara propinquat;
Æthera cum densant, imbribus arva rigant.

De Glacie.

XXV.

Frigore constrictæ pendent, ut vellera, limphæ,
Et stat fixa loco cursilis unda gelu.

Ænigma.

XXVI.

Quæ res progenerat, quo demum gignitur ipsa?
Unda gelu generat, gignitur unda gelu.

De Gagathe lapide.

XXVII.

Sum levis, et lenis, piceo colore gagathes;
Ardeo tinctus aqua, restinguor tinctus olivo.

De

Digitized by Google

De Magnete.

XXVIII.

Magnes ferricolor ferrum suspendere novit:
Sit præsens adamans, quod tenet ille cadit.

De Asbeston.

XXIX.

Asbeston callido si sit succensus ab igne,
Nec valet extingui, nec sua flamma perit.

De Adamante.

XXX.

Prædurus adamans ferrum non suscipit omne;
Hircino tactus sanguine mollis erit.

De Speculari.

XXXI.

Ut Phœbus specular transiens irrumpere nescit,
Sic Christum generans virgo Maria manet.

De Citri qualitate.

XXXII.

Pulchra cute, carne dulcis, et acerba medullis.

In disco argenteo.

XXXIII.

Candida conspicuum produxit massa catinum,
Quo parcè nitidus transit in ora cibus.

In vase salario.

XXXIV.

Congrua pulmentis introrsùs grana geruntur,
Concreta limphis, aut nutrita montibus.

In fibolam matronilem.

XXXV.

Officii nostri est vincire segmina morsu,
Ut tensa pulchros palla premat humeros.

Digitized by Google

In columnam parvolam.

XXXVI.

Cum sim parva nimis, ingentia pondera porto,
Nititur et fabricæ me super omnis onus.

De arula.

XXXVII.

Arula sex rebus semper candescit, asello,
Ignibus, et lignis cum forcipe, folle, batillo.

Interrogatio pro cæli qualitate.

XXXVIII.

Suspice, si rutilis refulgent æthera flammis.

Responsio pro serenitate.

Lucida lucifluis perlucent sidera signis.

Item pro nubilo.

Ignea nimbivoma compressit nubila palla.

Item, cum cælum mixtum est.

Pars cæli claret stellis, pars pallet ab umbris.

De qualitate ventorum.

XXXIX.

Circius æstivo, vulturnus frigore gratus;
Circius æstivos compescit flamine morbos.

Ad Calidam.

XL.

Vivas innumero sæculorum tramite, Rector,
Effracta nobis æmula colla premens;
Sis regno felix, et pacis munere pollens,
Sis pietatis amans, iustitiæque tenax.

Digitized by Google

(1) Ad Sabana.

XLI.

Omnibus effectis, quæ poscit cura lavacri,
Prætende membris lintea clara tuis.
(2) Et hæc candifico præniteant tegmina cultu,
Vestrum sic meritum promicet ante Deum.

Conclusio.

XLII.

Omnipotens rerum factor, regumque creator,
Accipe propitius, quæ tibi summè loquor.
Porrige victricem pro sacro Principe dextram,
Quæ præstet votis prospera bona suis.
Perferat insignes semper ex hoste triumphos,
Nec cedat ullis, te comitante, malis.
Sit blandus famulis, sit lenis censor iniquis,
Sic nobis placeat, nec tibi displiceat.
Ut multa breviter parvo sermone perorem,
Sit bona tota gerens, et mala nulla gemens.
Te donante, precor, qui regnas Trinus et Unus,
(3) Texis in æternum sæcula cuncta Deus.

De superbia et humilitate.

XLIII.

Qui petit excelsa debet vitare ruinam:
In terra recubans non timet unde ruat.

De frontis indicio.

Proverbium.

XLIV.

(4) Frons hominis mentem proprio depromit amictu:
Qualis vultus erit, talia corda gerit.

Aliud.

XLV.

Frigidus in bellis frustra præcingitur armis;
Nil valet exterius, deficit ubi propria virtus.

(1) Non a Poëta, sed ab imperito librario hæc inscriptio potuit apponi, *sabana* scribente pro *sindonem*: quod de plerisque aliis similiter iudicamus.

(2) Fortè *et* scriptum pro *ut*.

(3) Mendum hoc loco videmus in verbo *texis*, nobis absque alterius codicis auxilio insanabile.

(4) In quodam fragmento Ionæ Aurelianensis apud P. Florez in app.10. tom. 5. Hisp. Sacr. leguntur hi duo versus absque Poëtæ nomine, exametro aliquantùm immutato:
Frons hominis propriæ mentis depromit amictum.

Digitized by Google

Aliud.

XLVI.

Ille iubere nefas, ille perhibetur amare,
Qui prohibere valet, nec prohibere volet.

Aliud.

XLVII.

Coniugis et nati vitia vix nosse valemus,
Quodque domi geritur, postremi scire solemus.

Aliter.

XLVIII.

Quum coniux, natus, vel servus peccat alumnus,
Cantica vulgus habet, nos tamen ista latent.

Aliud.

XLIX.

Pane suo vivens, aliena negotia supplens,
Iste sanus æger est.

Aliud.

L.

Carduus et spina cum pastum præbet asello,
Lactuca labris compar est.

Aliud.

LI.

Ipse manus sibimet immundo stercore fœdat,
Qui canem cauda retentat.

Aliud.

LII.

Esca fies canibus, fueris si furmure mistus.

Aliud.

Detrahit adversus famam, componit amicus.

Digitized by Google

Aliud.

Si barbæ sanctum faciunt, nihil sanctius hirco.

Aliud.

Femina nuptura servorum crimina fingit.

Aliud.

At melius vivens catulà, quàm functa leæna.

Aliud.

Mendax est promissa negans, aut reddere tardans.

Aliud.

Duplex nec bello fortis, nec pace fidelis.

Distichon diversum.

LIII.

Divina bonitas, ne feriat, exerit iram,
Hîcque piè cruciat, nè perpetualiter urat.

Item aliud.

LIV.

Quisque benè loquitur, et vitâ pravus habetur,
Hunc sua verba ligant, et vox quoque propria damnat.

Item aliud.

LV.

Omnia, quæ metuunt homines, hæc ritè caventur;
Namque Deum metuens, post ipsum currit ab ipso.

Item aliud.

LVI.

Virginitas carnis intacto corpore habetur,
Virginitas animi fidei integritate tenetur.

Item monostichon.

LVII.

Recta fides sensum pandit, non credere claudit.

Digitized by Google

Item distichon.

LVIII.

Mors prima pellit animam, secunda retentat,
Ut nollens subeat meritam de corpore pœnam.

Versus in Bibliotheca.

LIX.

Regula, quos fidei commendat noscere libros,
Hos nostra præsens Bibliotheca tenet.
Quinque priora gerit veneranda volumina legis,
Hinc Iosues, optimaque hinc Ruth, Moabitica gesta;
Bisbis Regum nectuntur in ordine libri.
Atque bis octoni concurrunt indè Prophetæ;
En Iob, Psalterium, Salomon, et verba dierum.
Esdræ consequitur Esther, sapientia Iesu,
Tobi, et Iudith: concludit hæc Machabæorum;
Hic Testamenti veteris finisque, modusque.
Nunc reserare libet carmine scripta (1) novi.
Quatuor in capite sacrorum dicta librorum,
Quos Evangelia rectè dixere priores.
Hæc conscripsêre clara quos nomina produnt,
Matthæus, Marcus, Lucas, sanctusque Ioannes.
Hîc Pauli monita doctrinæ flore corruscant,
Qui bis septena concludens fine volumen,
Corda pia mulcet, et terret impia corda.
Iacobus hic nitido præpollens (2) ordine nitet.
Et Petri gemina resplendet epistola dictis.
Ac triplex legitur (3) magni doctrina Ioannis;
Parvaque, sed prudens gestatur pagina Iudæ.
Hinc et Apostolicos percurrens (4) invenies actus,
Quos sanctus meritò conscripsit nomine Lucas.
Hos sequitur plana versis, et plena figuris,
Visio Ioannis consumans omnia legis.

Hæc sunt (5) sacra Dei iuris, hæc mystica (6) Dei vivi:
Hæc servare decet, hæc temerare nocet.
His lectis animus divino munere crescit,
Inlecebras mundi vincit amore Dei.

Hinc

(1) Ita legimus pro eo quod est in codice: *scripta vi.*
(2) *Ordine* legimus pro *orreæ* nullius significationis.
(3) *Magnitudo* habet codex: ineptè.
(4) *Invenies* edimus pro *invenire.*
(5) Vel *sacrandi iuris*: utramque lectionem suscipit codex.
(6) Et hic locus corruptus est; a quo tamen emendando abstinere maluimus.

Digitized by Google

Hinc pravum rectumque parat discernere doctus,
Optima perficiens (1) et mala suasa cadens.
Hinc turgens ponit perclussa superbia fastus,
Frænatur luxus, comprimiturque dolus.
Turbida clamosos amittit rixa tumultus,
Adquiriturque fovens pacis amore quies.
Quid iam multa loquar? virtus hic proficit omnis,
Hæc perimit totum lectio sancta malum.
(2) Ecce quid omnium per nomen vis cernere corde,
Hæc meditare loquens, hæc memorare tacens.
Nunc superest fari, quo sint præscripta iubente,
Vel cuius studio in codice missa simul.
Summus et egregius congessit cuncta Ioannes,
Ritè ministerium Pontificale gerens.
(3) Cæsareæ vastæ dum Pastor præsidet urbi,
Hæc veneranda suo nomine dona dedit.
Credite iam cuncti, post mortem vivere functum,
Cuius post obitum magnificatur opus.

De Dilectione.

LX.

Impleat ut vestrum Domini dilectio pectus,
Rex ipsum Dominum iugiter rogitare memento.
Diligit ille prior tribuens præcepta suorum
Maximè natorum, cupiunt qui currere callem,
Quem cæli rectam regnator et ipse cucurrit,
Semper amans natos, ut semper ametur ab ipsis.

De Timore.

LXI.

Ut timeas Dominum legis præcepta sequutus,
Maximè (4) daniticos debes percurrere campos,
In quibus æterno latices de fonte manantes
Invenies tibimet vitalia pocula dantes.

Quæ

(1) Nos libenter legeremus: *et malè suasa cavens*: quod non improbabunt docti.
(2) Totus hic versus indiget correctione, quam frustra tentabit, qui alíud exemplar, quocum hæc conferat, non habuerit.
(3) Non dubitamus, quin legendum sit *augustæ* pro *vastæ*, quod librario excidit: quæ lectio cum carminis mensura æquè consonat, ac cum communi urbis illius appellatione: nos enim aliam Cæsaream, quæ *vasta* dicta sit non reperimus. Itaque non longè a vero aberrabimus, si dixerimus, fuisse hosce versus ab Eugenio elaboratos, dum Cæsaraugustæ privatus commoraretur; illumque Ioannem, cuius munificentiam ac liberalitatem commendare voluit, fuisse S. Braulionis fratrem, cui Braulio in Episcopatu Cæsaraugustano successit.
(4) Nos legeremus *dominicos*, vel quid simile.

Digitized by Google

Quæ segetem magna foveant dulcedine cordis,
Hîc et in æternum florentia regna ministrent.

De observandis mandatis Domini.

LXII.

Quisquis amat Dominum, debet sermonibus eius
Cernuus in cunctis iugiter parere libenter.
Verba sonant Domini: Si quis me diligit, inquit,
Nostra suis curet discribere munia fibris.
Servus enim factis utillimus esse probatur,
Si cupit exequier factis, quod auribus hauxit.

De Sapientia.

LXIII.

Ut valeas vero Regi coniugier uno,
Regia sit semper regnans sapientia tecum,
Quæ tibi consilium valeat conferre beatum,
Amplificet regnum, tribuat sine fine coronam.
Tegmine purpureo temet circundet, et ornet,
Hîc et in æternum felicia gaudia præstet.

De Prudentia.

LXIV.

Temperet interea virtus prudentia Regem
Actibus in cunctis, et sanctis moribus ornet;
Componat mores, sermones ordinet omnes,
Componat linguam, sensûsque ministret acumen.
Exornet habitum, gressum componat honestum,
Ipsa Dei virtus tibimet concedat utrumque.

De Simplicitate.

LXV.

Simplicitas animæ virtutum semina nutrit,
Simplicitas Regum mores componit, et ornat,
Sermones nitidos puro de corde ministrat,
Odia non retinet, laudes nec captat inanes,
Nec cupit absentum fratrum derodere vitam,
Aufert et inluvies hominis de pectore totas.

De

Digitized by Google

De Patientia.

LXVI.

Vir patiens patriam poterit conscendere celsam,
Si hîc nitidam primùm teneat sine crimine vitam;
Torporem patiens debet calcare nugacem,
Nè pereat tardus, nè quo sub pondere pressus:
Ingenium debet serpentis habere columba,
Callidus et prudens debet nitescere serpens.

De Iudicio.

LXVII.

Dilige iudicium, si vis conscendere cælum,
Taliter et vestris censoribus ipse minator:
Discite, si cupitis nostrum conquirere munus,
Iudicii callem recto percurrere gressu.
Ipse tamen sacras debes perquirere leges,
Ex quibus auxilium valeas conferre subactis.

De Iustitia.

LXVIII.

Iustitiâ totum cura disponere regnum,
Quod tibi Rex regum commissit iure regendum.
Iudicibus iustè manda disponere cuncta.
Vivere cuncti-potens sanxit legaliter omnes,
Nam digitus Domini legum censura lapillo
Scripsit, et in chartis iussit discribere vestris.

De Misericordia.

LXIX.

Omnia prævideat solers industria Regis,
Magna ferat magnis, et præstet parva pusillis:
Non cesses miseros a famis clade levare,
Si cupis in cælo fructum mercedis habere.
Ille poli poterit regnum conscendere celsum,
Noverit hîc miseris qui plenam tradere dextram.

De Decimis dandis.

LXX.

Da decimas Domino, tibimet qui plura subegit
Regna, tibi populos iussit servire potentes.

Au-

Digitized by Google

Aurea vasa, [1] ut petit diversa metalla paravit,
Imposuit gemmis ornatam vertice mitram,
Siricio lembo roseo conclusit et ostro,
Ornavit habitum regalis purpura totum.

De Thesauro in cælo conlocando.

LXXI.

Felix qui poterit thesaurum condere cælo,
Clamculò quem rapiens nequeat disrumpere latro,
Tinea nec maculans valeat conrodere mordax.
Est tibi prædives nimiùm thesaurus et ingens,
Angelicus panis, potusque et vita perennis,
Sufficiens cunctis per grandia sæcula iustis.
Aurea regna tenet supero thesaurus in ævo,
Illic angelica præfulgida vestis habetur,
Incorrupta manens semper sine fine beatis.
Illic gemma nitet, pendentia pallia lucent,
Annulus, armillæ, torquex, dextralia, mitra,
Aurea cuncta micant, lucentia cuncta corruscant.

De defendendo pupillos et viduas.

LXXII.

Fortis ad auxilium regalia brachia tende,
Et viduas, miseros pariter defende pupillos:
Sis clypeus iustis, et turris, et arcus, et arma,
Ne valeant actus pravi defendere pravos.
Eripiat cunctos præclara potentia Regis,
Qui iacuere diu pravo sub pondere pressi.

De Avaritia.

LXXIII.

Pestis avaritiæ ne regia pectora tangat,
Munificans cunctis, dilargus et omnibus esto:
Parva dabis parvis, et magnis magna parabis.
Inferat auxilium regalis dextera cunctis,
Omnia discreta Regis industria servet,
Munere iucundos faciens per regna ministros.

(1) *Ut petit* nihil sonat, sed nec coniectura probabilis occurrit exponenda.

De

Digitized by Google

De Pace.

LXXIV.

Pax tecum maneat, Rex pacem semper amato:
Pax Regnum solidat, Regni pax cornua firmat;
Pax animam nutrit, retinet concordia pacem;
Pax reprimit litem, concordes nectit et idem.
Lis pacem metuit, refugit discordia pacem,
Odia pax pellit, castum pax nutrit amorem.

De zelo bono.

LXXV.

Zelus ut in numerum virtutum transeat, ante
Ferveat ignifero fratris succensus amore.
Pacis amator homo debet zelare propinquos,
Qui moneat fratres germano fœdere iunctos.
Arguat et reprobos frontosa voce superbos,
Pacis et amplexus pariter convertat [1]adulteros.

De Clementia.

LXXVI.

Luceat in vestro semper clementia vultu
Lætificans vestros per cuncta palatia servos.
Imbres lætitiæ Regis clementia fundat,
Dulciter ut populus valeat lætarier omnis;
Viderit ut vultum Regis lucere serenum
Clariùs argento fulgentem, et puriùs auro.

De Consilio.

LXXVII.

Accipe consilium multis de cordibus unum,
Quod tibi disponens faciat discretio gratum.
Utile consilium Regis confirmat honorem,
Totius et regni fines defendit ab hoste.
Alto consilio debes disponere regnum
Rex tibi commissum, regnum per compita totum.

(1) *Adulteros* ferri non potest; sed sive legamus *adultos*, nullus sensus elici valet.

Digitized by Google

De Præsidio Domini.

LXXVIII.

Præsidio Domini firmantur brachia Regis,
Eius et in manibus victrix servabitur hasta.
Præsidio Domini regnum defenditur omne,
Crescit et eximium pollens virtutibus [1] annet.
Præsidium Domini custodit denique Regem,
A pravis semper defendit et hostibus illum.

De Oratione.

LXXIX.

Oremus pariter toto [2] corde rogantes,
Ut tibi præsidio cælestia porrigat arma
Arbiter omnipotens, ut possis fortiter hostes
Debacchare tuos [3] foro de cuspide fossos,
Et valeas regum multorum frangere colla,
Qui Dominum verum nollunt cognoscere Christum,
Qui Deus est unus verè cum Patre colendus,
Quem superus totus cognoscit, et infimus ordo,
Quem chorus Angelicus conlaudans semper adorat,
Et Genitum Patris totum diffusa per orbem
Ecclesia Christum cognoscit et omnipotentem.
Qui mare, tellurem, cælum, qui cuncta creavit,
Quæ mundus totus per totum continet iste.
Qui posuit celso lucentia sidera cælo,
Et roseis totum coloravit floribus orbem,
Sideribus variis superum depinxit Olympum,
Muneribus sacris mundum ditavit et imum;
Qui concessit aquis geminos producere fructus,
Et diversa locis diversa ponere sanxit;
Scilicet altilium sursum, laticumque deorsum,
Ut plebs pinnibula cæli concrescat in auris,
Et squamosalosum fluidis concrescat in undis.
Illa poli volitans siccas transverberet auras:
Ista maris bibulas natans transcurrit arenas.
Cuius ad imperium rutilans adlampadat ignis,
Et tremulas mittunt timidas tonitrua voces.
Nebula discurrens properat dispergere nimbos,
Grandinis ut fractos iaculet de ventre lapillos.

Ar-

(1) Mendum absurdissimum in verbo *annet*: sed nulla melioris lectionis coniectura occurrit, nisi effingatur; ut si legeremus *auget*, vel quid simile.
(2) Heic syllaba una desideratur: fortè scripsit Eugenius *toto de corde*.
(3) Nos lubentes legeremus *forti* vel *ferri* pro *foro*.

Arcus in excelso servato fœdere durat,
Ne Cataclysmus aquæ terrarum germina perdat.
Tendit et igniferos mundi per compita crines
Sol nimium rutilus, pulcherrimus, atque corruscus,
Impleat ut totum proprio de lumine mundum.
Plura quid enumerem Christo parêre potenti?
Omnia festinant quæ nunc per sæcula durant.

De Sacerdotibus.

LXXX.

Tu decus Ecclesiæ, virtus et gloria regni,
Semper ama Dominum, te quia semper amat.
Præcipe præcipuè primùm conservet et ornet
Iura Sacerdotii Pontificalis honor.

De Pontificibus.

LXXXI.

Ipse prior nitidam ducat sine crimine vitam,
Ut sit commissi splendida forma gregis.
Formoso et nitido perfuso semper olivo,
Culmen apostolicum debet habere caput.
Ambrosium populis Præsul conflagret odorem,
Eius ut exemplo concio salva fiat.
Tu decus egregium, virtus et gloria regni,
Semper ama Dominum, te quia semper amat.

De Presbyteris.

LXXXII.

Dicito Presbyteris, vestram fuscare serenam
Non debet hæresis simoniaca fidem.
Tollitur æternum terreno munere munus,
Et maculat parva sportula multa bona.
Deditus esse Dei servus non debet usuris
Terrenis, cuius est super astra locus.
Nec vitio Clerus debet succumbere, sacra
Assiduè cuius infula colla premit.
Tu decus Ecclesiæ, virtus et gloria regni,
Semper ama Dominum, te quia semper amat.

Digitized by Google

De admonendo Monachos.

LXXXIII.

Admoneat Monachos dulcis vox regia cunctos,
Ut rebus careant, regna superna petant.
Non hos vanarum turbet possessio rerum,
Est quibus in cælo vita parata throno.
Exemplo Eliæ populi consortia vitent,
Et Pauli, Antonii, atque Ioannis ament.
Propria dimittant, habeant ut propria cuncta,
Vir nihil extraneum pacis amator habet.
Tu decus egregium, virtus et gloria regni,
Semper ama Dominum, te quia semper amat.

De Iudicibus.

LXXXIV.

Iudicibus iubeat vestra præclara potestas,
Ritè regant populum semper ubique tuum.
Non hos decipiat auri decoctio pura,
Noxius argenti nec malè captet amor.
Censoribus populi obediant, ut postulat ordo:
Sic pax obtineat omnia regna tua.
Et tibi sit laus, virtus, et gloria Christe,
Hic et in æternum sit tibi semper honor.

Epitaphium Chindasvinto Regi conscriptum.

LXXXV.

Plangite me cuncti, quos terræ continet orbis,
Sic vestra propriis probra laventur aquis.
Sic Christus vobis dimittat debita clemens,
Sic pateat summi fulgida porta poli.
Promite funereum contrito pectore fletum,
Et faciat luctum conlacrymando pium.
Suspirate Deo, gemitum producite mœstum,
Ac pro me misero dicite, Parce, precor.
Chindasvintus ego noxarum semper amicus,
Patrator scelerum Chindasvintus ego.
Impius, obscœnus, probrosus, turpis, iniquus,
Optima nulla volens, pessima cuncta valens.
Quidquid agit qui prava cupit, qui noxia quærit,
Omnia commisi, peius et inde fui.
Nulla fuit culpa, quam non committere vellem,
Maximus in vitiis et prior ipse fui.

En

Digitized by Google

En cinis hîc redii sceptra qui regia gessi;
Purpura quem exuit, iam modo terra premit.
Non mihi nunc prosunt biblatea tegmina regni,
Non gemmæ virides, non diadema nitens.
Non iuvat argentum, non fulgens adiuvat aurum,
Aulica fulcra nocent, nec mihi gaza placet.
Omnis enim luteæ deceptrix gloria vitæ,
Et flatus abiit, mox liquefacta perit.
Felix ille nimis, et Christi munere felix,
Qui terræ flagiles semper abhorret opes.

(1) Nicolao Avo.

LXXXVI.

Quisquis Romulidum fasces, clarumque Senatum
Concelebrare cupis, quod venereris, habes.
Si tibi bella placent, aut te prudentia mulcet,
Perfer ad hunc tumulum funeris obsequium.
Nicolaus ille, perpes quem fama loquetur,
Cuique alium similem sæcula nulla ferent;
Postquam magnificos gessit ex hoste triumphos,
Dura sorte necis hîc tumulatus inest.
O felix vita! o mortis sententia dira!
Sic vixisse placet, sic abiisse dolet.

Item.

LXXXVII.

Ecce patet aditus, et sacri ianua Templi,
Reddite vota Deo, ecce patet aditus.
Hanc in honore Dei supplex Evantius aulam
Sacram fabricans hanc in honore Dei;
Hîc patrios cineres præciso marmore clausit,
Servet ut omnipotens hîc patrios cineres.
Nicolaë genitor, pro te devotio summa est,
Hîc tibi fructus erit, Nicolaë genitor.
Iure mea tua sunt, quo non serente, nec essem,
Sed qui sum fateor, iure mea tua sunt.

(1) Scilicet Domni Evantii parenti, eidem, quem filii nomine celebravit versibus acrosticis tamquam virum et consilio abundantem, et manu fortissimum:
Ingens consiliis et dextræ belliger actu.
V. Epigram. XVII. primæ partis.

Item

Item ibi.

LXXXVIII.

Sparge rosas lector, et lilia candida pone,
Et ritè sacrum sic venerare locum.
Hîc dilecta Deo recubans Basilla quiescit,
Clara parentatu, clarior et merito.
Virtutum gemmis, et morum flore venusta:
Hanc imitare velis, si bonus esse cupis.

Fragmentum Epitaphii.

LXXXIX.

.... lacrymas, subduc suspiria, lector,
Non iacet in tumulo res lacrymanda ....
Hîc raptus recubat felici sorte sacerdos,
Quem lætum cælis intulit alma fides.
Nomine Baptistam referens et mente Ioannem,
Doctrina pollens, virginitate nitens.
Corde pius, vultu placidus, et mente benignus,
Prudenter simplex, simpliciter sapiens.
Omnibus in studiis tantum celebratus habetur,
Cedat ut ingenio Græcia docta suo.

EXPLICIT PARS ALTERA.

Adiicimus hæc duo sequentia epigrammata, quæ tamquam certò apocripha et spuria, ac proinde indigna, quæ cæteris adnumerarentur, hîc nos ad calcem exhibituros supra promisimus, propterea quòd in codice Azagrensi inter medios Eugenii versus reperta sunt.

I.

In lecto Regis.

Regius hic lectus auro rutilante corruscans
Vertice tantumdem vibrantia fulcra gerebat;
Nam pars magna sui fusca, mutilaque manebat,
Multa quoque raptim minuit audacia furax.
Sed cuncta reparans Rex [1] Wamba reformas,
Quæ lætus habeas, et longo tempore cernas.

II.

(1) Ne quis fortè putet, hæc epigrammata temerè a nobis reiici, atque inter apocrypha amandari, animum paululum intendat lector, videatque, num S. Eugenius, qui diem extremum clausit anno 657. alloqui vivus potuerit Regem Wambam, (ut in epigrammate) quem non nisi post sexdecim annos, nempe 672. quo mortuus est Reccesvinthus, regni imperium obtinuisse constat.

Digitized by Google

II.

Versi in Ecclesia S. Ioannis.

Præcursor Domini martyr Baptista Ioannes,
Posside constructam in æterno marmore sedem,
Quam devotus ego Rex [1] Reccesvinthus amator
Nominis ipse tui proprio de iure dicavi,
Tertii post decimum regni comes inclytus anno,
Sexcentum decies æra nonagesima nona.

Fragmentum Hymni in laudem S. Dionysii Areopagitæ S. Eugenio III. ab aliquibus adscripti.[2]

Cæli cives applaudite
Mundi iucundo lumini,
Quo illustratur cælitus
Huius diei gratia, &c.
Areopago Athenæ
Regis sumpsit diadema
Cælestis gemmam fulgidam,
Dionysium Sophistam, &c.
Clemente Romæ Præsule
Iubente, venit Galliam, &c.

(1) Neque verosimiliùs hi versus Eugenio nostro attribui possunt, ut cuilibet epigramma attentè legenti notum erit. Dicavit Reccesvinthus Rex prædictam Ecclesiam S. Ioanni Baptistæ anno decimotertio, postquam unà cum patre Chindasvintho regni habenas acceperat anno 649. Contigit ergo Templi huius dicatio secundum hanc supputationem, quæ a diligentioribus historicis, et criticis verior habetur, anno 661. seu ut in ultimo versu huius epigrammatis legitur, æra 699. quod in idem recidit. (Namque illud *decies* in medio versu omnino impertinens, ac nullius sensus est, fortè a Poeta ob carminis integritatem iniectum) Eugenius autem iam quatuor fere ante annos obierat, nempe anno 657. Quî ergo fieri potuit, ut hoc carmen vivens scripserit?

(2) Hocce fragmentum ex Natali Alexandro collegimus, qui in dissert. XVI. sæculi I. illud producit in confirmationem suæ sententiæ de commentitia Dionysiorum distinctione Atheniensis, et Parisiensis. Desumpsit Natalis ex Menardo, quem ait hunc Hymnum S.Eugenio Toletano vindicasse. Quibus momentis permotus id fecerit, omnino ignoramus; neque enim Natalis illa recenset, nec nobis adhuc Menardi Dissertationem de unico Dionysio adversus Launoii discussionem Parisiis editam anno 1643. videre licuit, multa licèt opera ac labore quæsitam. Tantùm ea legimus, quæ Franciscus Pagius opponit in sua Dissert. Historico-Critica de S. Dionys. Paris. Episcopo, ut prædictum Hymnum Eugenio Toletano abiudicet. Neque enim, ait, Hilduinus qui primus hymnum laudat, eius verba refert, nec significat cuius Eugenii sit: præterea observat Hilduinum dubitanter de eo esse loquutum; deinde valde mirandum esse ait, quòd Hilduinus Gregorii Turonensis auctoritati Fortunati Pictaviensis testimonium opposuisset, qui tantùm asserit Dionysium Parisiensem in Gallias a S. Clemente fuisse destinatum, Eugenii verò antiquioris testimonium prætermisisset, si in hymno ab ipso laudato Dionysius Parisiensis expressè Areopagita fuisset nuncupatus, ut in Hymno a Menardo producto legitur. Adiicit etiam in editione Iacobi Sirmondi Opusculorum S. Eugenii III. Toletani huiusmodi hymnum desiderari. Quibus omnibus a nobis adiungi posset, in Codice *de Azagra* ex quo multò plura, quàm Sirmondus, edimus epigrammata, nec volam nec vestigium illius reperiri. Ut ut res sit, cum Menardi momenta non viderimus, a iudicio ferendo abstinere malumus.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA
S. EUGENII III. PRIMATIS TOLETANI AD BRAULIONEM.

Suggerendum Domino meo, et verè proprio Domino Braulioni Episcopo Eugenius servulus vester.

1. Duæ res obortæ sunt in Ecclesia mea, unde nimium contabescit anima mea, et quid remedii adhibeam, nisi consilium vestrum præbuerit, penitus scientia nostra non habet. De quodam fratre reperimus, qui non accepto Presbyterii gradu Presbyteri peragit officium, et ut causam certius agnoscatis, omnia singulariter innotesco. Fuit idem ipse frater molestissimus Domino meo Eugenio. Rogatus a Rege, ut eum Presbyterum ordinaret, quia iussioni Principis resistere non prævaluit, hoc genus factionis invenit. Duxit eum ad altarium, manum non imposuit, et cantantibus Clericis in excelso pro benedictione maledictionem effudit, sicut ipse hoc personis idoneis et sibi charissimis postmodum publicavit, coniurans, ut hoc quandiu viveret, reticerent. Quid inde fieri præcipit vestra prudentia, cita me iussione certifica; nam nescio, aut si iste Presbyter habeatur, aut si illi, qui per eum baptizati chrismate prænotati sunt, rectè christicolæ vocitentur.

2. Solve mihi hanc, de qua satis ambigo, quæstionem: ita solvat Christus culpæ vestræ, si tamen est aliqua, nexionem. In aliquibus itidem locis Diaconos chrismare persensimus, et ignoro quid de his, qui ab eisdem chrismati sunt, facere debeamus: numquidnam iterabitur sancti chrismatis unctio? aut si non iterabitur, aut pro chrismate reputabitur, quod forsitan aut præsumptio compulit, aut nescientia perpetravit. Quid in hoc servare me deceat, suggero ut vestra mihi pietas innotescat.

3. Duabus præmissis occurrit et tertia. Presbyteri aliqui contra ius, et vetitum canonum de chrismate, quod sibi ipsi conficiunt (si tamen chrisma istud est nominandum) baptizatos signare præsumunt. Quid aut taliter signatis remedii, aut his possit pro correctione præberi, me fateor ignorare; sed a te de his illuminari me postulo, qui divinæ sapientiæ maiori lumine pollens et legis sanctæ quotidie meditationi deserviens, latebrosas nigrorum cordium factiones et vehementer insequeris, et prudenter invenis, et acutè dissolvis. In nobis autem etsi fuit aliquantula scientiolæ modiculæ venula, ingruentibus ægritudinibus, et curarum multifidis tempestatibus ita penitus exsiccata defecit, ut nec tantillo sudore distillet. Inde per eum te precor, cuius dono beatus, cuius instructione peritus esse probaris et doctus, ut me de his causis celerrimè sacra tui oris iussione certifices.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA BRAULIONIS

AD EUGENIUM PRIMATEM TOLETANUM.

Domino singulariter meo Eugenio Primati Episcoporum Braulio servus inutilis sanctorum Dei.

1. *Si immensa curarum genera non me circumvallarent, si procellis suis mundi nequitia non obvolveret, si denique oblatrantium invidorum erga me strepitus sileret, nec solitudo, in qua meritò destitutus obveni, terreret, nec sic quoque interrogationibus vestris inauditis mihi et inexpertis facile, ut iubes, responsum redderem, cum et res incognita animum turbet, nec ante prævisa et diu meditata facile responsum habeant. Sentio tamen acuminis tui prudentiam illud velle in me experiri, quod mihi nequeat impedire, et peritiam, quæ deest aliis, ostendere. Velle tuum bonum præsentio, sed posse meum non ignoro. Quid enim in nobis aut quantulum est, quod doctæ vocis præconio ita attollis, ut segnem et pene iam senem oblitum sui attingere celsa cogaris, et veteranum iam atque utinam non inveteratum in his quæstionibus introducas, in quibus est perniciosa nescientia, et scientia præsumptuosa? Verumtamen, quia ait unicus magister et doctor cælestis, qui docet hominem scientiam:* Quia sine me nihil potestis; mecum autem omnia poteritis; *et iterum Propheta:* Dominus dabit verbum; *atque iterum:* Aperi os tuum, et ego adimplebo illud; *pro iussu tuo, pro obsequio meo, pro spe divini promissi, pro eo quòd nihil impossibile est credenti, tentabo dicere, ut potuero, et ut mihi ille ministrare iusserit, qui Ecclesiam suam regit, si qua invenire quivero, et tibi meo Domino consentanea rationi narrabo. Iam tuum erit ea quæ suggero, discretione qua viges, solertia qua polles, instructione qua plurimum vales, et adprobare recta, et corrigere errata, et tegere indigna, et reserare digna.*

2. *Igitur iam ad ipsas causas veniamus. Dicis a te in epistolis tuis duo observata fuisse in Ecclesia tua, unde contabescit anima tua, et quid remedii adhibeas penitus scientia vestra non habere. Scilicet de quodam fratre, de quo scribitis, qui non accepto Presbyterii gradu Presbyterii peragit officium; et ut causam omnem exponeres, narras eum fuisse molestissimum Præcessori vestro, qui rogatus a Rege ut eum Presbyterum ordinaret, quia iussioni Principis resistere non prævaluit, (ut vestris verbis loquar) hoc genus factionis invenit. Duxit eum ad altarium, manum ei non imposuit,*

et cantantibus Clericis in excelso, pro benedictione maledictionem effudit, sicut ipse Præcessor vester hoc personis idoneis et sibi charissimis postmodum publicavit, coniurans, ut hoc quandiu ipse viveret reticerent. Quid inde fieri debeat a me iubes expetere, quia ignorare vos dicitis, utrum Presbyter habeatur, an si illi, qui per eum chrismate prænotati sunt, rectè Christicolæ vocitentur?

3. Post hoc coniuras meam inscitiam, ut hanc quæstionem solvam. Hæc est prima interrogatio vestra, ad quam dum multis, ut præmissi, ad respondendum impediar causis, summa illud conficit, quòd nequit tenebris obsitus videnti præbere ducatum. Sanè, quia iubes ut dicam quod sentio, perquiratur persona, quæ maledicto subiecta esse dicitur; si tempore maledicentis, ipso præsente, officium Presbyterii egit, nec tamen prohibitus ab ipso est; si baptizavit, si chrismavit, si Sacrificium obtulit, et ille passus est eum hoc agere, qui sibi conscius erat eum maledixisse; in nullo iste mihi, sed potius ille videtur culpabilis fuisse, qui dolo malo aliud egit, et aliud simulavit; ac per hoc ille, cuius factio in tantum nefas prorupit, ut mihi videtur, onus suum ipse portabit: vestra autem sanctitas ab hoc delicto immunis erit, quia unumquemque in qua vocatione invenistis, in ea esse permittitis. Et cur non habeatur Presbyter, non video, si ille eum publicavit Presbyterum, qui noluit ut iste Presbyter esset; aut quare non ab isto unguine sacro tincti vocentur Christicolæ, quia etsi iste indignus, chrismate tamen vero sunt illi peruncti.(1) *Optimè novit prudentia tua Cano-*

(1) Quæ in hac epistola respondet S. Braulio ad quæsita B. Eugenii, occasionem nobis non importunam offerrent longè latèque disserendi de Presbyterorum chrismatione, si Patrum Toletanorum commentatorum partes ageremus. Nec enim nos latet, quantùm a viris historiæ Ecclesiasticæ peritissimis in utramque partem disputatum sit super hac disciplinæ parte, quæ Sacramenti Confirmationis ministrum spectat. De orthodoxis tantummodò Doctoribus loquimur, inter quos convenit, solos Episcopos esse ordinarios huius Sacramenti ministros, prout in plerisque Conciliis adversùs hæreticos definitum est; hac una re inter se dissidentibus, quænam fuerit antiquorum temporum disciplina in Ecclesiis cùm Orientalibus, tum Occidentalibus circa eius ministrum extraordinarium seu delegatum: num cuique Sacerdoti ea confirmandi facultas ab Episcopis communiter fuerit concessa in quibusdam Ecclesiis: an omni tempore et loco penès Episcopos nulli delegata substiterit. Pro diversis uniuscuiusque studiis argumenta et solutiones adhibentur. Nos interea intra officii nostri terminos continebimur: ne tamen tam commoda occasione nihil omninò dixisse videamur, animadversiones quasdam lectorum iudicio subiicimus a nobis inter legendum confectas; quas docti viri boni æquique consulant optamus, sive propriæ eorum sententiæ novum inde momentum accesserit, sive recens adversùs propriam opinionem obiectio exurgat, quæ eorum ingenium excitet ad rem præsentem novis et eruditis commentationibus illustrandam.

Primò ergo animum intendimus in ea, quæ S. D. in §. 3. scribit circa medium. Cum enim ad priorem primi quæsiti partem respondens dixerit, Clericum illum malè, ut aiebant, ordinatum, pro vero Presbytero habendum esse ab Eugenio, ad cætera procedit adiiciens, se non videre, quare ab isto unguine sacro tincti non vocentur Christicolæ, de quo valde Eugenius dubitare videbatur. Rationes tunc huius resolutionis afferens, ita pergit porrò: *Optimè novit prudentia tua, Canonum anti-*

Digitized by Google

nonum antiqua esse instituta, ut Presbyter chrismare non audeat; quod servare et Orientem, et omnem Italiam hucusque scimus: sed postea consultum est, ut chrismarent Presbyteres, sed de chrismate benedicto ab Episcopis; ut non videretur Presbyterorum hoc esse privilegium, cùm ab illa unctione sancta populum Dei sacrant, sed Episcoporum, quorum benedictione et permissu quasi de manu Episcopi, ita huiusce rei peragunt officia. Quod si ita est, cur et iste quasi manus Episcopi, quamvis inutilis, quos chrismavit non habeantur Catholici? Cum, ut dixi, sancto et vero chrismate ab Episcopo sacrato, et cum illius permissu fuerint perun-

tiqua esse instituta, ut Presbyter chrismare non audeat; quod servare et Orientem, et omnem Italiam hucusque scimus: sed postea consultum est, ut chrismarent Presbyteres, sed de chrismate benedicto ab Episcopis; ut non videretur Presbyterorum hoc esse privilegium, cùm ab illa unctione sancta populum Dei sacrant, sed Episcoporum, quorum benedictione et permissu quasi de manu Episcopi, ita huiusce rei peragunt officia. Nobis hæc verba contemplantibus, atque apud nos quærentibus, qualis dicenda esset hæc chrismatio, quæ huiusmodi Presbyteri manu legitur frequenter peracta, nec invalida Braulioni visa est, occurrit, quantum ex eis colligi videtur, Braulionem de chrismatione sacramentali seu confirmatoria loquutum fuisse; cui soli, nec prorsus alteri, quæ de ea tradit, congruere possunt. Ait enim primò, antiquorum Canonum esse instituta, ut Presbyter a chrismando abstineret. Equidem ex Historia Ecclesiastica docemur, primis Ecclesiæ sæculis nullum omninò chrismatis usum Presbyteris concessum fuisse: cum vel illa alia chrismatio cæremonialis, quæ nunc in baptismo adhibetur, atque pro ipsis Presbyteris primò instituta fuit, ut absente Episcopo Confirmationis defectum quodammodo supplerent, atque unctione illa in scapulis non in fronte adhibita Neophytis iam iam morituris opitularentur; illa, inquam, chrismatio ad S.Silvestri tempora sæculo quarto ineunte communiter referatur: nullum deinde Presbyteralis chrismationis antiquius reperiatur vestigium. Nihilominus dum antiqua protulit instituta, de sacramentali tantùm chrismatione loqui Braulionem, quæ sequuntur verba, confirmant: *quod servare et Orientem, et omnem Italiam hucusque scimus.* Ergo illa vetus disciplina, quam superiùs dixit, ea erat, quæ Braulionis ætate ab universa Italia et Oriente custodiebatur. Vel hæc sola Braulionis propositio totum huius epistolæ sensum reseravit. Nihil nunc de Orientis disciplina dicimus, in qua Braulionis testimonium quantùm valeat, viderint illi, quibus persuassum est, multò ante Photii tempora, quin et quarto sæculo Presbyteros Græcos chrismare solitos esse: (fortè de S.Doctoris testimonio omni licèt eruditione illustris, sed in extrema Occidentis parte scribentis circa Orientalium Ecclesiarum ritus, non multùm laborabunt.) De omni Italia quæ adserit se scire, quæque prudens nemo dubitare audebit, videamus. Certè in Italia sæculo septimo chrismatio verticalis baptizatorum tantùm abest, ut Presbyteris esset interdicta, quin pro eis tantùm, non pro Episcopis institutam fuisse multò antea constet: tunc verò ita ibi obtinebat, ut in omnibus Sacramentariis superiorum Pontificum Presbyteris baptizantibus etiam coram Episcopo attribuatur, quoniam in cæremoniam baptismo annexam iam inde desierat, quæ primò occasione tantum mortis inventa est: ex Italia verò ad reliquas Ecclesias promanaverit. Quid ergo est quod a primis temporibus tanta cura observabat Italia? Ut baptizatorum frontem Presbyteri nulla ratione consignarent, quod solis Episcopis erat reservatum. At ea erat chrismatio sacramentalis: cuius rei innumera adduceremus testimonia, nisi in re omnibus explorata vanum putaremus argumenta congerere; omnia enim illorum temporum Ritualia atque Sacramentaria id ipsum evincunt. Nihilominus e rè erit S. Gregorii Magni verba referre in Epistola ad Ianuarium Metropolitam Calaritanum. Audierat Gregorius apud Sardos, Presbyteros frequenter chrismare Neophytos etiam præsente Episcopo; id ægre ferens, continuò eos per litteras admonuit, ut a tali chrismatione abstinerent, quam ipsis prohibitam esse intelligerent. Epistola accepta atque vulgata non levis animorum commotio inter illos exorta fuit, qui a suarum Ecclesiarum antiqua consuetu-

 di-

uncti. Manifestum est, baptisma in nomine Trinitatis datum non debere iterari, chrismare autem non prohibemur hæreticos, quos a vero chrismate invenimus extraneos. Iste autem recto chrismate chrismavit, ut iam dixi; non mihi videtur frivolum esse quod fecit.

4. *Additur his, quòd ille qui eum permisit, numquam contradixit, et chrisma a se benedictum tradere isti non dubitavit, ac per hoc, quod iste fecit, ille egit. Quid enim sive per occasionem, sive per veritatem? Quia in catholica actum est, necesse iterari non est; nam et illi, qui post excessum Prædecessoris vestri eum talia narrasse referunt, melius facient, si istam causam in aliam vitam*

dine abduci, propriisque privilegiis expoliari non facilè patiebantur. Huius perturbationis nuntio ad Gregorium perlato, putavit prudentissimus Præsul aliquid commotis animis indulgendum esse, itaque ad Ianuarium scripsit his verbis: *Et nos quidem secundùm veterem Ecclesiæ nostræ consuetudinem fecimus*: (dum chrismationem in fronte Presbyteris illis interdixit) *quòd si omninò hac de re qui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.* Ex quibus apertè deducimus, veterem Romanæ Ecclesiæ consuetudinem fuisse, ut Presbyteri neque præsente nec absente Episcopo chrismarent in fronte: deinde intelligimus, quare non dixerit Braulio omnem Occidentem, sed omnem tantùm Italiam illam antiquorum Canonum disciplinam servare. Certè enim non omnium Occidentalium Ecclesiarum consuetudo cum Romana consentiebat, quod præter hoc Sardorum exemplum alia, quæ ex Gallicanis Ecclesiis repeti possent, confirmant.

Sed ad reliqua Braulionis verba redeamus. *Sed postea consultum est ut chrismarent Presbyteres.* At ubinam, rogabit aliquis, id consultum est? In Italiane, vel Romana Ecclesia? Non equidem: cum in ea ut supra vidimus, Braulionis ætate antiqua statuta Canonum obtinerent. Reliquum est, ut id in Hispania consultum dicat, ut ad Eugenii quæstionem propiùs accedat, eique directè respondeat. Apud nos ergo statutum fuit, ut chrismarent Presbyteres, nempe frontem baptizatorum signantes eosque confirmantes, quod unum Presbyteris Italis prohibebatur. Hæc omnia ex præcedentibus per se fluunt, satisque indicant, quæ Braulionis mens sit, simulque de cuius chrismationis valore dubitaverit Eugenius, nisi illum dixerimus ad propositum minimè respondisse.

Quòd si quis amplius desideret huiusmodi disciplinæ apud nostros vestigia, ad Concilia Provincialia Hispaniæ eum remittimus, in quibus non obscura indicia reperiet, Presbyteros communem aliquando habuisse confirmandi potestatem. Concilium Illiberitanum can. 77. statuit: *Si quis Diaconus regens plebem sine Episcopo, vel Presbytero aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Innuit ergò, si Presbyter adfuerit, nil opus esse ut ad Episcopum adducerentur per eius benedictionem perficiendi, sive ut omnes interpretantur, ab ipso confirmandi: Confirmatio enim perfectio baptismi frequenter appellatur a Patribus. Concilium Toletanum I. anno Domini 400. celebratum can. 20. ita loquitur: *Statutum est Diaconum non chrismare, sed Presbyterum absente Episcopo, præsente verò non nisi ab ipso fuerit præceptum.* Concilium Barchinonense anno 599. canon. 2. *Simili etiam constitutum conditione est, ut cum chrisma Presbyteris Diœcesanis pro Neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur.* Quæ omnia, superiora Braulionis verba, nec minus nostram de illorum sensu coniecturam confirmant.

Sed et reliqua perpendamus. *Postea consultum est ut chrismarent Presbyteres, sed de chrismate benedicto ab Episcopis, ut non videretur Presbyterorum hoc esse privilegium, cum ab illa unctione sancta populum Dei sacrant, sed Episcoporum, quorum benedictione et permissu quasi de manu Episcopi, ita huiusce rei peragunt officia.* Multa hic occurrunt, quæ supra dictis favere videntur. Primùm, quòd tanta cura cavebatur, ne Presbyteri ad chrismandum accederent, nisi chrismate prius ab Episcopo benedicto, habitaque ab eo chrismandi licentia, ne illud officium tamquam sibi proprium, et non ab Episcopis delegatum putarent; id, inquam, magis sacramentalem chrismationem spectat, quam cæremonialem; quum hanc non ita sibi Episcopi vindicent, nec per se unquam perficere soliti sint, sicut illam aliam

tam sibi reservant. Quis enim eis, illo desistente, aut contradicere nunc poterit, aut purgare obiecta poterit? Vobis autem quod ille non dissipavit, dissipare non convenit, memores illius sententiæ : Nolite ante tempus quidquam iudicare. *Et iterum :* Quod apertum est, vobis ; quod occultum est, Deo.

5. *Ecce quod videtur nescientiæ meæ, et pro modicitate capacitatis nostræ nec affirmans nec spernens omnino ista suggessi.*

6. *Ad ceteras interrogationes, si hoc non abhorret, transeamus. Scribitis etiam et hoc, in quibusdam locis Diaconos chrismare vos reperisse. Nihil in hac quæstione amplius quàm in prima invenio, nisi ut sacrum chrisma vestra auctoritate et indulgentia Pontificali per-*

aliam quam propriam ubique legimus esse Episcoporum; nec aliter per manus Presbyterorum factam valere, nisi quatenus non tam ii, quàm ipse Episcopus a quo legantur, manus per eos imponit. Deinde quòd *populum Dei illa sancta unctione sacrari per Presbyteros*, ait, quis non de unctione confirmatoria accipiat ? A qua sacrari populum Dei per gratiam sanctificantem quam confert, propriè dicimus contra hæterodoxos; non ita de mera cæremonia baptismo adhibita, atque omni gratia sanctificante vacua.

Ad hæc,ab illa unctione Neophyti *Christicolæ* denominabantur; huius vero nominis vis hoc loco non tam cultores Christi significat (omnes enim id per baptismum habemus) quàm *Christianos*, quod erat nomen proprium confirmatorum, qui a sacro chrismate peruncti ex tunc in Christi militiam novo crucis signo armati ac roborati nomen dedere. E re erit aliquorum Patrum verba in hanc sententiam producere. S.Cyrillus Hierosolymitanus Cathec. 3. Mystag. *Huius*, ait, *sancti chrismatis dono accepto appellamini* CHRISTIANI, *ut regenerationi et nomen ipsum verè respondeat. Ante enim quam hæc gratia vobis donata est, non eratis propriè digni eo nomine, sed pergentes usque eo progressi estis, ut efficeremini* CHRISTIANI. Similia scribit V. Beda ad illa verba Psalm. 26. *Dominus illuminatio mea, et salus mea: Potest quoque, si cui libuerit, illuminatio ad primam tantum unctionem, in qua simpliciter abrenunciamus Satanæ, referri. Salus verò ad secundam, in qua magis firmamur ; quia et nomen Christi in ea profitemur, et ab ea nomen accipimus, scilicet, ut* CHRISTIANI *dicamur.* Eadem fere legimus in S.Isidoro lib.de Offic. Ecclesiast. cap. 26.

Sed et verba immediatè sequentia id ipsum quodammodo suadere videntur. *Manifestum est*, inquit, *baptisma in nomine Trinitatis datum non debere iterari, chrismare autem non prohibemur hæreticos, quos a vero chrismate invenimus extraneos.* De sacramentorum iteratione loqui satis indicat, non de mera chrismatione reconciliatoria repetenda : quod ex eo colligimus primò, quòd eam baptismo contraponit : tum, quia illa cæremonia in omnibus et quibuscumque hæreticis recipiendis adhibebatur, non tanquam alterius chrismationis suppletiva, sed ut illa unctione sancta, precibus simul ab Ecclesia adhibitis, Spiritus Sanctus conversionem errantium sua gratiâ firmaret, atque solemni quodam ritu Ecclesia ad se redeuntes benignè excipere testaretur : hoc autem loco de eorum chrismatione hæreticorum agit Braulio, qui a vero chrismate erant extranei, proindè apud suos nullius valoris unguento delibuti ac confirmati.

Deinde, quia nisi de confirmatione Neophytorum esset quæstio, non videtur rem tanti momenti esse, quæ ita animum Eugenii solicitaret, atque anxium haberet, ut ipse innuit, quasi in utroque extremo magnum aliquod occurreret incommodum. Quot autem, quantaque utrimque essent timenda, si de sacramenti valore dubitasset, nemo non videt : quoniam si eos non chrismasset iterùm, forsan perpetuò Confirmatione privarentur, quam validam numquam accepissent; si verò temerè ad iterandam chrismationem accederet, non parva iniuria sacramento imminebat, quod semel validum omnino propter caracterem initerabile est.

Non dubitamus aliqua in progressu huius epistolæ reperiri, quæ nostris animadversionibus adversari videntur, quale est illud quod sequente §. legitur. Cum enim chrismationes Presbyteri ratas habendas esse putaverit, quoniam Episcopo consentiente et vidente peractæ fuissent, ut illud magis urgeat adjungit: *Quid enim sive per occasionem sive per veritatem?* Ex quo

Digitized by Google

persistat ; et illi , qui ista aut nescentia aut præsumptione patrarunt , dignam in se et districtionis vindictam , et ecclesiastici ordinis normam sub pœna et pœnitentia persentiant, et ita sint mulctati , ut in exemplum aliis dati , talia nequaquam ultra præsumant.

7. His duobus in brevi præmissis quæstionibus , tertiam ingerit ignorantiæ meæ prudentia vestra scribens , quòd quidam Presbyteri de chrismate, quod sibi ipsi conficiunt (si tamen chrisma istud erit nominandum) baptizatos signare præsumunt. Bene fateor, et optimè dubitatur non esse chrisma, quod non solùm non ab Episcopis , sed contra ius et vetitum Canonum a præsumptoribus Presbyteris videtur esse sacratum. Nam si cælestis Magister et Do-

quo fortè quisquam ita arguet , ut evincat non loqui Braulionem de chrismatione sacramentali : nemo etenim ignorat , quæcumque in rebus ad sacramenti essentiam pertinentibus fictio intercedat, eius valorem corruere ; iam autem consensus Episcopi, sicut nunc S.Pontificis delegatio, erat omninò necessarius , non solum ut Presbyter chrismaret licitè, sed etiam ut validè eo officio fungeretur. Quomodo ergo diceret Braulio nihil interesse ad effectum chrismationis illius , utrum Episcopus per veritatem consensum suum præbuerit , necne ? Si hoc loco fictio nihil refert ad valorem, absdubio de alia chrismatione quàm de confirmatoria sermonem instituit. Sed attendat impugnator quæsumus , quid velit Braulio , dum scribit *per veritatem*; quod ex opposito faciliùs intelligitur. Non enim veritatem opponit fictioni aut simulationi , sed veritatem occasioni contraponit. Quasi dicere voluerit : quid interest, sive Episcopus ratum habuerit illius Presbyteri ministerium *per veritatem* , id est verè , ex animo suo , et sponte , quoniam huiusmodi Presbyterum tali ministerio dignum putasset ; (namque ita accidit , ut quæ nos probamus , quæque maximè nobis arrident , ea verè et ex animi sententia gerere , vel ab aliis facta lubenter confirmare dicamur) sive *per occasionem* , id est , tantùm propter temporis circumstantias , ut Principis voluntati obtemperaret, licentiam indulserit ? Namque sæpesæpius multa agimus reluctantes et inviti , etiam ex iis quæ in libera mentis potestate consistunt. Iam autem modò Episcopus reipsa consenserit , (ut consensisse probabatur) satis erat ad validam chrismatis administrationem ; quamquàm non lubens fecerit , sed invitus.

Nec magis nos movet , quod ad secundam quæstionem Eugenii super chrismatione facta a nonnullis Diaconis respondet. De quacumque enim chrismatione superiùs locutus fuerit , satis colligitur, ex mente Braulionis tantùm Presbyteris fuisse datam chrismatis administrationem; quod et Canones a nobis laudati confirmant , in quibus nulla de Diaconis mentio fit , nisi ut ab eiusmodi ministerio arceantur. Quare Braulionis mentem quodammodo assequutus esse non temerè diceretur , qui verba illa , *Nil in hac quæstione ampliùs quàm in prima invenio , nisi ut sacrum chrisma vestra auctoritate et indulgentia Pontificali persistat* , ita interpretaretur , quasi dicere voluisset Eugenio : tota hæc de Diaconis quæstio superiori resolutione definita est ; in qua satis apertè pronuntiavi , Presbyteris et quidem solis singulari nostrarum Ecclesiarum consultatione seu statuto datum fuisse , ut chrismarent ; ea tamen lege , ut chrisma de manu proprii Episcopi reciperent , ab ipso benedictum , atque eius necessario auctoritate administrandum. Ex quibus omnibus concludendum erat, Diaconorum chrismationem nullam omnino fuisse ; atque eos , qui aut nescientia , aut præsumptione chrismatis ministerium sibi arrogaverant , districtè puniendos.

Hæc sunt , quæ in hanc Epistolam nobis adnotare visum est : si officii nostri partes spectemus, fortassè multa , si materiæ amplitudinem , pauca. Quidquid verò illud est , in gratiam studiosorum Ecclesiasticæ disciplinæ fecimus : quin et viris doctis nostram qualemcumque operam probaturos speramus , cuicumque illi in hac disputatione parti studeant. In rebus enim dubiis , quæque variis hominum opinationibus subiiciuntur , non parùm de litteris benemereri credimus, qui in novo aliquo monumento edendo harum animadversionum rationem persequatur , quæ ad illius illustrationem aliquid conferant : eamque unicam putamus viam , ut veritas discussis tenebris , aliquando appareat.

Digitized by Google

Dominus reliquit suum Episcopis Vicariatum, quod constitutum ab illis est, ab spiritu Christi iuxtà Apostolum constitutum est; et si quis præcepta eorum spernit, Christi præcepta spernit. Unde videtur mihi a sancto et vero chrismate denuò præsignari debere qui a talibus sunt peruncti fraude. Præsumptorum tamen disciplina in vestro est arbitrio posita, dum aliter emendetur error, atque aliter condemnetur præsumptor. Iam vestræ est sapientiæ, et cum ignaris mitiùs agere, et præsumptores vehementer distringere. Pro ineruditæ impedimento linguæ brevem evenire volui tramitem epistolæ; sed ut est illud tibi notum, dum urceum facere nitor, amphoram finxit manus.

8. Iam nunc salutem persolvo, et quotidianas molestias meas tribulationesque assiduas orationibus vestris commendo fovendas, et per Christum te coniuro, ut quidquid inutiliter, aut secus quàm habet ratio, in hac paginola repereris effusum, non antè aliis pateat quàm mihi hoc tua epistolâ innotescat. Nam neque spatium fuit inde cogitandi, neque vacatio dictandi, et quod lingua deprompsit, aliena manu exaravi, nec inde retractare occurrit.

EPISTOLA

EUGENII III. ARCHIEPISCOPI TOLETANI

AD PROTASIUM TARRACONENSEM.

Domno Protasio Episcopo Eugenius.

1. Vestræ pietatis oracula favi dulcedine suaviora ingenti me fateor perlegisse lætitia; unde etiam creatori Domino precum obtuli vota propter vestræ facultatis augmenta. Cuius enim anima, quamvis sit sapientia privata, tantam in te Domine non amet amoris industriam, quam ab arce culminis qua sublimis emines et præcellis, ad amandum infirmos et exhibiles ultronea benignitate descendis? Sinceræ pacis conditor, et puræ dilectionis amator Dominus Dei filius Jesus Christus ipse in vobis hæc bona, quæ contulit, ampliet, ipse inlibata perpetua perennitate conservet. Vestræ enim dignationis alloquia ita nos ad amorem vestri per dies singulos incitant, ut sicut ipse fari dignatus es, nec exprimi verbis, nec exarari valeat atramentis quantum [1] vos reddat et animos enarrantis. Quæro namque, et mecum sæpenumero cogito, quid vestræ potestati pro tanta possim re-

(1) Subest certe mendum; nos vero nævos repræsentamus, quos emendare sine auctoritate non licet.

Digitized by Google

rependere bonitate; sed quia nihil dignum, aut æquabile valet reperiri, me ipsum offero, totumque me ob hoc placabilem rẽputo, quia granditer a vobis amari confido. Puto enim, quòd non displiceat animis vestris, cum id offero quod amatis. Nam quòd officium nostri sermunculi iussioni vestræ parêre compellitis, sincerè meam fateor voluntatem, non solum verbo vobis me velle parêre, sed et animo; si tamen vestræ orationis obtentu et vita nostra meruerit veniam, et lingua facundiam. Nam etsi est in nobis, ut tu Domine reputas, venula tantilla sermonis, nunc inutilitate morum, nunc adsidui languoris aggestu quotidie intercluditur et siccatur. Missam Sancti Hippolyti vel orationes, si nobis oratu vestro vita comes adfuerit, ut potuero, pro vestra iussione parabo: Missam vero votivam ideo non scripsi, quia in hac patria tam accurati sermones habentur atque sententiæ, ut simile non possim excudere, et superfluum iudico inde me aliquid dicere, unde meliores recolo iam dixisse. (1)

Ec-

(1) Hæc verba optamus lectores omnes animadvertant. Nec enim levem Hispaniæ laudem in se continet, quòd Missæ votivæ in Toletana Ecclesia adeo accurato sermone essent conscriptæ, ut Eugenius quidquam eis simile, nedum perfectius efficere desperasset. Quod non eo a nobis dicitur, quasi Romanus sermo eâ tunc inter nos puritate et elegantia viguerit, quam sæculis præcedentibus obtinuerat. Non enim ii sumus, qui plus æquo illis temporibus tribuamus. Sed verò iustam illorum rationem habentes, atque reliquas Europæ Provincias animo nostro lustrantes, quæ olim politissimæ ac florentes communi cum Hispania fato obrutæ, sub barbarorum dominatione iacebant, non sine magna iucunditate observamus, maiores atque illustriores omnigenæ eruditionis, ac latini sermonis reliquias in Hispania præ cæteris regionibus a Romanis aliquando subactis, permansisse.

Quod nostro equidem iudicio duæ præcipuè res effecerunt. Prima, quod sub Romanorum imperio (ut nihil de Phœnicibus, et Græcis dicamus, quorum doctrinâ multo antè excoli cœpta est) una Hispania ante alias Nationes Latinas litteras amplexata fuit, Romanaque studia summa animi contentione prosequuta. Publicæ enim scholæ per universam Hispaniam, celebriores verò in Bætica constitutæ sunt, quas ludimagistri eruditione insignes moderabantur: ex quarum officina quot quantique viri prodierint sive Grammatici, sive Rhetores, sive Iureconsulti, nemo ignorat. Ab ipsis Romanæ Reipublicæ principibus eorum nomina cum summis doctrinæ laudibus accepimus, quas publicis litteris commendarunt. Namque Hispanos a Romanis *sapientes homines* habitos, *atque iuris publici peritos*, ipse Romanæ eloquentiæ Parens ex suo, et communi omnium iudicio testatur. Et Iberos non solum varia doctrina instructos, sed et acerrimi iudicii viros, emunctissimæque naris fuisse indicat Horatius, qui ab illis cum iucunditate legi, non probro, sed gloriæ duceret: *Me peritus discet Iber*. Sed quis nesciat doctissimorum Hispanorum nomina, quam chara Romanis fuerint propter maximam studiorum coniunctionem et similitudinem? Cornelii Balbi Gaditani non armis magis quam litteris clari, atque Ciceronis, Pomponii et Cæsaris (quanta doctrinæ lumina!) familiarissimi: Iulii Igini ab Augusto propter immensam eruditionem propriæ Bibliothecæ præfecti: Marci Porcii Latronis oratoris disertissimi, quem dicentem vel ipse Ovidius Naso suspiciebat propter sententiarum gravitatem, quas suis poematibus insereret. Præter hos, Senecam Cordubensem Philosophorum facilè principem, et Quintilianum Calaguritanum aureum Scriptorem, Rhetorices Magistrum, ex cuius Schola multi quasi ex equo Troiano litterarum proceres extiterunt, ut loquitur Politianus. Adeo ut Hispani et florentis Reipublicæ gloriam suæ doctrinæ lumine cumulaverint, et in interitum cum litteris inclinanti summa eruditionis vi opitulati sint, nedum, ut quidam effutiunt, optimis eius studiis pestem attulerint.

Verum hæc omnia ad futurorum sæculorum litteraturam parum contulissent, si, quod ipsi Italiæ contigisse videmus, Hispania Gothorum dominatione oppressa ardens

Digitized by Google

2. Ecce piissime Domine dulcedo gratiæ vestræ verbosum me reddidit et superbum; sed precor, ut parcas audaciæ, quam non tumor adtulit, sed amor invexit. Nam si hoc trutinæ subtilis examinis æquæ libræ pensa iusseris ponderare, ad te Dominum videbis recurrere, quòd servulum tuum inveneris oberrare; quia numquam ego tam temerarius in loquendo, nisi tu fuisses tam profusissimus in amando. Quod ergo hac occasione vel deliquerim, vel deliqui, vobis imputari iubete; quia tantum amas, et tantum amaris, ut et verecundiæ pondus auferas, et timoris. Scriptum enim est: timor non est in dilectione, sed perfecta dilectio foris mittit timorem.

3. De cetero pro peculiaritèr suggero, ut mihi misero tentationum fluctibus errabundo tuæ precis impendas auxilium. Sic Beatorum merearis habere consortium.

dens scientiarum studium penitùs abiecisset. Sed multò aliter effectum est: namque inter medios Barbaros litteras non tantum gravissimas, sed et humaniores videmus a nostris excultas. Quæ etenim alia natio est, quæ ex illis sæculis totidem viros nostratibus opponere queat? Leandro, Fulgentio, Isidoro Hispalensi fratribus; Braulioni, Eugenio Toletano, Ildephonso, Iuliano, Taioni, Eulogio, ceteris; Patribus et sanctitate et doctrina venerandis, in Scripturæ sacræ lectione assiduis, priscorum Canonum disciplinæ custodibus, Theologis absolutissimis ac solidissimis, oratoribus facundis, nec indisertis, et ab eruditione profana non alienis, quod unius D. Isidori opera ad miraculum doctissimi demonstrant: ut nihil de Braulionis epistolis, et hisce Eugenii opusculis dicamus, in quibus veterum Poetarum, et Oratorum sententiæ passim occurrunt. Quibus si linguarum cognitionem, qua erant instructissimi (quantum tempora illa ferebant) adiungimus, nihil est profectò quod ad solidam eruditionis laudem desideretur. Ex quibus omnibus illud efficitur, ut hæc propria unius Hispaniæ laus sit, nullibi veræ sapientiæ studium illis temporibus magis viguisse, atque Gothos natura feros et inculros, ab omnique studio præterquam armorum abhorrentes, Hispanorum artibus et consiliis ita fuisse excultos, atque ad humanitatem compositos, ut barbariem exuti, litterarum amore ipsi flagraverint: cum interea reliquæ nationes eorum armis oppressæ, ad imperantium efferatos mores suos accommodaverint, et cum ipsis in barbariem demersæ sint.

Quod si cui videbitur (immeritò id quidem) importuno hæc a nobis loco dicta fuisse, saltem patrio amori, quo abrepti sumus, id indulgendum iudicabit: neque nobis vitio vertet, quod Hispaniæ laudes paulo fusiùs, quàm res exposcebat, prosecuti simus, cum exteros videamus per summam iniuriam opportunè et importunè nobis barbariem exprobrantes, usque eò livore ac præiudiciis adducti, ut palam affirmare non dubitent, Hispanos hebeti ac tardo ingenio a natura donatos, ad bonas artes omnino inhabiles, et ad meras nugas efformatos fuisse: quippe qui, aiunt, habitamus solum macrum, sterile, infœcundum, Musis optimisque artibus invisum. Quis talia legens non moveatur? Quis patriæ honorem falsò traduci impunè patiatur? Quis taceat pro veritate contra putidas calumnias? Verùm causam hanc susceperunt eruditissimi Moëdani Fratres in Historia Litteraria Hispaniæ, quam scribere pergunt: novissimè verò apud Italos communi doctorum acclamatione egit eam Vir doctissimus ac dissertissimus D. Xaverius Llampillas Barchinonensis in opere Italico inscripto: *Saggio Storico-Apologetico della letteratura Spagnuola, contro le pregiudicate opinioni di alcuni moderni Scritori Italiani*, Genuæ edito, in quo evincit, obtrectatores nostros in diiudicanda Hispanorum litteratura non recta liberaque ratione duci, sed ex præconcepta opinione omnia metiri, et scribere solere.

Digitized by Google

EPISTOLA

TAIONIS EPISCOPI CÆSARAUGUSTANI

AD EUGENIUM EPISCOPUM TOLETANUM.[1]

Sanctissimo ac venerabili Domino meo Eugenio Toletanæ Urbis Episcopo, Taius ultimus Servus Servorum Dei Cæsaraugustanus Episcopus.

Congrua satis valdeque necessaria dispositione fortioris exquirit solatium, qui propriæ virtutis caret officio, eòque faciliùs corporis gressum prorrigit, quò trahitur dextera potioris, ut saltim desideratum cursum valentioris auxilio possit explere, quàm segnis in sui itineris medio remanere. Ita ego, mi venerabilis Domine, licèt invalidus, tuis tamen adiutus orationibus, ardui operis auspicia quasi cuiusdam maximi montis malui adire principia, quod velut magni cuiusdam in sui superficie ostentans paradisi nemorum proceritatibus obsita, floribus albescentia, pomis etiam mellificantia, foliis viridantia, liliorum quoque pulchritudine nitentia, rosarum rubore candentia, violarum purpurantium floribus splendentia, coloribusque croceis pleraque fulgentia, nullo unquam tempore marcescentia, sed perpetuâ sui viriditate vernantia, mirificâ arte disposita, directisque consistunt linearum ordinibus coaptata, tantam subministrantes amantibus gratiam, ut suavitate sui non solùm exteriores corporum sensus, sed interiora cordium arcana satietate sui perlustrent. Cumque talia intentis obtutibus cernerem, ac plerosque his multimodis dapibus satiari viderem, inæstimabili accensus desiderio, tamquam unus ex collegio esurientium puerorum inediæ coactus impulsis, eiusdem ianuam paradisi pedetentim adgressus, et quasi temerarius introrsus explorator ingressus, dum per eadem spatia pulcherrima quæque, ac multimoda prospectando nimia admiratione suspendor, quædam ramusculorum floscula more pusillorum infantium ludendo collegi, ac manu avida contrectando decerpsi,

(1) Hanc Taionis Epistolam edidit primus Stephanus Baluzius Miscellan. tom. 4. in qua cum summis amoris et observantiæ erga S. Eugenium significationibus, ipsi dedicat, atque eius acerrimo iudicio submittit opus a se elaboratum, quod Commentarium Sacræ Scripturæ appellare meritò possumus, ex variis ac dispersis S. Gregorii Papæ interpretationibus collectum, atque in sex libros distributum; quorum quatuor prioribus veteris, duobus postremis novi Testamenti expositio continebatur. Sed opus egregium non ampliùs extat; neque aliud eius, præterquam huius epistolæ testimonium ad nos usque pervenit. Loca aliqua mendosa, prout a Baluzio edita sunt, reliquimus, omni alio codice carentes, qui lucem afferret.

Digitized by Google

psi, cursim ista præcipua quadam curiositate quibusdam comparationibus præmittens, verbis simplicibus quasi oris obstrusi aditum resero, nisi ut tam incomparabilis excellentia viri, sancti scilicet Papæ Gregorii, in ipso locutionis exordio quibusdam parabolis anteferrem, eiusque magnitudinem sapientiæ, quo perspicuo lumine sanctam illustravit Ecclesiam, aliquatenus non scientibus, sed nescientibus propalarem. Optaveram siquidem tuæ nunc adesse præsentiæ, ut sicut scriptum est : Interroga patrem tuum, et annunciabit tibi ; maiores tuos, et dicent tibi, *ex tui oris prudentia formulam sumerem, cum in principio huius operis velut cuiusdam telæ verborum texturam præponerem, vel certè ex tui cordis artificiosa manu, quasi in cuiusdam magni constructione ædificii politos, atque quadratos humeris propriis verborum lapillos deferrem; quoniam frater fratrem adiuvans exaltabitur, sicut civitas munita. Ordo namque rationis exposcit, ut subsequentia præcedentibus quodam vinculo tenacitatis nectantur, quatinus in utrumque rectitudinem sui prolata æquitas pandat, ac ducente tramite veritatis ad destinatum finem lætus accedat. Idcircò quod comparationibus paulo ante prætulimus, verbis nunc apertioribus propalemus. De opusculis quippe eiusdem sanctissimi viri sese infert sermo subsequens aliquantula narratione officiosissimus, dignumque fore censui de suis operibus eius pauca primùm retexere. Vidimus, vidimus Gregorium nostrum Romæ positum, non visibus corporis, sed obtutibus mentis. Vidimus enim non solum in suis Notariis, sed etiam in familiaribus, qui ministerio corporali eidem fidele exhibuerunt famulatus obsequium, eorumque relatione de virtutibus eius plura cognoscens, brevissimè pauca retexam. Fuit denique gratiâ Christi omni morum probitate compositus, animo vultuque serenus, corde benignus, conscientia purus, moribus discretus, virginitate nitens, charitate refertus, pietate præcipuus, patientia insignis, modestia incomparabilis, abstinentia singularis, hospitalitatis sectator, peregrinorum susceptor, eleemosynarum largitor, ecclesiasticarum rerum optimus dispensator, amicis devinctus, oppressorum sublevator, tribulantium consolator, acris ingenii, consilio providus, sermonibus nitidus, eloquentia facundus, prudentia dissertus, sapientia præditus, doctrina multimodus, Scripturarum divinarum multimodus interpretator, abditorum mysteriorum acerrimus investigator, fidei catholicæ magnificus defensor, contra hæreticos fortis assertor, superbis auctoritate erectus, atque humilibus prompta devotione subiectus. Quatuor namque virtutibus animæ, prudentia scilicet, temperantia, fortitudine, atque iustitia ita extitit præornatus, ut non homo, sed*

 an-

Digitized by Google

angelus inter homines putaretur. Quis namque nostri temporis eloquentia facundus, prudentia præditus, sapientia profundus sanctum condignis efferat laudibus Gregorium? Nec ipsi, ut censeo, Græcæ Romanæque facundiæ Philosophorum præcipui, Socrates scilicet vel Plato, Cicero atque Varro, si nostris temporibus affuissent, condigna verba promisissent. Sed ne panegyricis uti censear eloquiis, plurima de eiusdem virtutibus audita comperta præmittens, ad eius opuscula, quæ sunt eloquia pulchritudinis, officia linguæ retorqueam. Igitur cum Romæ positus, eiusdem quæ in Hispanis deerant volumina sedulus vestigator perquirerem, inventaque propriâ manu transcriberem, tantaque dulcedo verborum animum meum inæstimabili suavitate mulceret, speciale quiddam in eadem sine cuiuspiam perspexi comparatione potissimum. Denique dum historiam beati Iob sub triplici indagatione, id est historica, typica, vel morali studuit explanatione discutere, atque Ezechielis prophetæ primam vel ultimam partem non impari expositione percurrere, tantorumque profunda mysteriorum repulso ignorantiæ nubilo, serena patefactione monstrare, penè totius novi ac veteris Testamenti patefecit arcana; actumque est, ut hac opportunitate panis ille, qui de cælo descendit, eiusdem fidelissimi opportuna satis dulcedine satiaret.. Sed quoniam in eadem prolixitate voluminum, dum testimonium uniuscuiusque requiritur, explanatio penè totius operis ius erat in ambiguo, non minima perscrutatio, atque animi ardentis sæpe frigebat intentio, malui semel maximum proferre laborem, quàm semper suspectam tolerare difficultatem. Percurri igitur omnia eiusdem monimenta librorum, et penè totius Scripturæ sacræ testimonia, quæ in eius opusculis ad probationem vel expositionem cuiusque rei adhibita diversis in locis continebantur conscripta, adiuvante Christo Iesu, qui ex ore infantium atque lactentium perficit laudem, linguasque mutorum vinculo taciturnitatis absolvit: suis coadunata ordinibus studiosus quisque, cum in eisdem voluminibus cuiuslibet sacri testimonii explanationem requirit, ne multiplici lectione fatigatus non citò reperiat quod voluerit, ad ista quæ decerpsi recurrens, repentè quod desiderabat, liberæ satisfactionis discretione reperiet. Lectorem quippè huius operis censeo admonendum, ut vigili intentione prævideat, quoniam pleraque testimoniorum capitula in eisdem voluminibus, ut supra meminimus, diversis in locis sita, ita ut inventa sunt exposita, a me ordinatim collecta fore noscuntur. Alia igitur, quæ iam in superioribus aut inferioribus partibus exposuisse visus est, et iterum atque iterum quàmlibet aliis verbis, eodem tamen sensu diversis in locis recapitulata expositione retexuit, præcedentibus

Digitized by Google

bus testimoniis, ut ordo exponendarum rerum poposcit, aliqua inserenda, reliqua vero relinquenda curavi; quatinus ex præcedentibus subsequentia penderent, et subsequentia præcedentibus sese utiliùs coaptarent. Nam si cuncta discreto ordine in huius operis serie ponerentur, proculdubio magnitudo voluminum brevitatis modum excederet, atque sui recapitulatione lectoris animum offendens, facerent nihilominus repetita fastidium. Cuius rei quantitatem in sex codicibus, quatuor scilicet veteris instrumenti, duobus etiam novi Testamenti, suis connexis ordinibus prætermissis scripturis, quas isdem virorum sanctissimus ex ordine tractavit, adiutus orationibus vestris explere curavi. Præfatiunculas quoque eiusdem codicibus consonantes decerpsi, quas etiam in capita librorum præposui, quatenus ipse sibi in suis anteponatur eloquiis, qui largiente gratia Christi copiosus nobis multiplicibus extitit officiis. Ipsos etiam codices laboriosa nimiùm intentione collectos prudentiæ vestræ malui committere contuendos, in quibus si quædam sagacissima vestigatio vestra reperiet inordinatè composita, non tam negligentiæ culpam, quàm necessitatis adscribat: quia dum vehiculo parvæ scabulæ quasi immensum pelagus solitarius nauta navigaturus adgredior, cum maximis difficultatibus latissimi æquoris huius spatia transmeavi, tandemque ad optatam littoris requiem, Christo gubernante, perveni. En prudentissime virorum, ut causarum ordines sigillatim perstringerem, modum brevitatis excessi, et ut ait quidam doctissimus, dum figuli rota currente urceum facere nititur, amphoram fecit manus. Ast ego dum brevem pagellam conscribere malui, libellum manus indocta composuit. Obsecro igitur te, virorum sanctissime, et omnes quibus huius operis lectio non displicuerit, ut hos libellos velut duo minuta in gazophylacia templi Domini collocare dignemini, ac pro meis abluendis delictis pervigili intentione eius misericordiam deprecare non dedignemini, ut æternis ereptus incendiis, sempiternis solari merear refrigeriis. Vale mi venerabilis ac sanctissime Domine.

FINIS OPERUM SANCTI EUGENII III. ARCHIEPISCOPI TOLETANI.

Digitized by Google

VITA S. ILDEPHONSI

ARCHIEPISCOPI TOLETANI.

MONITUM.

De S. Ildephonsi gestis satiùs duximus ea edere totidem verbis, quæ a S. Iuliano eius discipulo et successore, atque a Cixila Archiepiscopo etiam Toletano posteriori ævo litteris tradita sunt. Ne dum novam conderemus historiam, quæ stylo illis antecederet, veterum monumentorum auctoritas minueretur apud homines horum temporum, qui in rebus ad religionem spectantibus plus æquò criticæ arti, an suo potiùs ingenio dicamus? indulgent: cum ea sint testimonia quæ propriis verbis exhibita vel invitis fidem extorqueant. Damus etiam vitam a Cerratensi Monacho sæculo XIII. scriptam, non contemnendæ quidem auctoritatis; quamvis in ea nos levia quædam ex Cixila emendaverimus, quæ propter temporum iniuriam ex traditione non omnino incorruptâ Cerratensis hausisse videtur.

B. ILDEPHONSI ELOGIUM

Ex S. Iuliano in Appendice ad librum de Viris illustribus

AB IPSO ILDEPHONSO CONSCRIPTUM.

Ildephonsus memoria sui temporis clarus, et irriguis eloquentiæ fluminibus exornans sæcula ætatis nostræ, novissimè Toletanæ Sedis adscitus in cathedram, Præsul post secundum Eugenium in Sacerdotium consecratur, vir tanta laude dignissimus, quanta virtutum gratia numerosus. Fuit denique timoris Dei instantia præditus, religione compunctus, compunctione profusus, incessu gravis, honestate laudabilis, patientia singularis, secreti tacitus, sapientia summus, disserendi ingenio clarus, eloquendi facultate præcipuus, linguæ flumine copiosus, tantoque eloquentiæ cothurno celeber habitus, ut disputationum eius profusa oratio dum porrectè dirigitur, meritò non homo, sed Deus per hominem affatim eloqui crederetur. Hic igitur sub rudimentis adhuc infantiæ degens, divino tactus spiritu, vita delectatus est Monachorum, contemptisque parentum rerumque mundanarum affectibus, Agaliense Monasterium petiit, cuius fugam rabido furore insequens pater, uno tantùm maceriæ impeditus est obice, quo et furentis est delusa quæsitio, et fugientis salvata devotio. Nempe

Digitized by Google

pe parentis furor dum percitus in interiora prætenderet, latibulum quo hic vir oculebatur reliquit. Sicque præterita incurata pertransiit, et in anterioribus, quæ præterierat inquisivit. Armata deinde manu Agaliensem cellam impetens gladio, dum quæsitum non invenit, rediens in propriam, ut perditum deploravit. Percognita igitur præfatus vir absentia parentali, Agaliense illico Monasterium adiit, Monachumque se in eo multis ferè annis decenter exhibuit. Cœnobium quoque virginum in Deibiensi villula construxit, ac propriis opibus decoravit. Rector deinde effectus Agaliensis Cœnobii Monachorum mores exercuit, rem discrevit, vitamque servavit. Principali post hæc violentia Toletum reducitur, atque inibi post Decessoris sui obitum Pontifex subrogatur.

Scripsit sanè quamplurimos libros luculentiori sermone potissimos, quos idem in tot partibus censuit dividendos, id est, librum Prosopopœiæ imbecillitatis propriæ, libellum de virginitate S. Mariæ contra tres infideles, opusculum de proprietate personarum Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, opusculum annotationum actionis diurnæ, opusculum annotationum in sacris, librum de cognitione baptismi unum, et de progressu spiritualis deserti alium. Quod totum primæ partis voluit volumini connectendum. Partis quoque secundæ liber epistolarum est, in quo diversis scribens, ænigmaticis formulis egit, personasque interdum induxit. In quo etiam a quibusdam luculentiora scriptorum responsa promeruit. Partem sanè tertiam Missarum esse voluit, hymnorum, atque sermonum: ulterioris denique partis liber est quartus, versibus prosaque concretus, in quo epitaphia, et quædam sunt epigrammata annotata. Scripsit autem et alia multa, quæ variis rerum ac molestiarum occupationibus impeditus, aliqua cœpta, aliqua semiplena reliquit. Adscitus autem in Pontificatum nono gloriosi Reccesvinthi Principis anno, novem annis et duobus ferè mensibus clarus habitus fuit vitæ meritis, et retentatione regiminis: expletoque octavo decimo prædicti Principis anno, sequenti die, decimo Kalendas Februarii domicilio carnis exuitur, atque in Ecclesia beatæ Leocadiæ [1] tumulatur, ad pedes sui conditus Decessoris, cum quo creditur æterno frui receptaculo claritatis.

(1) Iam superiùs monuimus, ex tot virorum sanctorum corporibus, quæ in hac Basilica consepulta fuere, unius Ildephonsi reliquias non ignorari, quæ hodie dum Zamoræ coluntur, præter brachii partem quam Toletana Ecclesia possidet.

IN-

Digitized by Google

INCIPIT VITA, VEL GESTA
S. ILDEPHONSI
TOLETANÆ SEDIS METROPOLITANI EPISCOPI
A Cixilano eiusdem urbis Episcopo edita.

1. Ecce dapes melliflui [a] illius domini Ildephonsi, quas de paradiso Dei rapiens, et per totam Hesperiam dispergens, inediam nostram ingenti satiavit eloquio. Non impar meritis sanctissimi illius domini Isidori, de cuius fonte adhuc clientulus purissimos latices bibit: nam directus a sancto ac venerabili Papa Eugenio, Toletanæ Sedis Metropolitano Episcopo ad supradictum Doctorem Spalensem Metropolitanum Episcopum, cum sibi iam sciolus videbatur, adeò ab eo tentus, et [b] elimatus est, et ut ferunt temporali ferro [c] constrictus, ut si quid scientiæ deerat, pleniùs instructus ad pœdagogum suum domnum Eugenium remeans, non post multos dies adhuc Diaconii officium peragens, in Ecclesia sanctorum Cosmæ et Damiani, quæ sita est in suburbio Toletano, Abba præficeretur. Ubi statim in officio clarens, duas Missas in laudem ipsorum Dominorum [d] suorum, quas in festivitate sua psallerent, miro modulationis modo perfecit: quas Missas infra [e] annotatas invenietis. [f]

2. Deinde post multum tempus decedente domno Eugenio in Sede sua Episcopus præficitur: cuius statim virtus enucleata clarens [g] in Sede Romulea [h] refulsit, et veluti facula ardens, omnem suam Spaniam perlustravit: cuius doctrina usque hodie fulget Ecclesia [i] ut sol et luna [j]: cuius memoria in benedictione [k] odoris, et in compositione incensi habetur. Qui ab ipsis cunabulis, et ab ineunte ætate eunuchus permanens magnum in se Domino habitaculum præparavit: qui non manubrio materiali [l], sed divino secatus est gladio; nec ingenio ferramentorum resecavit libidinem, sed munere cælesti in se [m] promeruit sanctitatem. Qui subito dono superno afflatus [n] his tantis ta-

VARIANTES LECTIONES.

Nos sequuti sumus editionem Florezii ab ipso collatam cum plurimis editionibus, et codicibus MS. quos ita citabimus, ut A. denotet editionem Aguirrianam: Æ. codicem Æmilianensem, medio sæculo XI. conscriptum, atque ex Monasterio S. Æmiliani *de la Cogulla* ad Scurialense translatum: S. Surianam editionem: T. Toletanum codicem: Ta. Tamaii lectionem apud Bolandianos.

[a] Æ. *mellifluæ.*

[b] Deest *et* in A.

[c] A. *tempore aliquo.*

[d] A. et Ta. *Divorum.*

[e] Deest *infra* in A.

[f] A. *notatas habemus.*

[g] T. Ta. et Mabillonius *cluens*: A. *lucens.*

[h] *Romuleam* vocat Sedem Toletanam, eo quòd esset in urbe regia Toleto; quod iam pridem a Nicolao Antonio observatum fuit.

[i] In A. deest *Ecclesia.*

[j] Ta. legunt: *ut sole luna.*

[k] Ita Ta. Æ. habet, *cuius benedictione.* T. verò, *cuius memoriæ benedictione.*

[l] Æ. *manubrio manuum.* Ta. *manubio*, *vel manu.* A. *manubrio materiali manus.*

[m] Deest *in se* in A. et Ta.

[n] Æ. *afflatis.*

Digitized by Google

talibusque prædecessoribus suis æquiter [o] clarens, quod illis clausum fuerat, isti reseratum est.

3. Sic enim habitator suus Spiritus sanctus egit, ut quod iste celabat intus, ille patefaceret foris, ut utrobique adparatus [p] adiutor fortissimus occurreret, ut isti ordinaret quid in laudes [q] Virginum panderet, illi revelaret quid [r] aliquid mirum in athletam ostenderet, unde [s] fidei eius meritum coram hominibus declararet, et laborantem in agone spirituali de [t] donariis suis non evacuaret. Sic enim egit, ut quod per tot annos populis desiderantibus necdum ostensum fuerat illis, isti [u] patefaceret primùm, et Reliquias sanctæ ac Deo dicatæ Virginis et Confessoris [v] suæ Leocadiæ, adveniente [x] in Sede Regia, sua festivitate omnibus adstantibus præsentasset, et ante sepulcrum eius genibus provolutus, tumulus [y] in quo sanctum [z] eius corpusculum usque hodie humatum est, exiliret [a], et operculum quod vix triginta iuvenes movere possunt, non humanis manibus, sed Angelicis elevatum, velum quod sanctæ Virginis [b] membra tegebat, vivens [c] foris submitteret, et veluti manibus hominum extensum conspectui eius Virgo pulcherrima obsequens adventaret, clamantibus Episcopis, Principibus, Presbyteris ac Diaconibus, Clero, atque omni populo, DEO GRATIAS IN CÆLO, DEO GRATIAS IN TERRA, nemine tacente. Ipsa [d] verò manibus statim complexans et adstringens talia fertur depromere vota, vociferans cum omni populo, et clamans: DEO GRATIAS. VIVIT DOMINA MEA PER VITAM ILDEPHONSI, et ipsum retexens [e] Clerus vehementer psallebat *Alleluia* [f], et Canticum quod ipse dominus Ildephonsus nuper [g] fecerat: *Speciosa facta est, Alleluia: et odor tuus velut balsamum non mistum* [h], et alia quæ in ipsa Missa quæ subter est adnotata, in laude eius deprompserat.

4. Clamabat inter voces populi velut mugiens, ut aliquod incisorium deferrent, unde quod manibus tenebat præcideret, et nemo illi accurrebat [i], quia populus vastis ictibus [j] rictibusque frendebat. Nam et sancta Virgo quod voluntate submiserat, ut desideria crescerent [k], violenta [l] re-

N tra-

[o] A. *æqualiter.*
[p] A. *et utrobique adoperatus.* Hæc tota periodus non legitur in Ta.
[q] A. *quod in laudes.* Æ. *laudis.*
[r] A. et T. *illis revelaret quod.*
[s] A. *unum.*
[t] Deest in A. *de.*
[u] T. *iste.*
[v] Deest in A. *confessoris.*
[x] A. *adveniente Rege in Sede Regia sepulcrum &c.*
[y] Mab. *forte tumulo.*
[z] A. *sanctissimum.*
[a] A. *ut exiliret.*
[b] A. *Martyris.*
[c] Ta. *virens.* A. *consurrexit, tamquam illud ipsa vivens foras submitteret, et veluti manibus hominum extensum elevaretur, atque conspectui, &c.*
[d] Ita legit A. et Cerrat. in Vita S. Ildeph. similiter scribit *ipsa.* Alii MS. habent *ipse*, sed prior lectio omni iure retinenda est.
[e] A. *repetens.*
[f] Æ. *Alleluiaticum.*
[g] A. *graviter.*
[h] Hæc ultima verba: *et odor* &c. desiderantur in A.
[i] Æ. *occurrebat.*
[j] T. *vocibus.*
[k] Et hæc verba: *ut desideria crescerent*, desunt in A.
[l] T. *violenter.*

Digitized by Google

trahebat. Sed Princeps quondam Reccesvinthus, qui eius tempore erat, gloria et ferocitate [l] terrena deposita (qui eum ob iniquitates suas increpatas [m] superbo oculo intuebatur) cultrum modicum, quem in theca tenebat cum lacrymis offerebat, et collo submisso, supplicibus manibus [n] a throno suo extentis, ut eum illi deferrent instantius [o] deprecabatur, postulans ut indignum non iudicaret sua cum lacrymis offerentem. Quem ille adprehendens, quod manu læva iam modicum tenebat, dextra præcidit, et cultrum ipsum unà cum eisdem Reliquiis in thecis [p] argenteis conlocavit; indignum iudicans, ut qui sancta præciderat, polluta ultra tangeret [q]: sed coram requirenti munus, quantum valebat vicario iure præcepit [r] impendi. His peractis, quia longum est ista omnia enodari, cuncta quæ usui [s] pertinebant sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, in Dei laudibus usquequaque completa sunt.

5. His excursis [t] alia adhuc miracula Spiritus sanctus per eum in ipso Dominico adventu non post multos dies peregit. Sed quia omnia longa sunt recenseri, quæ eius temporibus in Toletana urbe domnus Urbanus et domnus Evantius per eum facta narrabant, vel ex multis pauca progrediamur [u]; quia qui mecum hoc audierunt, cum hæc legerint, dolebunt prætermisisse me tam multa et magna, quæ utique mecum sciunt.

6. Superveniente verò die [v] sanctæ et semper virginis Mariæ, ante tres [x] dies Letanias peregit, et Missam superscriptam, quæ in eius laude decantaretur, perfecit, quæ est septima. At ubi ventum est in eius sanctam solemnitatem, supradictus Rex minus de timore Dei solicitus, et de suis iniquitatibus malè conscius, ad audienda solemnia regali de more paratus accessit. Nam servus [y] Dei Ildephonsus maiori adhuc munere fretus, dum diem Dominæ suæ, cui Deo præsule serviebat, ovans susciperet [z], et in laudem Genitricis Dei hoc quod supra prænotavimus, summo cum cordis affectu harmoniæ modulatione composita musica [a] appareret, et Libellum virginitatis more Synonymiæ testimoniis veteris ac novi Testamenti plenum comptè ederet, et digna facundia magnificentiam iam præfatæ Dominæ suæ [b] exornaret [c], dum

[l] A. *felicitate.*
[m] Ita Ta. Æ. *ab eo ob iniquitates suas increpabatur.* T. *qui cum ob iniquitates suas increpato.* A. *increpitus.*
[n] A. *supplices manus...... extendens.*
[o] A. *instanter.*
[p] A. *tectis.*
[q] Æ. *non tangeret.* A. *tangeret. Requirentis manus &c.*
[r] Æ. *vicario præcepit.*
[s] Ita T. Æ. *visui.*
[t] A. et Ta. *excussis.*
[u] Ita Æ. A. et Ta. *aggrediamur.*
[v] A. et T. *die Assumptionis*, quod non habet Æ.
[x] A. et Ta. *ante tres dies tribus diebus.*
[y] A. *rebus.*
[z] Ta. *dum celebritatem Dominæ suæ .... orans susciperet.*
[a] Æ. *Mystica.* Ta. *musicæ appeteret.* A. *barmonica modulatione composita carmina appararet.*
[b] Ita in T. Æ. habet *dignæ facundiæ ad magnificentiam ac fautæ &c.* A. *digna facundia ac magnificentia.*
[c] S. *festum exornasset.*

Digitized by Google

dum ante horas matutinas solito more ad obsequia Dei [d] peragenda consurgeret, ut [e] vigilias suas Domino consecraret; Diaconus vel Subdiaconus, atque Clerus ante eum cum faculis [f] præcedentes, subitò ostia atrii aperientes, et Ecclesiam intrantes, atque in splendore cælesti oculos defigentes [g], lumen quod ferre non valuerunt cum tremore fugientes, lampades [h] quas manibus tenebant reliquerunt, et sua vestigia per quæ venerant adeuntes, propè mortui reversi sunt ad sodales. Solicitè omnis congregatio requirens quid Dei servus ageret [i], cum Angelicis choris viderunt [j]: quod tam subito expaverunt custodes, ut terga ab hostio Ecclesiæ dantes, reverterentur [k] ad proprias sedes.

7. At ille sibi benè conscius ante altare sanctæ Virginis procidens reperit in cathedra eburnea [l] ipsam Dominam sedentem, ubi solitus erat Episcopus sedere [ll] et populum salutare: (quam cathedram nullus Episcopus adire tentavit, nisi postea domnus Sisibertus, qui statim Sedem ipsam [m] perdens, exilio relegatus est) Et elevatis oculis suis suspexit in circuitu eius, et vidit omnem absidem Ecclesiæ repletam Virginum turmis de canticis [n] David admodulata suavitate aliquid decantantes. Aspiciensque in eam (ut ipse sibi benè consciis et bene charissimis [o] referebat) sic eum adloquuta est voce: *Propera in occursum, serve Dei charissime [p], accipe munusculum de manu mea, quod de thesauro Filii mei tibi adtuli: sic enim tibi opus est, ut benedictione tegminis quæ tibi delata [q] est, in meo tantùm die [r] utaris: et quia oculis fidei fixis in meo semper servitio permansisti [s], et in laudem [t] meam diffusa in labiis tuis gratiâ tam dulciter in cordibus [u] fidelium depinxisti, et vestimentis gloriæ [v] iam in hac vita orneris, et in futuro in promptuariis meis cum aliis servis filii mei læteris.* [x]

8. Et hæc dicens ab oculis eius una cum Virginibus et luce qua venerat, remeavit. Remansit Dei servus in tantum solicitus [y] de adipiscenda gloria, quantum perspicuus [z] de sibi donata palma victoriæ. [a]

EXPLICIT. [b]

[d] T. *Deo.*
[e] Æ. *et vigilias.*
[f] A. *vasculis.*
[g] A. *splendori cælesti aciem defigentes.*
[h] A. et Ta. *effugientes, lampadas &c.*
[i] A. et Ta. *quid de Dei servo ageretur.*
[j] *Viderunt* deest in plerisque omnibus codicibus, sed habet Aguir. et quidem opportunè.
[k] Æ. *expavebant ..... revertebantur.*
[l] *Eburnea* non legitur in A. et Ta.
[ll] A. et Ta. *residere.*
[m] Æ. *ipsam lapsam*, quod non habet Ta.
[n] Ita T. Æ. *canticulis.*
[o] A. *conscius benè charissimis.*
[p] Æ. *rectissimè.*
[q] A. *data.* Ta. *danda.*
[r] A. *in meo tantùm servitio.*
[s] A. et Ta. *oculos fixos in meo semper servitio tenens permansisti.*
[t] A. et Ta. *et laudem.*
[u] Ita T. alii aliter.
[v] A. et Ta. *Ecclesiæ.*
[x] A. et Ta. *lætaberis.* Mabil. *lactaberis.*
[y] Ita Æ. T. *securus.*
[z] T. *præscius.*
[a] S. *de promissa sibi victoriæ palma.*
[b] Hic finis vitæ in codice Æmil. Tolet. verò prosequitur: *Præstante D. N. Iesu-Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit, et cuncta regit per infinita semper sæcula sæculorum. Amen.*

ALIA EIUSDEM S. ILDEPHONSI VITA

Per Rodericum Cerratensem [1] *scripta.*

Ildephonsus ex Hispania, civitate Toletana nobilibus parentibus oriundus, nobili Toletanæ Sedis Præsuli Eugenio traditur nutriendus. Quem sanctus Eugenius bonis moribus, et litterarum rudimentis instruens diligenter, capacitatem eius adtendens, ad beatum Isidorum Archipræsulem Hispalensem transmisit eum, apud quem omnis eloquentiæ doctrina, artium disciplina, Theologiæ et speculatio ita vigebat, ut omnes qui ad eum confluebant, pro capacitate singulorum instruebat.

2. Ildephonsus igitur a B.Isidoro et propter genus, et propter Eugenium benignè susceptus, et eius subiectus dogmatibus, cum in liberalium artium studio plurimum laborasset, in lege Domini studiosiùs aciem infigebat. His atque aliis exercitiis honestis toto mentis affectu teneris adhuc sub annis semper intendens, adolescentulis qui secum studebant, in exemplum humanæ vitæ seipsum proponens, non solum ab illicitis revocabat, verùm etiam bonis operibus inhærendo ad bonum operandum informabat. Nullus eo studiosiùs lectioni instabat: frequentiùs eo nullus orationi vacabat. Legendi tamen, atque orandi vices inter se sic distinguebat, ut nec lectio impediret orationem, nec oratio lectionem; sed ut attentius vel legeret, vel oraret, illi vicisim relevamen erat orationis lectio, et lectionis oratio. Ubicumque iret eum oratio comitabatur euntem et redeuntem: in sæculari autem conversatione illa nihil indecens, nil inhonestum erat in eo; sed ut servus Christi, et Sanctorum imitator, non solum sapientia proficiebat, sed et augmento virtutum mirabiliter crescebat.

3. Transacta autem puerili ætate, cum illam cui carnis oblectamenta alludunt veniret ætatem, motus illicitos volens reprimere, corpus suum muro virtutum, contrarias earum qualitates contrariis vitiorum qualitatibus opponens, ita circumscripsit, ut non solum vitiis non pateret ingressus, verum etiam nisi per tentationum infestationem interdiceretur accessus; permittebatur enim sicut et ceteri Sancti tentari, non ad virtutum defectum, sed ad probationis profectum. Ex affectu autem pietatis miseriæ pauperum condescendebat: ex sigillo castitatis virginitatis lilium non amittebat: et cetera virtutum ornamenta Deo offerens, Deo placens se totum Domino immolabat.

Re-

(1) Fuit Rodericus hic Cerratensis Hispanus Ordinis F. Prædicatorum. Vixit sæculo XIII. scripsitque Sanctorale, seu vitas Sanctorum, quorum gesta partim ex antiquis Ecclesiarum Breviariis, partim ex historicis collegit. Opus adhuc ineditum, si aliquorum Sanctorum vitas excipias, quas R. P. Florez publici iuris fecit in sua Hispania sacra, ex quo nos hanc Ildephonsi transcribimus.

Digitized by Google

4. Relictis denique sæcularibus disciplinis ad beatum Eugenium reversus, ab eo [1] in Diaconum est ordinatus. Ne autem vita sua, quam immaculatam servaverat, delectatione temporalium macularetur, in Ecclesia sanctorum Cosmæ et Damiani, quæ in suburbio sita est Toletano, quæ antiquitus Agaliense monasterium dicebatur, relictis parentibus, cum aliis qui habitabant ibi servire Deo devovit. Cumque ad locum prædictum pergeret, et patrem suum rapido furore se persequentem a longe conspiceret, ne a proposito fraudaretur, in vetusta macerie se occultavit: pater verò latibulum præteriens Agaliense monasterium comminando petiit, et eum non inveniens rediit. Reverso igitur patre Monasterium adiit, et habitum suscepit.

5. Multis annis transactis, cum nulli in Religione haberetur secundus, factus est Abbas. Factus igitur Abbas res Ecclesiæ ordinabat, omnibus necessaria ministrabat. Mores omnium circumspiciens, qualitates morum attendens, singulis prout necessarium erat se ipsum exhibebat, mansuetis mansuetus, contra verò offensos offensos habebat affectus. Nam

Ensis offensis erat Abbas Agaliensis.

6. In villa autem quæ tunc Bisensis dicebatur, virginum cœnobium ædificavit, et propriis facultatibus ditavit. Fama autem eius per totam Hispaniam divulgata, cum nec sanctior, nec probabilior, nec eloquentior, nec illustrior, nec rectior, nec scientia perfectior eo inveniri posset, defuncto Eugenio a Clero et populo Toletum reducitur, et omnibus eum laudantibus Pontifex subrogatur. Factus ergo Pontifex prædicationis mensam pro qualitate singulorum omnibus præparabat.

7. Quadam die dum sanctæ Leocadiæ festivitas immineret, dum omnes festivitati celebrandæ convenirent, dum sanctus Ildephonsus ad sepulcrum eius flexis genibus oraret, virgo illa sacra coram omnibus ibi adstantibus illi se præsentavit. Cum autem vir sanctus in eius præsentiam occurreret, ipsa quasi eum amplexans, huiusmodi protulit verba: *Per vitam Ildephonsi vivit Domina mea.* Atque ideò eam hæc verba protulisse arbitror, quia cum fides et veritas virginitatis B. Mariæ errore infidelium per totam fere Hispaniam destructa et emortua esset, librum de eius virginitate scripsit, per quem fides illa quasi mortua revixit, et errorem penitus destruxit. Sed ut memoriam revelationis posteris relinqueret, partem vestimenti quod membra illius viventis texerat, Reccesvindi Principis qui festo intererat, cultro præcidit, quem cum eisdem reliquiis vasculis argenteis condidit; indignum iudicans, ut qui præciderat sancta, scinderet ul-

(1) Lapsus est hic Cerratensis; constat enim ex ipso S. Ildephonso a S. Heladio ordinatum fuisse Diaconum, antea quam S. Eugenius Sedem Toletanam ascenderit.

ulterius polluta. Quibus peractis omnes festum virginis solemniter peregerunt.

8. Dei Genitricem multum diligebat, et omni reverentia eam honorabat: in cuius laudem volumen insigne eleganti stylo de eius sanctissima virginitate composuit, quod ita ipsi Virgini placuit, ut librum ipsum manu tenens ei apparuit, et pro tali opere gratias retulit. Ille autem cupiens eam altius honorare, constituit ut celebraretur solemnitas eius, id est, festum Annuntiationis, singulis annis octavo die ante festum Natalis Domini; ut quia festum Annuntiationis circa Passionem vel Resurrectionem Domini frequenter evenit, in prædicto die restitui possit. Et quidem satis congruè, ut eodem tempore prius Annuntiatio Domini, quam eius Nativitas celebretur: quæ solemnitas per multas Ecclesias Hispaniæ celebratur.

9. Imminente autem die festivitatis Genitricis Dei, tribus diebus ante, Litanias cum ieiunio statuit celebrari, ut festum devotiùs ageretur. Nocte igitur media ipsius festi dum ad Matutinum consurgeret, et liber virginitatis, quem ipse mira facundia composuerat, ad legendum paratus esset, ut vigilias quas Deo et beatæ Mariæ voverat expleret; Ministri qui præibant, qui luminaria portabant, ostia Ecclesiæ aperientes, intra Ecclesiam lumen cæleste viderunt, quod nullo modo ferre valentes quasi mortui relictis luminaribus cum tremore fugerunt. Ildephonsus verò imperterritus ingrediens, cum ante altare solito more genua flecteret, et benè conscius circumquaque conspiciens vidit virginum Reginam sedentem in sede ubi ipse solebat sedere, et populo prædicare. Vidit et virginum turmas laudantes eam. Cumque Virgo et vir sanctus se mutuo respicerent, ait ei Virgo sanctissima: „Quoniam mente pura, fideque firma in meis laudibus permansisti, et laudem meam in corda fidelium dulci eloquio depinxisti, et lumbos tuos virginitatis cingulo præcinxisti, de vestimentis perpetuæ gloriæ vestimentum attuli tibi, quo vestiaris in die et solemnitate mea: in hac sede sedebis. Si quis autem post te præsumpserit hoc vestimentum induere, et in hac cathedra sedere, non carebit ultione: hisque dictis disparuit, et vestimentum quod nos Albam (1) vocamus, ei reliquit. Ipse autem felicem ducens vitam, feliciter migravit ad Dominum.

10. Post quem Siargius (2) Episcopus factus ait: Sicut ego sum

(1) *Albam*, ait doctissimus Mabillonius tom. I. Annal. Benedict. lib. 15. n. 10. *absolutè quandoque vocabant casullam illam, quòd ex panno albo confecta esset.*

(2) Non Siargius sed Sisibertus dicebatur Episcopus, qui temerarium consilium suscepit quidem non, sacram vestem induendi, sed in illa cathedra sedendi, ex qua Virgo Ildephonsum fuerat allocuta, ut narrat Cixila, a quo Cerratensis est corrigendus. Neque ibi sedens repente mortuus est, sed paulo post ab Episcopali Sede depositus a Patribus in Concilio Toletano XVI. congregatis anno 693. Caput autem accusationis erat, quod in Regis vitam coniuraverat: quare communione privatus atque

Digitized by Google

sum homo, sic et hominem scio prædecessorem meum: cur non induar eo quo ipse indutus est vestimento, cum eodem fungar Præsulatus officio? Qui cum vestimento indutus esset, constrictus arctiùs, cecidit mortuus: perterritique vestimentum tulerunt, et in thesauro Ecclesiæ reposuerunt.

que in perpetuum exilium damnatus est. In tantum verò facinus ex illa superiori temeritate prorupisse credibile est, Deo sic permittente in tanti sacrilegii vindictam.

IN OPERA
SANCTI ILDEPHONSI ARCHIEPISCOPI TOLETANI
MONITUM
PRÆCIPUE IN LIBRUM
DE PERPETUA DEIPARÆ VIRGINITATE.

In editione operum S. Ildephonsi eum ordinem servare constituimus, quem illorum auctor teste S. Iuliano vivens illis præfixit. E quorum cathalogo multa a nobis desiderantur, cum tamen omnia quæcumque potuerimus, summa diligentia hinc indè collegerimus. Libri Prosopopœiæ imbecillitatis propriæ, *et duorum opusculorum* annotationum actionis diurnæ, *et* annotationum in sacris *nullum omnino vestigium reperimus. Epistolarum non ampliùs duas, quas ex emendatiori E. Martene editione repræsentamus. Sermones perpaucos, quos probabiliter Ildephonso nostro vindicare valeamus. Hymnorum, versuum, epitaphiorum, atque epigrammatum, quæ quartam operum partem componebant, ne hilum quidem.*

Præter hæc, quæ S. Iulianus commemorat, damus tamquam genuinum Ildephonsi opus supplementum ad librum de viris illustribus *a S. Isidoro incœptum. Deinde alia varia opuscula dubiæ fidei, reliqua in Appendicem amandantes, quæ immeritò S. Doctori adscribuntur, de quibus suis locis aliqua præloquemur.*

Verùm omnium S. Ildephonsi operum caput, quodque primum summo iure locum obtinet, hoc est quod nunc exhibemus, de perpetua Deiparæ virginitate contra tres infideles *inscriptum. Liber aureus numquam pro dignitate commendandus, cuius laus, si vel reliqua monimenta periissent, poterat Ildephonsi suavissimam memoriam cum maxima pietatis et doctrinæ admiratione ad omnem futurorum sæculorum posteritatem transmittere.*

Dicitur scriptus ἀντὶ τριῶν ἀπίςων, *hoc est adversus tres Infideles, quorum nomina prodidit Ildephonsus, Helvidium, Iovinianum, et Iu-*

Digitized by Google

Iudæum. Sed utrum his nominibus ipsos Hæresiarchas, qui sæculo IV. vixerunt, significare voluerit, an verò eorum discipulos, qui tunc per Hispaniam virus suum spargerent, Virginis Deiparæ perpetuam integritatem negantes, omnino nobis exploratum non est. Placet primum nonnullis, qui cùm ipsa nominum expressione moventur, tum Quirici Barchinonensis Episcopi verbis in epistola prima ad Ildephonsum, in qua multa in doctrinæ ipsius, zelique commendationem habet, ipsi propter hunc libellum ad se missum gratias agens, nihil tamen scribens, quod indicet Ildephonso negotium cum præsentibus hæreticis fuisse. Itaque concludunt, ex ardentissimo erga Deiparam affectu, desiderioque eius perpetuæ virginitatis extollendæ calamum arripuisse, superiorum hæreticorum commenta sibi tantùm in animo proponentem, quasi cuperet cum Hieronymo, Ambrosio, Augustino, ceterisque Patribus, qui data operâ eos acriter impugnarunt, symbolam conferre in Deiparæ Virginis obsequium.

Alii contra censent, Ildephonsum non gratis ad hoc opus se accinxisse, nec nisi ab illius temporis adversariis antea provocatum, qui in Hispaniam erumpentes novi impiorum magistrorum discipuli putidas adversus Deiparæ virginitatem calumnias disseminaverant: quibus et nos libenter assentimur. Neque enim credibile est Ildephonsum solius acuendi in hæresim styli gratiâ eam quasi e tumulo excitaturum fuisse, horrendas ac inauditas apud nos blasphemias, etiam ut eas validè retunderet, non sine piarum aurium offensione reproducendo, quod quidem temere facturum fuisse videtur; deinde rem, ut nos putamus accidisse, narrat Rodericus Archiep. Tolet. lib. 2. de Reb. Hisp. cap. ult. his verbis: Huius tempore cum Helvidius, et Pelagius (*erravit in hoc Pelagium pro Ioviniano scribens, ut habent communiter codices MSS.* de virginitate) a Galliis venientes plerasque partes Hispaniæ infecissent, virginitatem B. Virginis infamantes, B. Ildephonsus illis occurrens sacrarum Scripturarum testimoniis, et lingua melliflua, et gratia in labiis suis diffusa eorum dogmata confutavit, et ab Hispania confusos abegit. *Cui consonat historia translationis reliquiarum e Toleto in Asturias incerti auctoris, qui inter alia pallium recensens a B. Virgine Ildephonso donatum, fuisse ait mercedem* pro laudibus in honorem sanctæ ipsius virginitatis celebratis, ubi ipse S. Episcopus gloriosus contulit adversus Heliudum, et Lobinianum, *ut mendosè edidit Sandovalius pro* Helvidium, *et* Iovinianum.

Præter hæc nos movent illa verba a S. Leocadia in apparitione, quam narrat Cixila, pronuntiata in laudem Ildephonsi: Vivit Domina mea per vitam Ildephonsi. (*A Leocadia quidem prolata dicimus, non a populo, non ab ipso Ildephonso, ut quidam interpretati sunt alicuius codicis auctoritate decepti, qui mendo-*

dosè habet ipse amplexans , *pro* ipsa *contra aliorum codicum fidem , contra antiquissimam ipsius Ecclesiæ Toletanæ intelligentiam , contra veterum Scriptorum , et Breviariorum testimonia, denique contra genuinum ipsorum verborum sensum , quæ nihil in ore populi sonant , impropriè in ore Ildephonsi significant propter iusiurandum illud* per vitam Ildephonsi , *et* Dominæ *compellationem Leocadiæ tributam , aptissimè verò et opportunè in ore S. Leocadiæ , quæ in Ildephonsi commendationem coram suo grege ea protulerit , qua de re videndus P. Florez in app.8. ad tom.V.*) *Ut vero ad nostra redeamus , verba illa* vivit Domina mea *Maria scilicet , ut edidit Mabillonius ex suis CC. satis indicant operâ Ildephonsi factum fuisse , ut fides perpetuæ virginitatis , et pia erga Deiparam devotio in cordibus fidelium revivisceret , in quibus illis temporibus vel languebat , vel emortua erat propter venenatas hæreticorum opiniones , quas suis scriptis penitus profligavit. Eamdem verborum istorum interpretationem sæculo iam XIII. exhibuit Rodericus Cerratensis in vita superiùs edita. Quod si non cum præsentibus hæreticis rem habuisset , fides verò de perpetua Deiparæ virginitate in Hispania viguisset, non erat certè quarè diceretur , per illum quasi ex morte ad vitam fuisse revocatam.*

Ergo arbitramur fuisse tunc homines impios et in Dei genitricem blasphemos , antiquorum errorum sectatores , quos sub larvato suorum Antesignanorum nomine Ildephonsus hoc libello insectatus fuit ; simul autem totam Iudæorum gentem , cuius notissima est in Mariæ virginitatem invidia , sub uno Iudæi nomine etiam delendam ac prosternendam suscepisse. Et verò unumquemque suo telo confodit : primo capite Iovinianum , ostendens Mariam quæ virgo , ut fatebatur , conceperat , virginitatem in partu non amisisse ; secundo Helvidium , evincens post partum toto vitæ tempore virginem permansisse ; tertio denique et sequentibus Iudæum , qui integritatem perpetuam in puerpera respuebat , innumeris Scripturæ testimoniis atque omni argumentorum genere insequitur , priores interim hostes quos singillatim iam debellarat , novis usque ad exterminium et deletionem vulneribus conficiens.

Dictus etiam a nonnullis hic liber Synonymorum , *stylum quo conscriptus est , hoc nomine indicantibus. In eo verò carpitur ad quibusdam , qui cuperent S. Doctorem ad severas Rhetorices leges , minutissimasque benè dicendi regulas singula verba exegisse. Sed optaremus nos , ut in SS. Patrum scriptis expendendis humaniores sese et indulgentiores præberent : præsertim cum nec Ildephonso exemplum defuerit quod absque reprehensione imitaretur Magni Isidori præceptoris sui , qui in libro de lamentatione animæ peccatricis eo stylo usus est , ideoque* Synonymam *appellavit ; deinde verò prædicta scribendi ratio ad rem non ita importuna censeri debeat. Certè Ildephonsus quasi quodam*

Digitized by Google

animi æstu correptus et amore in Deiparam, et iusta ira in blasphemos succensi, opportunum fore putavit ad eos acrius urgendos, si infinita illa synonymorum copia super eadem sententia eos oneraret, et quasi obrueret, ut eius pondere pressi ne mutire quidem adversus veritatem valerent. Habent enim quam nescio vim conglobata verba atque sententiæ, quæ instar torrentis rapidissimi ac præcipitis omne repagulum superant, omnia diruunt, et quæcumque offendunt, secum involvunt.

Itaque animi inflammati devotio, ipsaque præsentis argumenti natura Ildephonsum ad eam scribendi rationem adduxerunt, qua in aliis opusculis certè usus non est. Temerè ergo asseritur eam fuisse ipsi propriam quodammodo et peculiarem, falsique sunt in eo viri aliàs doctissimi, qui propter solam styli diversitatem, quæ verbis synonymis non abundare deprehenderunt opuscula, continuò Ildephonso abiudicare non dubitarunt.

Ternas huius operis editiones hactenus vidimus: unam a Michaële Carranza Carmelita Valentiæ Hedetanorum factam anno 1556. nec multo post bis extra Hispaniam recusam: alteram a Francisco Feu-ardentio Ordinis Minorum, Theologo Parisiensi adornatam Parisiis anno 1576. auctiorem equidem et emendatiorem priore ex collatione veteris MS: tertiam denique ab editoribus Bibliothecæ SS. Patrum ex ipsa Feu-ardentii expressam. Quibus omnibus nos quartam correctiorem daturos haùd dubiè promittimus. Cui rei nobis auxilio fuere tres codices MSS. ad quos Feu-ardentii editionem exegimus. Ex quibus saniores lectiones communi præsertim codicum suffragio confirmatas in contextum immisimus, reiectis vulgatis: reliquas variantes ad imam oram annotavimus.

Codices verò quibus usi sumus hi sunt. Primus omniumque vetustior cœnobii Toletani FF. Calceatorum Ordinis SS. Trinitatis, in cuius Tabulario asservatur, anno 1067. conscriptus a Salomone Archipresbytero S. Ecclesiæ Toletanæ sub Paschali eiusdem Archiepiscopo, cuius Præsulis cum mentionem faceret P. Florez tom. V. Hispaniæ sacræ, huius codicis post Nicolaum Anton. notitiam exhibuit. Alter est ex Bibliotheca S. Ecclesiæ Toletanæ sæculo XII. aut XIII. quantum ex caractere coniicimus, exaratus. Tertius denique ex ipsamet Bibliotheca, sed ex Gallia adsportatus, ubi iussu Cardinalis Amelii sæculo XIV. ex vetustissimo codice Gotescalci excriptus fuit, et quidem accuratissimè: namque ceteros et membrana, et caractere, et emendatiori scriptura longè superat. Continet autem præter hunc de virginitate Deiparæ *librum, cetera quæ Feu-ardentii editio iam citata complectitur, nempe libellum* de parturitione B. Virginis; *et sermones nonnullos. Sed de his suo loco.*

Digitized by Google

DE VIRGINITATE PERPETUA S. MARIÆ
ADVERSUS TRES INFIDELES
LIBER UNICUS.

INCIPIT
ORATIO ET CONFESSIO S. ILDEPHONSI.

Deus lumen verum, qui inluminas omnem hominem venientem in hunc mundum. Deus qui das sapientiam parvulis, insipientesque convocas, ut ambulent per viam prudentiæ. Deus qui ex immundo mundum facis, et tollens peccata iustificas sine opere [1] peccatorem, da mihi lumen, per quod te videam, da mihi sapientiam, ut te intelligam, da iniquitatibus meis veniam, ut consequar misericordiam tuam. Namque ideo Domine vincor amore, impellor dulcedine, trahor dilectione, ut veluti sub prælo dulcedinis effundam vinum sacræ confessionis. Et quia non est substantia bonorum operum, sit fructus bonarum confessionum. Quia enim vincula et pressuræ peccaminum, pondus et pericula, exitium

(1) *Iustificas sine opere peccatorem.* Sic habet Parisiensis editio Feu-ardentii, qui ex suo codice supplevit, sicut alia satis multa, illa verba *sine opere*, quæ in vulgata editione desiderabantur. Et nos postquam maturiùs hunc locum perpendimus, similiter edere constituimus; non dubitantes quin si codicibus MSS. habenda est fides, ita scripserit S.D. Ildephonsus: omnes enim quos quidem viderimus, ea de re nos admonent. Siquidem in codice Conventus Tolet. SS. Trinitatis sæculi XI. cum e media membrana tota hæc periodus errassa fuisset ab imperito aliquo lectore, qui doctrinam a fide Catholica alienam in ea sibi animadvertere visus est; tamen ad membranæ illius oram legitur si non eadem manu, certè caractere Gothico persimili scripta, qui proxima illius sæculi tempora redolet. In alio item codice S. Ecclesiæ Toletanæ recentiori prima huius tractatus membrana abscissa est, quod credimus consultò et data opera factum fuisse, maximè cum reliquus integer sit, et ex omni parte sanus. Deinde in Ameliano, qui ut supra monuimus iussu Cardinalis Amelii ex vetustissimo codice summa diligentia exaratus fuit, clarè et apertè leguntur illa verba, *sine opere*. Tandem in editione huius operis, quam sæculo XVI. Valentiæ Edetanorum curavit Fr. Michael Carranza desiderantur quidem, sed locus verborum asterisco (*) notatur, qui indicaret legentibus, et ipsum Carranzam in MSS. quibus in opere edendo usus est, eamdem lacunam reperisse. Facinus indignum! quod mirari quisque desinet, cum ad superiora sæcula converterit animum: forsan enim ab hominibus magis religiosis quàm doctis commissum est, ne ansam inde quis malè feriatus arriperet ad errorem confingendum, in malum sensum illa verba detorquens, quasi homines per solam fidem sine ulla alia dispositione, aut bono opere iustificari posse dixisset Ildephonsus, qui postea unus ex Calvinianæ hæreseos articulis fuit. Sed quando id Carranzæ temporibus aliisque daretur, nos certè nunc non videmus, quare dissimulare oporteat, et non potiùs veritati apertè litare, maximè cum Ildephonsi verba in catholico et sano sensu pronuntiari posse, et accipi debere, nemo existat in theologico studio versatus qui non vel prima fronte videat.

Enimverò peccatoris iustificatio, sive eius initia contemplemur, cum Deus per gratias suas actuales cor hominis emollire ac præparare incipit, sive ipsam dum per

tium et damna urgent animam iniquitati deditam, et quia non est aliud nomen sub cœlo datum, in quo possim salvus fieri, nisi tuum, Christe Iesu Fili Dei vivi: ideo refugium confessionis quæro, remedium ex confessione deposco, subsidium de amore confessionis imploro, ut ego impius multa te diligam pietate, cùm tua pietas meam diluerit multam iniquitatem. Attendant ergo cæli, et omnia quæ in eis sunt: attendat terra, et omnia quæ habentur in ea: attendat mare, et omnia quæ moventur in eo: et audiant me pia confessione credentem esse te Christum Iesum Filium Dei vivi, qui in hunc mundum venisti, non ut iudices me, sed ut salves me, ut ego credens in nomine sancto tuo habeam vitam æternam. Sicque omnium creaturarum testimonio confessor inventus, confitear te in cælis, quem confiteri non erubesco in terris. Et ipse me de peccatorum sordibus, omniumque adversitatum impulsionibus eruas; quem a contradictionibus infidelium confessionis meæ vindicat fides, vendicator assistas. Audite me itaque cum antiquitatis auctoribus o Moyses antiquiora loquens: cum prophetis Esaias potentiora vaticinans; cum Evangelistis Matthæe prima pronuntians; cum Apostolis electe Petre insignia prædicans, intra omnem Ecclesiam Dei felicium turba doctorum vera dicens, atque salutaria disserens; hæc me pro certo credere, quæ credenda intenditis prædicare: hæc me piissimè confiteri, quæ ipsi veraciter confitemini: hæc me et ipsa nuntia-

per gratiæ sanctificantis infusionem perficitur, spectemus, semper est omnino gratiosa, adeoque non ex hominis operibus; alioquin, ut ait Apostolus ad Rom. 11. *gratia iam non est gratia.* Hoc igitur sensu Ildephonsi sententiam interpretari debemus. Et verò si de initio iustificationis accipiatur, illud *sine opere* omne opus hominis sive naturale, sive supernaturale excludit: quod adversus Pelagium dictum fuerit, qui liberi arbitrii viribus naturalibus tantum tribuebat, ut assereret posse hominem propriis naturalibus meritis primam gratiam promereri. Si tamen de perfecta iustificatione exponatur, eo sensu loquutum fuisse dicemus, quo Apostolus 1. ad Roman. cap. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Et ad Tit. 3. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Viden' ut secundum Apostolum iustificamur *gratìs, et non ex operibus*? Quid ergo? Nullumne opus nostrum, nulla fides, nullus spei actus, nulla delictorum pœnitentia ac detestatio nostram iustificationem præcedere debebit? Minime. Quid ergo est, quod *gratìs*, quod *sine operibus* ad iustitiam pervenire dicimur? Audi Concilium Tridentinum ses. 6. cap. 8. *Gratìs iustificari a Deo dicimur, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, sive fides, sive opera ipsam iustificationis gratiam promeretur.* Eodem sensu interpretatus antea fuerat illa verba Pauli D. Thomas in expositione illius epistolæ. *Primò ostendit*, scribit Doctor Angelicus, *quòd huiusmodi iustificatio est sine lege, id est, quod non est ex operibus legis. Cum dicit* iustificari gratìs, *id est sine merito præcedentium operum.* Esaiæ 52. *Gratis venundati estis, et sine argento redimemini.* In eumdem sensum intelligenda sunt illa verba Psalmi 55. vers. 8. *Pro nihilo salvos facies illos*; id est, *non proprio merito, sed Dei clementia*, ut exponit S. Hieronymus dialog. 2. contra Pelagianos versus finem. Mittimus innumera alia S. Patrum testimonia, præsertim D. Augustini in hanc sententiam: nec enim dissertationem scribere meditamur, sed tantùm aliorum exemplis Ildephonsum nostrum ab invidia vindicare, quam apud imperitos rudesque hic loquendi modus creare illi potuit. Quibus omnibus lectores intelligent, non levibus momentis adductos hanc nos lectionem retinuisse, quam nefas putavimus reiicere contra omnium codicum MSS. fidem.

Digitized by Google

tiare, quæ annuntianda docetis. Audite me his posse quibus possum veram obedientiam dare, quibus toto posse universam Ecclesiam Dei decernitis obedire. Unde quia credidi, propter hoc loquar: quia audivi, non tacebo: quia diligo, annuntiabo: nihil per contentionem et inanem gloriam in omni mea propositione insinuans, nihil in contradictionem sanctæ veritatis instituens, nihil quod subvertat, sed quod aut inveniat, aut reseret veritatem intendens.[a] Quod si, quod abundans miseratio divinæ pietatis avertat, indiscretum errabundumque tractantis intentio illìc casuali, vel imperito scribentis conatu deduxerit hæbetantem, ubi aliter verum sanæ scientiæ lumen, verum docentium exemplum effulserit, gratus obedio, devotus assentior, citus occurro. Nihil profanum in confessione habens: nihil alienum a pietate, quæ Deus est, tenens: nihil quod unam et sacram fidem impugnet, in omni præcordiorum abdito gerens: nihil prorsus quod divinis rebus obviet, nihil quod sanctis sacramentis obsistat, nihil quod sacris mysteriis adversetur. Non ergo me prælatus contemnat, non mihi æqualis deroget, non mihi subditus insultet, non me quis de domo lacesset, non me de foro detractet, non religiosus susurret, non popularis immurmuret, non adolescentem senex abnuat, non coævum iuvenis aspernetur, non minorem natu ætas sera derideat, non doctus exprobret, non ignarus abiiciat, non potentior repellat, non humilior avertat, non discipulus molestet, non famulus convexet, non ætas calumnietur, non sexus causetur. Manet enim veritas in æternum. Vivit quod verum est. Non desinit quod a vero procedit. Falso non decidit verum. Fallaciis non vincitur veritas. Falsis non commutantur quæ vera sunt. Et si fallaciarum umbris obtegatur veritas, revelabit quæ vera sunt abdita veritas. Quod enim falsum est non stabit: quod verum est non deficiet: quod extra veritatem est, cassum erit: quod a veritate procul est, inanescet: quia veritas Deus est, et quæ Dei sunt, vera sunt, et quæ ex Deo sunt, sola veritate subsistunt. Inde qui Dominum annuntiat, veritatem enarrat. Qui de Deo vera dicit, veritatis cognitionem pandit. Qui ea quæ vera sunt asserit, veritatis iura defendit. Qui veritatem amplectitur, Dominum diligit. Qui veritatem facit, Dei voluntatem adimplet. Deus certè occulta novit: Deus absconsa cognoscit: Deus abdita penetrat: Deus perscrutatur occulta. Proinde novit qui depravat verum, scit qui immutat veritatem, intelligit qui veritatem minuit, in aperto sapit qui veritatem extinguit. Veniet prorsus, veniet, nec longè est.

Ve-

VARIANTES LECTIONES.

[a] Veram huius periodi lectionem ex nostris CC. MSS. Trin. et Amelian. restituimus. Sic enim in vulgata Feu-ard. legebatur. *Quod si...... indiscretum errantemque, dum tractantis intentio illuc casu aliquo, vel imperitus scribentis conatus me deduxerit hæbetantem, ubi aliter.... verè docentium exemplis effulserit, &c.*

Digitized by Google

Veniet de proximo, veniet e vicino. Sed cum exarserit in brevi, cum venerit in maiestate, cum fuerit in circuitu eius tempestas valida, cum ante eum præcesserit ignis, tunc beati omnes qui illum veraciter diligunt, beati qui de illo vera dicunt, beati qui veritatem non spernunt, beati qui faciunt in veritate iustitiam, beati qui custodiunt in veritate iudicium, et beati omnes qui confidunt in eum. Iudex enim veniet, districtus occurret, metuendus aderit, terribilis apparebit. Omnia ergo prospectant, omnia intendant, omnia considerent, me ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute, ex totis præcordiis, ex totis visceribus, ex eo quod sapio, ex eo quod enarro, ex eo quod intelligo, non aliud quam veritatem inquirere, non aliud quàm veritatem diligere, non plus aliud quàm divinam veritatem inquirere, non aliud quàm Deum et quæ Dei sunt vendicare: solis adversariis Dei resistens, solis prophanatoribus et prophanationibus cunctis obvius existens, solis contradicentibus veritati amore veritatis adversans. Hæc ago, ut cùm vita ista (quæ tentatio est super terram) fatigaverit ægrum, veritas illa quæ Deus est, tegat salvandum, et in sæcula sæculorum possideat viviturum. Amen.

CAPUT I.

Synonymorum torrente contra Iovinianum ostendit beatissimam Dei matrem in conceptu, et partu virginem permansisse, Dei dono, atque gratia singulari.

O Domina mea, [a] dominatrix mea, dominans mihi, mater Domini mei, ancilla Filii tui, genitrix factoris mundi, te rogo, te oro, te quæso, habeam spiritum Domini tui, habeam spiritum Filii tui, habeam spiritum Redemptoris mei; ut de te vera et digna sapiam, de te vera [b] et digna loquar, de te vera et digna [c] quæcumque dicenda sunt, dicam. Tu enim es [d] electa a Deo, assumpta a Deo, advocata a Deo, proxima Deo, adhærens Deo, coniuncta Deo; visitata ab angelo, salutata ab angelo, benedicta ab angelo, beatificata ab angelo: turbata in sermone, attonita in cogitatione, stupefacta in salutatione, admirata in dictorum ennuntiatione [e]. Invenisse te apud Deum gratiam audis, [f] et ne timeas iuberis, fiducia roboraris, cognitione miraculorum instrueris, ad novitatem inauditæ gloriæ proveheris. De prole ab Angelo [g] pudicitia admonetur, de nomine prolis virginitas certificatur, [h] et post fœtum integra et pudica manes. Na- *Luc. I.*

[a] Vulgata Feu-ardentii: *atque dominatrix.*
[b] Ita omnes CC.MSS. nostri: Feu. *vera et digna* habet hic et immediatè.
[c] Codex SS. Trinitatis habet *quæcumque sunt diligam.*
[d] *Enim est* deest in Tr.
[e] Ita omnes cod. nost. Feu. *annuntiatione.*
[f] *Et* deest in Tr. et Am.
[g] Neuter horum habet: *ab angelo.*
[h] Quæ sequuntur verba usque ad finem periodi desiderantur similiter in utroque cod.

Digitized by Google

Nasciturum ex te sanctum,[i] Dei filium vocitandum tibi ab angelo evangelizatur, et quæ sit nascentis regis potentia, mirabiliter intimatur. Quomodo fiet quæris? de origine interrogas? de ratione [j] perscrutaris? de experientia requiris? de ordine sciscitaris? Audi inauditum oraculum, considera inusitatum opus, animadverte incognitum arcanum, attende invisum factum. Spiritus sanctus
Luc. I. superveniet in te, et altissimi virtus obumbrabit tibi. Tota invisibiliter Trinitas conceptionem operabitur in te. Sola persona Filii Dei in corpore [k] nascitura, carnem assumet de te. Ideoque quod concipietur in te [l], quod nascetur ex te, quod prodiet ex te, quod generabitur ex te, quod parturietur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Erit enim [ll] hic magnus, erit hic Deus virtutum, hic rex omnium sæculorum, hic factor omnium rerum. Ecce beata tu inter mulieres, integra inter puerperas, domina inter ancillas, regina inter sorores. Ecce enim ex hoc beatam te dicent omnes generationes [m]: beatam te noverunt omnes [n] cœlestes virtutes: beatam prædicant omnes vates: beatam celebrant omnes nationes. Beata tu fidei meæ, beata tu animæ meæ, beata dilectioni meæ [o], beata præconiis et prædicationibus meis. Prædicem te, donec prædicanda es: diligam te, donec diligenda es: laudem te, donec laudabilis es: serviam tibi, donec serviendum est gloriæ tuæ. [p] Tu accipiens solum Deum, postrema Filio Deo. Tu generans simul Deum et hominem prima homine Filio. Cui in suscipiendo tantùm hospes Deus: cui in concipiendo incola homo simul et Deus. In præterito munda Deo, in præsenti plena homine et Deo, in futuro generans hominem et Deum; [q] et fœtu et virginitate læta: et prole et pudore gavisa: et filio et sponso fidelis. Ita servans filio fidem, ut ne ipse quidem carnis suæ noverit genitorem. Ita servans sponso fidem, ut ipse te sine viro noverit genitricem. Tantò gloriabunda in filio, quanto virorum

[i] Uterque codex: *Dei filius vocitandus dicitur, et quæ sit nascentis potentia &c.*

[j] Tr. *de ratione originis.*

[k] Feu. *in corpore tuo*, quod non habet Tr. nec Am.

[l] *In te* omn. nost. Feu. *ex te.*

[ll] Tr. et Am. non habent *enim.*

[m] Tr. *Gentes.*

[n] *Te* et *omnes* non habent nostri CC.

[o] Hoc *meæ* ter repetitum restituimus ex omnibus CC. nostris loco *nostræ*, quod Feu-ar. ex suo edidit.

[p] Ita nostri CC. MS. exhibent hunc locum, quem multò aliter habet editio Feu-ar. *Tu enim concipiens solum Deum, postremùm sponsa facta es filii Dei. Tu generans simul Deum et hominem, genitrix facta est filii Dei. Quem suscipiendo tantùm tibi hospes est Deus: quem concipiendo ex te, incola et homo simul factus est Deus.* Post quæ immediate prosequitur: *Credula promissionibus angeli, ideo dono fæcundata es Spiritus sancti. Genuisti filium imperatoris, quem adorant angeli Deum in cœlis. Sine consortio virili Dei Filium edidisti, et post fœtum illibata mansisti.* Nos verò hæc omnia ommisimus omn. nost. CC. suffragio nixi, in quibus desiderantur; nec dubitamus, quin si attente legantur, et cum ceteris conferantur, quivis animadvertat ab stylo Ildephonsi distare, atque alienæ manus esse additamentum.

[q] Quæ sequuntur sic edidit Feu-ard. *ex fœtu et virginitate læta manens, ex prole et pudore gavisa es honore parentis.* Nos CC. omn. nostrorum testimonium sequuti sumus.

Digitized by Google

rum omnium nescia tactu: instructa [r] quid nosses, edocta quid crederes, certificata quid sperares, roborata quid sine amissione teneres.

Auditu [s] percipe Ioviniane, corde sapito fatue, præcordiis cognosce stulte, sensu disce caduce. Nolo pudorem nostræ virginis corruptum partu causeris: nolo integritatem generatione discerpas [t]: nolo virginitatem exitu [u] nascentis scindas. Nolo virginem genitricis officio prives: nolo genitrici virginalis gloriæ plenitudinem tollas. Si horum unum confundis, in toto confusus es. Si hæc concordantia nescis, a [v] concordia veritatis ipse privatus es. Si hæc discordantia causaris, semper discors iustitiæ inveniris. Si virgini nostræ aut generationem, aut integritatem adimis, grandi dedecore Deo iniuriam facis. Negas enim valuisse incorruptam servare, quem fateris absque corruptione adire virginem potuisse. Negas Deum quod vellet facere quivisse, quem contendis [x] genitricem integram invenisse, corruptioni deditam reliquisse. Ut ergo asseris, omnipotentis divinitas non profuit virginitati, sed obfuit; quia dum virgineum decus nascendo violavit, summam virginitatem destruxit [y]: ac per hoc ipsum astruis virginem deturpasse nascendo, quam decoraverat ipse creando. [z] Hæbetescat oro, hæbetescat cor talia meditans, obmutescat os talia proloquens, adhæreat lingua talia promens, non aspiret sermo talia narrans. Ecce enim virgo ex Deo, virgo ex homine, virgo attestante angelo, virgo iudice sponso, virgo ante sponsum, virgo cum sponso: indubitata virgo, etiam dubitante sponso. Virgo ante filii adventum, virgo post filii generationem, virgo cum filii nativitate, virgo post filium natum. Verbo fœcunda, verbo repleta, verbo uberrima, verbo partu digna, humana quidem nativitate, humana lege, humano usu, humana conditione, humana veritate, illæsa, incorrupta, inviolata, intemerata, integerrima verè. Divino autem munere, divino favore, divina collatione, divina adinventione, divino dono, divino concessu; novo opere, nova efficacia, nova operatione, novo effectu, novo patratu [a], cum conceptu virgo, per conceptum virgo, in conceptu virgo, post conceptum virgo: per partum [b] virgo, cum partu virgo, post partum virgo. Virgo cum nascituro, virgo cum nascente, virgo post filium natum. Coniux dicta et virgo, coniux adsumpta et virgo, coniux credita et virgo, cum coniuge simul et prole perennis virgo. Matth. 1.

I-

[r] *Demum instructa* ita Feu-ard.

[s] Hæc nost. CC. lectio melior quam Feu-ard. *Audi tu, percipe tu.* Et *tu* exclusimus auctoritate Tr.

[t] Ita Am. et Tr. Feu-ard. *decerpas.*

[u] *Per exitum* Feu-ard.

[v] *Concordia* sine præpositione habet Tr.

[x] Ita omn. CC. et habebat antiquior editio: Feu-ard. emendavit ex suo C. *concedis.*

[y] Omn. nostri *detraxit.*

[z] Ita omnes nost. Non multo aliter Feu-ard. *Obmutescat os.... hæbetescat cor: adhæreat faucibus &c.*

[a] Ita Feu-ard. Nostri CC. et antiqua editio *partu.*

[b] Ita nostri CC. *In partu* Feu-ard.

Digitized by Google

Ignota semper [c] coniugio, ignota amplexu, ignota tactu, ignota maritali collegio. Et tunc certè, tunc non dubiè, tunc verè, tunc veraciter sancta virgo, beata virgo, gloriosa virgo, honesta virgo. Sed post generationem incarnati Verbi, post nativitatem Dei hominis facti, post generationem in Deo hominis assumpti, post nativitatem Deo [d] hominis uniti sanctior et sanctissima virgo, beatior et beatissima virgo, gloriosior et gloriosissima virgo, nobilior et nobilissima virgo, honestior et honestissima virgo, augustior et augustissima virgo. Sed ne solus tuæ vesaniæ vepribus hæreas, ne solus spinis tuæ dementiæ sæpiaris, ne solus tuæ vecordiæ sentibus coarcteris, ne solus intelligentiæ tuæ aculeis infigaris, ne solus defensionis tuæ acumine perimaris, [e] connectam parem, coniungam parilem, sociabo similem, innodabo coæqualem, copulabo talem.

CAPUT II.

Virginitatem in Dei matre confirmat adversus Elvidium.

Audi ergo et tu Elvidi, ad me attende impudorate, me ausculta impudice, me intuere inhoneste, me conspice inverecunde. Quid [f] impudicus commoveris? quid inverecundus assistis? quid inhonestus accedis? quid sine reverentia occurris? quid sine pudore vexaris? Quare virginis nostræ principia corruptionis fine coarctas? quam ob rem initia pudoris exitu auctæ [g] procreationis infamas? cur integritatem divinitate sacratam [h] humana conventione [i] deturpas? Nolo [j] huius maiestatis vim irrumpas, ne possessionem Dei convexare ausu temerario [k] pertentes: ne mansionem divinitatis [l] noceas præsumptione contemptionis: ne domum Domini iniuriis corruptionis confodias: ne portam domus Dei, eius exitu [ll] clausam, a quocumque posse adiri contendas. Virtutum Deus est dominus possessionis huius. Cælorum rex est possessor iuris istius. Omnipotens est artifex ædificii huius. Solus egressor et [m] custos est portæ egressionis huius. Nemo cum illo ingressus est, nemo egressus [n]: in adeundo eam nemo socius, in egrediendo nemo sodalis. Qualiter introierit, nemo novit: qualiter exierit [o], egressio sola cognoscit. Absque veste Deus, ut ita dicam, ingreditur, qui ut certè dicam, carne vestitus egreditur. Ad domum sui operis venit, carnis tantummodò vestem tulit. Idem qui venerat rediit, sed aliter quàm incesserat, [p] ipse inde processit. Hanc domum ingrediens

[c] Aliqui *coniuge*.
[d] *In Deo*. Am.
[e] Am. *conferam*.
[f] Ita Am. Reliqui *impudicitia*.
[g] Alii *actæ*.
[h] Trin. *sacram*.
[i] Omnes nostri sic. Feu-ard. *connectatione*.
[j] Tolet. *Nolo ius maiestatis irrumpas*.
[k] Sic Amel. Feu-ard. *ausu pertentes*.
[l] Ita omn. nost. Feu-ard. *audeas præsumptione contemnere*.
[ll] *Eius in exitu* Feu-ard. Nost. omn. sine *in*.
[m] Deest *et* in Amel.
[n] Omn. nost. *regressus*.
[o] *Egressus fuit*. Am.
[p] *Ipse procedit* nostri.

Digitized by Google

diens non pudoris spolia tulit, sed egrediens integritate [q] ditavit. A Domino quidem erat [r] mundata, sed adventu Domini nondum plena. Nuntiante angelo, fundatoris sui cognovit adventum, et novæ [s] congressionis admiratur accessum: habitatorem inesse sibi cognoscit, et qualiter in abditis agat, plenè non penetrat. Verumtamen animi virtutes parat in officia servitutis, defert Domino [t] debita iura conditionis. Quod ille cœlo præsidens iusserat, hæc in se recepto ministrat, approbans [u] se conditori suo mundam carnem simulque animam præparasse, quæ et spiritualia obsequia carnali filio detulit, et Dominum suæ carnis incorrupta et incommutabili veritate vestivit. Definito tempore, hunc qui venerat egredi sentit, et placido egressionis læta processu, aliter procedentem inspicit, quàm accedentem scivit. Suæ carnis veritate hunc videt esse vestitum, et in se sui nitoris ac pudoris integritatem minuisse non sentit, sed potius crevisse [v] cognoscit. In hac regione solitudo Deo tantùm et domui: in hac mansione singularitas hospitio tantùm et hospiti. Hic locus cum uno tantùm adventante [x] cohæret. Hic uterus unius tantùm agnitione congaudet, nec alterius viri quàm nascentis unius membra cognoscit.

Cùm ergo hæc spiritus Dei per Prophetas prædixerit, per doctores firmaverit, per veritatis auctores [y] defenderit, per sæculorum æternitatem consolidaverit; quid tu novi erroris astructor, quid fatuissimus [z] infamator, quid copiosè nugis infamas? Quid insaniæ [*] massa proloqui audes, mussitare contendis, susurrare proponis, garrire præsumis? ut virginalis uteri illa habitatio Dei, ut regis virtutum illa [a] nitore pudoris aula clarissima, ut mansio illa imperatoris cælestium carnis pudicæ, ut locus gloriosus illius Dei, quem non capit diversitas universa locorum, post generationem Dei, post incarnationem Verbi, post nativitatem Domini, post ortum Salvatoris, de carneo viro perituræ carnis soboles germinaret? De loco vitali ex mortalitatis semine moritura membra produceret? De conclusionis horto, qui solum virginitatis insolitæ florem produxit, spinarum [b] maritalium vepres afferret? De fonte nascentis virginali egressione signato cœnum maritale decurreret? Opto, opto, ut sepulcrum oris illius dolor cruciet: illius dentes se-

[q] Ita omn. nostr. Feu-ard. *dotavit*: antiquior editio, *integritatem ditavit.*

[r] Omnes nostri cum veteri editione. Feu-ard. *fundata.*

[s] Ita nost. omn. Feu-ard. *novum*: antiq. edit. *novæ congregationis.*

[t] Ita Am. cui consonat vet. editio. Reliqui cum Feu-ard. *debitæ.*

[u] Omn. Feu-ard. *approbat se.*

[v] *Cognoscit* deest in Am. et Tol.

[x] Omn. nost. Feu-ard. *adnectante.*

[y] Tolet. *assertores.*

[z] Am. *infamatissimus.* Nos verò totum hunc locum ex omnium codicum collatione (qui non satis inter se conveniunt) ita emendandum putamus. *Quid fatuissimus infamator gloriosæ virginis, quid copiose nugis infamas? Quid infamiæ massa proloqui audes? &c.*

[*] Tolet. scribit *massa*, ceteri *massam.*

[a] Trin. et Tol. alii *illo.*

[b] Am. *mortalium.*

sera concludat [c]: foveam oris eius immobilitas linguæ [d] compleat: concava palati aër subductus evacuet: extrema labiorum aëris crassedo conglutinet; ne talium verborum fœtor erumpat, ne prosecutionis huius odor aspiret, ne anhelitus loquelæ susurret, ne vel exilis sonus tinniat, ne verberatus aër vel [e] infandissima verba conformet. Ecce enim insolito modo, insolito usu, insolito ordine, insolito iure, in una persona, in uno corpore, in una conditione, in una ætate, alternat honor matris et virginis, alternat pudor virginis et matris: alternat in generante virginitas, alternat in virgine generandi facultas: et neutrum cedit ulli, et utrumque in alterutrum derivatur: et neutrum impeditur ab invicem, et ambo properant [f] sibi. Utrumque servatur in proprio, utrumque transit in alterum: quia ambo unum, quia duo idem, quia diversa idipsum, quia indistinctum accidens, quia indiscretum concurrens, quia indifferens superventum. [g] Non matrem virginitatis deserit decus: non virginem maternus impedit partus: et virginem nobilitat fœtus, et matrem habet pudor virgineus. Sicque matris et virginis nomina nullis dissociata sunt casibus, nullis impedita difficultatibus, nullis læsa proventibus, nullis dubia rebus. Indiscreta utraque, inseparabilia utraque, indissecabile totum, indivisibile totum. Accidit [h] aliquando ut esset mater, quæ virgo erat. Advenit ut generaret, quæ nusquam corrupta usu generis [i] maneret. Adfuit ut parturiret, lege parturitionis ignota. Occurrit ut existeret in filio integra, quæ in coniuge non [j] extiterat diminuta. Sed illud est inæstimabile, illud incomprehensibile, illud inenarrabile, illud admirabile, illud inauditum, illud invisum, [k] illud incognitum, illud inusitatum, ut virginitas conceptu clarescat, ut partum virginitas comitetur, ut generatio adsignet virginem, ut virginitas probet matrem, matrem quoque ut virginitas glorificet, virginem ut gravitas matris [l] honoret, ut decus maternum virginitas assequatur, ut decus virgineum matris fœcunditate servetur. Ita maternam virgo accipit veritatem. Ita virginis gloria transit in genitricem. Ita nomen genitricis accedit in virginem [ll], ita pudor virginis manet in matre. Sic ergo accidit, sic evenit [m], sic adfuit, sic occurrit, ut si matrem quæram, virgo est: si virginem quæram, mater

[c] Am. et Tol. habent: *ut sepulcrum oris illius dentium sera concludat.*

[d] Uterque: *percompleat.*

[e] Omn. nost. Feu-ard. *infantilia.*

[f] *Prosperant* Am.

[g] Hunc locum exhibemus, ut est in omn. nost. CC.: aliter Feu-ard. *Non virginem maternus impedit partus, et virginem non violat fœtus, et matrem nobilitat pudor virgineus: et virginem nobilitat fœtus, et matrem non violat pudor virgineus.*

[h] *Accessit*: omnes nost.

[i] *Manet*: Tol. et Am.

[j] Ita Am. et Tol. Barbarè Feu-ard. et alii *existerat.*

[k] *Illud incognitum* supplevimus ex Am. et Tol. in ceteris desideratur.

[l] *Ornet* Tol. et antiq. editio.

[ll] *Accedit in virginem* omn. nost. prosequitur autem Tol. *ita pudor virgineus manet in matrem.*

[m] Ita Trin. et Tol. alii cum Feu-ard. *venit.*

Digitized by Google

ter est : si prolem quæram, virginis est : si pudorem quæram, matris omnino est. O virtutum omnium Deus, o creaturarum omnium Deus, o factor omnium Deus, o mirabilium auctor omnium Deus! qui cunctis miraculis tuis, universis insignibus tuis, totis mirabilibus tuis, omnibus [n] magnalibus tuis, hoc factum, hoc opus, hoc gestum, hoc actum, miserationis thesauros aperiens, pietatis arcana demonstrans, indulgentiæ divitias reserans, clementiæ rivos emittens in salutem meam et mundi, in redemptionem meam et mundi, in iustificationem meam et mundi, in liberationem meam et mundi, fecisti sine loquendi ratiocinatione mirabile : egisti sine rei exemplo singulare : formasti sine comparationis similitudine potentiale : complesti sine consimili æquiparatione vitale : finxisti sine intelligendi consideratione inæstimabile : sine oblivione perenne, sine defectu stabile, sine interruptione iuge, sine fine laudabile. Per quod error amotus est, per quod languor ablatus est, per quod peccatum deletum est, per quod mors verè destructa est, per quod salus conlata, per quod vita concessa, per quod cælum patefactum, per quod regnum cælorum promissum est, per quod eundi invenimus viam, per quod assequimur perveniendi veritatem, per quod adipiscimur requiescendi vitam, per quod [o] habebimus perennem tuæ dulcedinis visionem. Ac nunc iam, [p] modò iam, in præsenti, in hoc loco, in hoc situ, in hoc momento, et in hoc tempore, et in omnia [q] semper sæcula sæculorum.

CAPUT III.

S. Mariam ex natione et stirpe Iudæorum esse, ex fide autem et honore, laude et amore, Christianorum. Tandem aliquot Prophetarum oraculis probat, virginitatem summam oportere cum maternitatis gloria copulari.

Quid dicis Iudæe [r]? quid proponis? quid astruis? quid obiicis? quid obiectas [s]? Ecce virgo nostra ex stirpe tua est, ex genere [t] tuo est, ex radice tua est, ex gente tua est, ex populo tuo est, ex plebe tua est, ex natione tua est, ex origine tua est. Verumtamen ex fide nostra est, ex credulitate nostra est, ex assensu nostra est, ex reverentia nostra est, ex honorificentia nostra est, ex laude nostra est, ex glorificatione nostra est, ex dilectione nostra est, ex amore nostra est, ex prædicatione nostra est, ex præconio nostra est, ex defensione nostra est, ex vindicatione nostra est. Quod enim tibi Spi-

[n] Omn. nost. Feu-ard. *magnaliis.*
[o] Omn. nost. cum veter. edit. Feu-ard. *habemus.*
[p] *Modo iam* non habet Feu-ard. sed in CC. nost. nullo desiderantur.
[q] *Semper* habetur in Am. et Tol. deest in aliis.
[r] *O Iudæe* scribit Feu-ard. non ita nostri.
[s] *Oblectaris* Am. et Tol.
[t] *Ex genere tua*, et infra, *ex populo tua* habet Feu-ard. contra omn. nost. CC. consensum.

Digitized by Google

Spiritus sanctus de illa per Prophetas dixit [u], per oracula intimavit, per figuras innotuit, per præcedentia promisit, per subsequentia complevit, te negante, te non credente, te abnuente, te respuente, te resultante, te blasphemante, ego novi, ego credidi, ego sapio, ego veneror, ego honoro, ego glorifico, ego amplector, ego amo, ego diligo, ego prædico. Quia me gratia prævenit, fides implevit, misericordia subsequuta est, amor provexit, et rei huius gloria exaltavit. Te autem quem perfidia avertit, quem pravitas occupavit, quem cæcitas adiit, [v] quem error obtinuit, quem obstinatio induravit, dicito, quare non credis in genere tuo puerperam virginem? Quare non credis sine viro virginem concepisse? Quare non credis proprium virginem gestare filium? Quare non credis, sine viro [x] virginem manere post partum? An illo mendacii genere [y] illinitus, illo primævæ perfidiæ veneno crapulatus, illo parentalis fallaciæ argumento confisus, illo infidæ persecutionis [z] astu perversus, illo antiquæ pertinaciæ munimento firmissimus, in sacris litteris adolescentulam, et non virginem parere posse causaris? Planè mentiris, fallis [a], et falleris, falsò criminaris, falsò impetis, falsò proponis, falsò contendis, falsò arguis, falsò defendis. Si enim, ut ais, iuvencula et non virgo parere posset, quid significaret Dominus? quid *Isai. 7.*
miraculi daret? [b] quid admirabile demonstraret? quid inusitatum ostenderet, si iuvencula pareret quod consuetudinis erat? si puella pareret, quod ætatis erat [c]? si adolescens fœmina parturiret, quod teneritudinis erat? si non impar matrimonio pareret, quod naturæ simul et temporis erat? Cuius interdum maxima cura de sponsorum manet [d] electione solicita? cuius mens de futuræ coniunctionis est expectatione peranxia? Cuius vota sunt secundum sodalium experientiam [e] non incerta? Sed verè illud esse [f] signum, si virgo pareret, et integra esset. Illud [g] efficere novitatem, si virgo parturiret [h], et pudore nitesceret. Illud haberi admiratione condignum, si virgo generaret et incorrupta consisteret. In illo ostendi miraculum, si in humana conceptione fieret, quod humana natura nesciret. In illo dari signum, si

[u] Omn. nost. Feu-ard. *prædixit*.

[v] Ita edimus ex communi nost. CC. suffragio. Feu-ard. edebat *Quis error.... Quæ obstinatio.*

[x] *Sine viro*: desunt hæc verba in Tol. et Trin.

[y] *Inlitus*. Tol.

[z] *Prosecutionis* Tol. et Trin.

[a] Ita omn. nost. Feu-ard. *fallax es*.

[b] Edimus ex unanimi CC.nost.testimonio. Aliter Feu-ar. *Quod signum, sicut promisit, daret Dominus? Quod miraculum faceret?*

[c] Feu-ard. addit. *quod mirabile fieret?* contra omn. CC. nost. qui deinde pro *adolescens*, scribunt *coalescens*.

[d] Feu-ard. *de sponsi... dilatione*. Nost. omn. ut edimus.

[e] *De sodalium experientia*. Tol. et Am.

[f] Tol. et Am. Feu-ard. *esset*.

[g] *Existere* ambo iidem; ceteri cum Feu-ar. *efficeret*: nos verò *efficere* legendum putamus, in modo infinito, sicut cetera verba quæ sequuntur.

[h] Inserit hic loco Feu-ard. *et integra esset. Illud efficeret novitatem, si virgo parturiret*, &c.

Digitized by Google

si [i] nulli maritata viro, fieret pariens virgo. In illo rei stuporem fieri, si fœmina et virginalibus simul et maternis inserviret officiis. In illo facti [j] admirationem perauctam [k] iri, si uno mulier tempore lætaretur præmiis simul et pudoris et prolis. Ut ergo noveris in signo concepisse hanc fœminam, non in usu: in admiratione, non in conventione fœtosam existere: in novitate miraculi, non in vetustate parere coniugali: in incorruptione virginea fœcundari, non in fœdere nuptiali; Dei mater est, sed propter incarnationem Verbi, Dei genitrix est: sed propter assumptionem hominis, Dei administratrix est. Sed propter [l] quod idem subditus erat parentibus
Isai. 49. suis, Dei nutrix est: [ll] quia huius nutricii reges, et reginæ nutrices erunt. Quoniam iste filius eius,
Ioan. 1. Deus et homo est, Verbum et caro est, divinitas et humanitas
1. Cor. 1. est, pax nobis, scandalum vobis est: sapientia nobis, stultitia gentibus est. Inde merito humana referuntur ad Deum, et quæ Dei sunt referuntur ad hominem. Inde insolida hominis Dei participatione [m] roborantur: et solida Dei hominis participatione infirmari dicuntur. Inde in imis summa perveniunt, inde in summis ima pertingunt: inde insolida solidantur solidis: inde insolita solitis temperantur: inde insolita sublimantur insolitis. Quæ ut vera esse non ambigas, audi sancti Spiritus verba, audi Prophetarum oracula, audi vaticinantium [n] dicta, audi veritatis præconia. Esaias, parvulus, inquit, *Isai. 9.*
natus est nobis: filius datus est nobis. Parvulus idem est Christus, quia homo non sibi, sed nobis est natus: filius datus est nobis, quia utique Deus filius Dei se dedit incarnari pro nobis. Et ecce homo est, in eo quod parvulus natus est nobis: Deus autem est ipse qui filius Dei datus est nobis. Item David: *Psal. 8.*
Minorasti eum paulòminus a Deo. Is qui minoratus dicitur a Deo, Deus certè æqualis est Deo. Quia in eo quod dicitur minoratus, homo est verè humilis natus. In Psalmis ita Pater de *Psal. 109.*
eo [o], quia Deus est: Ex utero, inquit, ante luciferum genui te. Quia homo est, alibi dicitur: quasi de vulva egredietur [p] tibi ros adolescentiæ tuæ. Item alibi: *Psal. 86.*
Homo factus est in Sion, & ipse fundavit eam excelsus. In hoc quod factus est, humillimus homo natus est. In eo quod fundavit eam, excelsus est Deus. Multa quidem et alia, copiosa verè, sufficientia prorsus, abundantia certè, exuberantia plenè poteris invenire de duabus naturis in Christi huius unione connexis: si tamen [q] in illo credas, si illi fidelis existas, si ei fidem veram exhi-

[i] *Nullo*: omn. nost.
[j] *Facto*: Am.
[k] Ita Tol. et Am. meliùs quam *peractam*, quod habet Feu-ardentius.
[l] *Propter ministerium humanitatis, quod &c.* Trin.
[ll] *Quia qui hunc nutriunt reges, et reginæ erunt.* Trin. et Tol.
[m] *Participio.* Am.
[n] Omn. nost. cum antiqua vulgata. Feu-ard. *vaticinationum.*
[o] *De filio.* Tr.
[p] Omn. nost. Feu-ard. *egreditur.*
[q] *Tantum.* Tr.

Digitized by Google

hibeas, si illum in veritate confitearis, si illi veram confessionem impendas. Quæ tamen ego ipse ex toto non prætermittens, coniiciens innectam aliqua post paulisper. Cuius ergo tantæ gloriæ et dignitatis est filius, ut sit in assumpto homine Deus? Audi quantæ gloriæ et nobilitatis est
Isai.11. genitrix eius. Hæc in Esaia virga exiet ex radice Iesse, id est, de genere eius exorta: virga [r], quæ florem hunc Christum spirituali tantùm infusione sine hominis corruptionis accessione pro-
Isai.45. duxit. Item in Esaia hæc sola terra fide aperta, non corruptione, germinare potuit Salvatorem, rorantibus cælis, et nubibus pluentibus iustum, id est, Prophetis pronunciantibus eius ad-
Ezech.44. ventum. Hæc in Ezechiele domus Dei est, cuius pudoris integerrima claustra, [s] ad Orientem consistens porta semper est clausa. Quæ neque ante natum, neque post natum hunc filium alterius accessum vel transitum novit. Quia ipse solus Dominus per eam nascendo transivit. Unde et semper est clausa, quia semper est virgo. Hæc virgo in
Psal.18. Psalmo thalamus Dei est, quia de utero eius iste incarnatus Deus processit velut sponsus, in ea relicto perennis virginitatis de-
Psal.84. core [t] mansuro. Item in Psalmis hæc terra est, de qua veritas oritur: quæ veritas Christus eadem est, et quæ de cælo prospexit iustitia eius.[u] Item in Psal- Psal.66.
mis: Hæc terra fructum suum dedit, id est, Christum nostrum genuit, in quo et benedixit nobis, idem Dominus [v] Deus noster, ut benedicat nobis Deus, et simus benedicti a Deo ter vocabulo repetito. Quem in Trinitate [x] unum Deum omnis terræ metuant fines.

CAPUT IV.

Hortatur Iudæum, ne virginis et matris minuat gloriam, cuius ignominia redundat in prolem. Et quòd virginem adorant omnes cælestes virtutes, et confluunt ad eam omnes populi: Iudæorum quoque perfidiam obiter ostendit ab antiquis patribus divinitùs prophetatam.

Sit rogo iam, sit rogo, Iudæe, gratissimum tibi tantæ virginis decus in tua cognatione repertum. Sit amabile tantæ gloriæ virginem in tuo genere invenisse. Sit lætum in tua traduce tantæ pudicitiæ visum insigne. Sit iucundum [y] in stirpe tantundem tua patefactum tale miraculum. Ecce impleta est omnis terra per hanc virginem gloria Dei. Cognoverunt omnes a parvo usque ad magnum per hanc virginem Deum vivum. Viderunt omnes per hanc virginem salutare Dei. Rememorati sunt et conversi per hanc virginem ad Dominum universi fines terræ.

[r] *Virgo.* Tol. et Am.
[s] *Sunt ad orientem*, habet Feu-ard. In nostris omn. deest *sunt*.
[t] *Et mansuro*, edit. Feu-ard. Nos, ut habent omnes CC. nostri.
[u] *Deus* pro *eius* Am. et vetus. editio.
[v] Ita omn. nost. Feu-ard. *id est Deus Deus noster.*
[x] *Quam Trinitatem.* Trin. et Am.
[y] *Iocundum.* Tol. et Am.

Digitized by Google

Psal.97. ræ. Adorant in conspectu filii eius omnes patriæ gentium: ipsius Psal.21. est filii regnum, et ipse Deus dominabitur gentium. Cantant Ibidem. omnes ipsi Domino filio eius redemptionis suæ canticum novum, quia [a] nascendo de hac virgine Psal.97. magnalia fecit. Notum fecit dominus per hanc virginem salutare suum, et ante conspectum nostrum revelavit hanc iustitiam suam. Invenerunt per hanc virginem Deum [a], qui eum per observantiam legis invenire non potuerunt. Venit per hanc virginem Deus, et congregatis gentibus et linguis, venimus et vidimus gloriam eius, quasi gloriam unigeniti a patre. Ioan.1. Congregatæ sunt omnes gentes in nomine huius domini in medio Ierusalem [b], quæ Ierem.3. est visio pacis, id est, Ecclesia universalis, et non ambulabunt ultra post pravitatem cordis sui. Iuravit dominus in veritate et iudicio. Et ecce tali matre progenitum omnes gentes benedicunt, ipsumque conlaudant. Ecce iste Deus fortitudo nostra est. Ad hunc omnes gentes venimus ab extremis terræ, et cum Ieremia Ierem.16. dicimus [c]: verè mendacium posséderunt partes nostri. Ecce in die novissimo hic mons filius virginis huius Isai.2. præparatus est in vertice montium, id est, elevatus est super Apostolos nostros, et super omnium virtutum cælestium maiestates. Confluimus ad eum omnes populi, et properamus gentes multæ. Ascendimus ad hunc dominum, montem domini, et ad domum Dei Iacob, quæ est Ecclesia Dei vivi. Docet nos de viis suis, imus in semitis eius, quia lex gratiæ de Sion egressa est, et verbum domini de Ierusalem. In quo iussum est sanctis Apostolis nos omnes in eius nomine baptizari, Matth.28. et sancto Spiritu adimpleri.

De te autem propter cordis tui pessimi obstinationem, propter impuram voluntatem, propter infidam mentem, propter conscientiam malam, propter incredulitatem iugem, propter superbiam veram, propter obedientiam fallacem, propter promissa infidelia, propter fidem inconstabilem [d], audi dominum in Deuteronomio proclamantem: Deut.28. Eritis [e] gentes ad caput, incredulus autem populus ad caudam. Cui incredulus nisi isti Deo, in humilitate hominis ex hac virgine nascituro [f]? Item Ieremias: Ierem.5. Prævaricatione prævaricata est in me domus Iuda, ait dominus. Negaverunt [g] me, et dixerunt: non es ipse. Quod nunc usque Iudæe, propter hunc Christum dominum meum huius virginis filium, dicis non esse Christum. Expectas alium, cum quo pereas, Antichristum. Item Esaias: Isai.65. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et con-

[a] *In nascendo.* Trin. et Am.
[a] *Quem.* Am.
[b] *In Ierusalem.* Trin. et Am.
[c] Feu-ard. *Veniamus* edidit, et *dicamus*: nos ex omn. nost. CC. *venimus .... dicimus*: quod sequentibus consonat *confluimus ..... ascendimus.*

[d] *Instabilem* Tol.
[e] Omn. nost. Feu-ard. *erunt.*
[f] Sequimur omn. nost. CC. Feu-ard. edebat: *Cui ergo incredulus es nisi ..... nascenti?*
[g] *Me* omn. nost. Feu-ard. *Dominum*; et sic legitur in vulgata ad hunc Ieremiæ locum.

Digitized by Google

contradicentem mihi. Non credentem et contradicentem: cui nisi isti domino? qui quoniam de hac Virgine [h] natus est, credere nolunt hunc esse Deum.
Ierem. 8. Item Ieremias: Quomodo dicitis, sapientes nos sumus, et lex Dei nobiscum est? Verè mendacium operatus est stylus mendax scribarum. Confusi sunt sapientes, perterriti et capti sunt. Verbum enim Domini proiecerunt, et sapientia nulla est in eis. Quod Verbum? hoc utique de hac Virgine carnem factum. Et quam sapientiam? hanc scilicet Dei patris, quæ gentibus stultitia est.
Isai. 46. Item Esaias: Audite me duro corde, et qui longè estis a iustitia: propè feci iustitiam meam, et non elongabitur, et salus mea non morabitur. Quæ iustitia, et quæ salus, nisi hic [i] utique a quo iustificati et salvati credentes sumus?
Isai. 43. Item Esaias: Educ foras populum cæcum, et oculos habentem: surdum, et aures sunt ei. Quid non videntem, et quid non audientem, nisi hunc Dei filium, ex homine incarnatum, et cuncta quæ de eo multifariè sunt [j] prædicta?
Osee 7. Item in Osee: Væ, inquit, eis! quoniam recesserunt a me, vastabuntur: quia prævaricati sunt in me, [k] et ego redemi eos, et ipsi locuti sunt contra me mendacium. A quo recesserunt? Utique a me, quem humilem videntes hominem esse, [l] contemnunt Deum. Et quod mendacium locuti sunt? [ll] nisi quod et in Ieremia dicente legimus: Non est ipse. Et quare non est ipse? Quia vidimus eum, et non erat aspectus: et desideravimus Isai. 53. despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem ferre infirmitatem; et quasi absconditus vultus eius et despectus: unde nec reputavimus eum. Quibus verbis tua incredulitas significatur, cui visus est Christus non habere speciem, neque decorem: unde neque a te reputatus est esse Deus. Dixi celer, dixi currens, dixi [m] transiens, dixi pernix, dixi velox, dixi citatus, quæ citò reperi, quæ de vicino attigi, quæ de proximò inveni, quæ de confinio intuli. Nam si peritia pollens, si prudentia vigil, si acumine vivax, si inquisitione strenuus, si sollicitudine minùs iners vellem, aut possem; dies mihi deficiet, momenta decrescent, [n] horæ lassabunt, manè ruet, meridies [o] liquescet, vespere decidet: intempesta et gallicinia, [p] crepusculumque, noctiumque abundantiæ non suppetent, non [q] cohærent de talibus sacramentis aut fidei meæ congrua, aut perfidiæ tuæ discordantia, et adversa promere vel narrare. Unde iam veni mecum ad hanc Virginem, ne sine hac properes ad gehennam. Veni abscondamur Psal. 108. sub velamento virtutis eius, ne

Q in-

[h] Sic omn. nostri: Feu-ard. *nasci dignatus est.*
[i] *Utique* non est in Feu-ard. sed habent nostri omn.
[j] *Prædicata.* Trin. et Am.
[k] *Et* deest in omnibus nostris.
[l] *Contempserunt.* Tol. et antiq. editio.
[ll] *Nisi quod aiunt, Ieremia dicente: non est ipse?* Amel.
[m] *Transiliens.* Trin. et Tol.
[n] *Lacescent.* Tol.
[o] *Languescet.* omn. nostr.
[p] *Crepuscula.* Tol.
[q] *Cohærebunt.* Amel.

Digitized by Google

induaris confusione, sicut diploide. Veni confiteamur, ego delicta iuventutis et ignorantiæ meæ, et tu delicta sacrilegii et sceleris tui, ne revelent cæli iniquitates tuas. Veni humiliemur in veritate confessionis et laudis eius, ne terra consurgat adversùm te, asserens tanti sceleris se tuam perfidiam sustentasse. Non erubescas filium eius esse Deum tuum, ne ipse te erubescat coram angelis suis. Non erubescas sermones eius, ne ipse te in adnotatione libri viventium erubescat. Confitere illum in regione terrarum, ne ipse te non confiteatur in terra viventium. Confitere illum Deum esse et filium hominis [r] virginis matris, ut ipse te confiteatur coram patre suæ divinitatis. Time maiestatem eius inter homines, ne te humanitas eius in tartara præcipitet coram angelis suis. Dilige illum dum patiens est, ne odio habeat te, dum iudicaverit te.

Arbitror me per virtutem Dei hostem ut potui confodisse, reliquisse cæsum, abiecisse enervatum, exanimem dimisisse. Unde et pallidus adest, exanguis superest, defessus angitur, fatigatus manet, concisus iacet, confossus ruit, elisus interiit: de vitali flatu nihil superest, de spe vitæ iam nihil est, de reditu vitæ illi expectatio non est. Unum tantùm [s] deest, quòd halitus perfidiæ anhelat, quòd exile murmur erroris aspirat, quòd tenui tabo de sacrilegii sepulcro animæ naribus [t] fœtor exhorret. Verùm redeam, [u] repedem, retro gradiar, retro convertar, et non eam, donec deficiat: non vadam, donec intereat: non pergam, donec [v] adtritus sub pedibus meis evanescat: ne de cadavere perfidiæ quidam vermiculus supersit, ne de morticinio sacrilegii tinea quæcumque consurgat, ne de tabo prophanationis quodcumque genus vermium oriatur, quod in criminum antro dæmonum favoribus pastum, etsi non adsurgat in belluam, evolet in volucrem, applaudatque sibi nostræ disputationis retia evasisse, qui funditùs se ingemiscit vincere nequivisse; gutturque a capulo dissertæ ratiocinationis abducat, [x] et per aëreas potestates levitate vagabunda ferendus sese fraude suspendat, ac scilicet sub pavore vel fuga illi arrideat, cui sub spe [y] victoria non concordat. Auditum ergo antequàm loquelam, exanimate hostis, appone: auriculam antequàm linguam adaperi: antè auris, quàm oris remove seram, ut prius noveris, quàm loquaris: primitùs sapias, quàm respondeas: priùs corde percipias, quàm ore depromas. Sicque de hac veritate ut cognoscas plenitudinem veritatis asserere, considera, intuere, vide, intellige, perpende, animadverte, intende, scito, sapito, di-

[r] *Virginis* deest in omnib. nost.
[s] *Superest*. Amel.
[t] *Fœtor* deest in Trin. et Tol.
[u] Ita Trin. et Tol. ceteri cum Feu. *repedabo*.
[v] *Adtritus* reposuimus ex Trin. quæ vera lectio est absdubio, quamvis ceteri scribunt *astrictus*.
[x] *Et per aëriæ potestatis levitates vagabundè ferendus*. Trin. et Amel.
[y] *Victoriæ*. Trin.

Digitized by Google

disce, cognosce, hunc eundem esse Deum ex Deo in veritate naturæ suæ, qui ex Virgine [z] factus est homo in veritate naturæ meæ: hunc esse perenniter æternum, qui dispensativè factus est temporalis: hunc venisse, qui est verè immobilis: hunc [a] contineri in loco, quem non continet locus: hunc esse intra locum, qui est omnium locus. Nam et, ut [b] expressiùs dicam, ipso ducente sequar eum: ipso præeunte, curram post illum: ipso antecedente, vadam post eum: [c] ipso adiuvante, vel vocante, ingrediar ad illum: et in quantum ipse [d] permiserit, asseverem tibi, ostendam tibi, enarrem tibi, promam, expediam, convincam, probem, quis est idem ipse qui venit; et unde venit, et quando venit, et ubi venit, et quare venit, et quomodo venit, et quid egit.

CAPUT V.

Sacrum incarnationis explicat arcanum.

Audi iam nunc, quis est Christus qui venit: audi iam nunc, quis est idem qui venit; non alius quàm Deus, et omnipotens
Mal. 3. Dominus. Dicat Malachias: [e] Veniet ad templum sanctum suum dominator, [f] quem vos quæritis, et angelus testamenti, quem vos
vultis. Item in Exodo Pater de Exod. 23.
eodem [g] ad legislatores: Ecce mitto angelum meum, qui præcedat te, et custodiat [h] te in via, et introducat in locum quem paravi. Observa eum, et audi vocem eius: nec contemnendum putes, quia non dimittet cùm peccaveris. Et est nomen meum in illo. An quia angelum audis, non putas esse factorem Deum, sed quempiam angelum factum? absit. Magna certè dementia agitaris, si credis Deum cuiquam angelo et potestatem et nomen proprium contulisse: atque contra tuam simul et meam vocem, [i] non sit unus Deus qui fecerit omnia. Quare angelum dicis illi esse æqualem? [j] quod utique dicendum non est, quia ita non est, verum non est. Quis enim in nubibus æquabitur Do-
mino? Aut quis similis erit Deo Psal. 88.
inter filios Dei? id est, in angelis bonis, et in [k] hominibus sanctis, quos adoptionis amore divinæ paternitatis pietas filios vocat. Unde Christus venit? [l] unde venit? verè non aliunde quàm de Deo venit. Audi ipsum per Sa-
lomonem: Ego ex ore altissimi Eccl. 24.
processi. Item Pater in Psalmis
de eo: Ex utero ante lucife- Psal. 109.

 rum

[z] *Natus.* Trin.
[a] *Teneri.* Trin. et Amel.
[b] Feu-ard. *exactiùs.* Nostri omn. *expressiùs.*
[c] Trin. et Am. *ipso vocante ingrediar, &c.*
[d] *Permiserit*: sanior lectio, quam exhibent nostri codices omnes, pro *promiseris* quod edidit Feu-ardentius, non sine mendo.
[e] *Venit.* Feu-ard.
[f] Nostri om. tantum habent: *Quem vos vultis.*
[g] *Ad legislatores dicit.* Feu-ard. sed *dicit* non est in nostr. ullo.
[h] *Te* supplevimus ex nostris omnibus.
[i] *Non esse unum Deum.* Tol.
[j] *Quod utique verum non est*: idem.
[k] *Hominibus* ex nostris omn. Feu-ard. *omnibus.*
[l] *Item unde venit?* Trin. et Am.

rum genui te. Hinc et alias ipse
Prov.8. per Salomonem: Ante [l] colles ego parturiebar. Et Zacharias;
Zach.2. Hæc dicit [m] Dominus exercituum; post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliaverunt vos. Qui enim tetigerit vos, tanget pupillam oculi eius: quia ecce levabo manum meam super eos, et erunt præda his, qui serviebant sibi: et scietis, quia Dominus exercituum misit me. Vide omnipotentem Dominum exercituum ab omnipotente patre domino Deo exercituum missum, quando Christus venit. Missus est autem ad gentes post gloriam deitatis, quam apud Patrem habuit, cùm fieret humilis in forma servi, qui erat æqualis paternæ divinitati. Item
Isai.48. Esaias: Ego primus, et ego novissimus: manus quoque mea fundavit terram, et dextera mea mensa est cœlos. Non a principio in abscondito locutus sum: ex tempore antequam fieret, ibi eram, et nunc Dominus misit me, et spiritus eius. Ecce qui primus, et novissimus, et factor omnium est, mittitur a Domino Patre, cui et coæternus, et coæqualis habetur. Item quando Christus venit? quando venit? dicat Iacob in benedictionibus
Gen.49. Patriarcharum. Non deficiet princeps de Iuda, nec dux de femoribus eius, donec veniat qui mittendus est: et ipse erit expectatio gentium. Tunc ergo venit, quando per ambitionem, succedente in regno Herode alienigena, defecit in [n] Israel princeps de Iuda; in quo defectu advenit ille qui mittendus erat, quem gentes et populi expectabant. Item in Daniele, ad se lo- Dan.9.
quente angelo: Daniel animadverte sermonem, et intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur sanctus sanctorum. Quod tempus olim esse completum, prædictarum rerum et eventus et exitus docet. [o] Item ubi venit? dicat Micheas: Et tu Mich.5.
Bethleem domus Effrata [p] numquam parvula es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël. Et hoc secundum carnem; nam secundum divinitatem, illud est quod connectit: Et egressus eius a diebus æternitatis. Item David: Am- Psal.38.
bulabunt de virtute in virtutem, et videbitur Deus deorum in Sion. Item Ieremias in lib. Ba- Bar.3.
ruch: Hic est Deus noster, et non æstimabitur alter ad eum: qui invenit omnem viam prudentiæ, et ostendit eam Iacob puero suo, et Israël dilecto suo: post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. [q] Item qua-

[l] Feu-ard. *omnes colles*; sed non legitur *omnes* in nostris.
[m] *Dominus Deus*. Trin. et Tolet.
[n] *Hierusalem*. Tol.
[o] Antea scribit Feu-ard. *Ubi Christus venit*? quod nullus nostrorum habet.
[p] *Numquid*. Trin. et Am.
[q] Feu-ardent. *Quare venit Christus*? *Item quare venit*? Nos edimus ut habet Amel.

Digitized by Google

Isai.6. quare Christus venit? Per Esaiam ipse dicit: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, prædicare captivis redemptionem, et cæcis visum. Item ipse: Ecce Deus noster, ipse veniet, [r] et salvos nos faciet. Item
Abac.3. Abacuch: Existi in salutem plebis tuæ, ut salvos facias electos tuos. Item quomodo [s] venit? abiectus utique et egenus. Dicat
Zach.9. Zacharias: [t] Discite filiæ Sion: ecce rex tuus venit tibi iustus et salvans, pauper, [u] et sedens super asinum indomitum. In Psalmo David de eo ait: Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum, et abie-
Isai.22. ctio plebis. Item apud Esaiam ex persona Dei Patris: Ecce intelliget servus meus, et exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valdè. Sicut obstupuerunt super te multi, sic ingloriosus erit inter viros aspectus eius, et forma eius inter filios hominum. Iste adsperget gentes multas. Super ipsum continebunt reges os suum: quia quibus non nunciatum est de eo, videbunt, et qui non audierunt, contemplabuntur. Quis [v] credit auditui nostro, et brachium domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de ter-
Isai.53. ra sitienti: non est species ei, neque decor: et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum, despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem ferre infirmitatem; et quasi absconditus vultus eius et despectus: unde nec reputavimus eum. Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit, et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, et attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, et livore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in [x] viam suam declinavit: et Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur, et sicut agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustia et de iudicio sublatus est, generationem autem eius quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum: et dabit impios pro sepultura, et divites pro morte sua, eò quod iniquitatem non fecerit, neque dolus inventus fuerit in ore eius. Et Dominus voluit eum conterere in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum [y], et voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quòd laboravit anima eius, videbit et saturabitur. In scientia sua iustificabit

[r] *Salvavit nos*: Trin. et Amel.
[s] Amel. *Christus venit?*
[t] *Dicite*: Trin. et Amel.
[u] *Et* deest in Trin. et Amel.
[v] *Credidit*. Amel.
[x] *In via sua* præter Trin. et Amel. habent ceteri cum Feu-ard.
[y] *Super terram* adiicit Feu-ardent. quod desideratur in utroque cod. superiori.

Digitized by Google

bit ipse iustus servos meos multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideò dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in morte animam suam, et cum sceleratis deputatus est. Et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus oravit ut non perirent.
Isai.42. Item apud eumdem: Non clamabit, neque audiet quis in plateis vocem eius. Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet, sed in veritate docebit iudicium, et proferet iustitiam, quoadusque ponat in terra iudicium, et in nomine eius gentes sperabunt. Et in Psalmis
Psal.21. de seipso sic ait: Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum, et abiectio plebis.

CAPUT VI.

Oratione præmissa, probat filium S. Mariæ esse Deum.

Adaperi Iesus meus, adaperi os meum, et reple illud confessione misericordiæ tuæ. Tange os et auriculam cordis mei dicens, [a] adaperire; [a] ut audiam quid [b] loquaris per Spiritum sanctum tuum. Reple os meum laude tua, ut possim enarrare magnificentias tuas, atque confitear tibi misericordias tuas, et mirabilia tua filiis hominum, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen. Quid egisti domine? Quantum ad omnipotentiam unicæ Trinitatis pertinet, omnia per te facta sunt, et sine te factum est nihil. Quantum autem ad id attinet, quod specialiter in tua persona incarnari, et hominibus apparere salvator omnium advenisti, et ipse factus es sub lege, *Ad Gal.4.*
natus ex muliere. Verùm et [c] quos operum tuorum egressus habueris, atque quosnam saltus mirabilium diversitatibus dederis, Psalmista dicat: Visi sunt gres- *Psal.67.*
sus tui Deus, ingressus Dei mei. Illi utique quibus in mundum per Virginem venisti, et quibus ad Patrem per resurrectionis gloriam rediisti. Unde et venisse te tam multa vaticinantium dicta confirmant, quàm operum tuorum exempla demonstrant. Cùm igitur in mundum venisti, adversans tibi Iudæa datæ sibi legis assertionibus cognoscat, quid egeris. Primò itaque Iudæe, cum invisibiliter hic Dei filius et omnipotens Deus ad Virginem venit, quid egit, nisi ut iuxta quod Esaias dicit, de egressa *Isai. 11.*
virga, id est, de matre virgine, de radice generis Iesse [d] ascendit hic flos? Nascitur utique filius, nulla corruptione [e] creatus, sed sola sancti Spiritus infusione generatus. Item iuxta eumdem *Isai.7.*
ait, ut non in usu iuvencula, sicut tu mentiris, sed sicut ego verum dico, in signo concipiat, et

[a] Feu-ard. editio habet: *Effeta, quod est, adaperire*: nos priora verba extrusimus, quoniam in omnibus CC. nostris desiderantur.

[a] Pro *ut*, quod retinent omn. nostri, habet Feu-ard. *et*.

[b] Feu-ard. *quid loquar*, et similiter nostri præter C. Trin. qui scribit, ut edimus. Vetus editio: *quid dicatur*.

[c] Tolet. et Trin. *quia*.

[d] Nostri *ascendat*.

[e] Tolet. et Am. *concretus*.

Digitized by Google

et pariat virgo. Item iuxta eumdem ait, ut sine corruptionis accessu, solo Spiritus sancti calore, et virtutis Altissimi obumbratione aperiatur terra corporis, virginalis uterus, et hunc germinet salvatorem. Item iuxta Danielem ait, ut abscidatur, id est, ut [f] abstrahatur hic lapis de monte generis Iudæorum sine manibus præcidentis, id est, sine operatione corruptionis: et veniens in terram amplitudinis totius mundi, impleat potentia sua orbem terrarum, et a mari usque ad mare firmet dominium suum. Item verò iuxta Psalmistam ait, ut [g] egrediatur sponsus de thalamo uteri virginalis, assumpturus illam sponsam ex omnibus nationibus, [h] Ecclesiam universam. Cui alio loco dicitur: Audi filia vocem Dei, et vide misericordiam prævenientis te Dei. Et inclina aurem obedientiæ tuæ, et obliviscere populi tui prophanationes, et operum pravitates, et ne recorderis [i] domum patris tui, diaboli videlicet, [j] sive mundi illecebras, et temporalium rerum turpes amores. Item iuxta Psalmistam ait, ut de terra materni corporis oriatur nascentis veritas carnis, et respiciat de cælo iustitia deitatis. Sicque in unitate personæ Deo et homine consistente, hæc terra Virginis nostræ hunc det filii fructum, dante nobis domino benignitatem nostræ redemptionis. Item iuxta Ezechiëlem ait, ut de hac materni uteri domo per pudoris virginei portam idem dominus Deus Israël egrediatur, ac dum nec ante, nec post nativitatem eius ullum unquam integritas corruptionis novit accessum, eadem porta sit clausa: quia semper est virginitatis sera conclusa. Horum itaque [k] vaticiniorum omnium ad hoc summa prorrecta est, ut de Spiritu sancto, et Maria semper virgine fieret hoc Verbum caro, fieret Deus homo, fieret humanum quod erat divinum: non diminutione deitatis, non interitu æternitatis, non commutatione incommutabilis veritatis, sed assumptione carnis, sed [l] participatione hominis, sed societate humanitatis. Sicque in [ll] unitate personæ idem sit Verbum qui caro, idem sit homo qui Deus, idem sit et qui divinitas et qui humanitas est. Ac per hoc iuxta Ieremiam ipse unus Christus sit Deus, qui invenit omnem viam prudentiæ; qui et cum hominibus conversatus est homo. Iuxta Psalmistam ipse sit homo in Sion natus, qui fundavit eam Deus excelsus. Iuxta Esaiam, qui dicit: Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius est, quia excelsus reputatus est; ipse sit homo in cuius humanitatis aspirationibus divinitatis eius spiritus est, qui sit et Deus, qui est reputatus excelsus. Iuxta David ipse sit domi-

(Marginal references: Isai. 45. Dan. 2. Psal. 18. Psal. 44. Psal. 84. Ezech. 44. Bar. 3. Psal. 86. Isai. 2. Psal. 109.)

[f] Am. *obsecetur*.
[g] Ita omn. nostri: Feu-ard. *egreditur*.
[h] Feu-ard. *idest Ecclesiam*: nostri ut edimus, omisso *id est*.
[i] *Domum* non legitur in nostris.
[j] Pro *sive* scribit *suaves*. Amel.
[k] *Vaticiniorum*: ita omn. nostri CC. cum antiqua edit. Feu-ard. edit. *vaticinantium*.
[l] Trin. *participio*.
[ll] *In unitate*. Am. reliqui cum Feu. *in unione*.

minus Deus, ad quem loquitur dominus Deus: ipse sit homo, qui sedeat a dextris Dei. Iuxta Esaiam ipse sit homo, qui parvulus natus est nobis, qui sit et Deus, qui filius Dei datus est nobis. Iuxta Psalmistam ipse sit Deus, cui dicitur: Sedes tua Deus in sæculum sæculi; qui sit et homo, qui per exultationis oleum sancto Spiritu dicitur unctus. Iuxta vocem domini per Ieremiam, ipse sit homo, cui dicitur: Ecce [m] venient dies, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet iudicium et iustitiam super terram; qui sit et Deus, cùm subiicitur: In diebus eius salvabitur Iuda, et Israël habitabit confidenter, et hoc est nomen, quòd vocabunt eum, iustus Deus noster. Iuxta Micheam ipse sit homo, de quo dicitur: Stabit, et videbit, et pascet gregem suum; qui sit et Deus, cùm subiungitur: In virtute domini et honore nominis Dei sui erunt; quoniam nunc magnificabitur usque ad terminos terræ, et erit iste pax. Audisti quid egerit adveniens Deus in utero Virginis? Audisti quod cùm sit Deus, homo factus est? Audisti quia cum aliud sit Deus, et aliud homo; non tamen est alter Deus, et alter homo: sed unus est dominus [n] noster Iesus Christus, idem Deus et homo?

Isaiæ 9. *Psal. 44.* *Ierem. 23.* *Mich. 5.*

Audi iam nunc quæ miraculorum opera egerit: quæ mirabilium acta gesserit: quæ magnalium gesta fecerit: quas virtutum operationes patraverit: quos operationum effectus ediderit. Certè hæc quæ auditurus es, in gente tua, in genere tuo, in populo tuo, in plebe tua, facta cognosce. Quoniam et ipse qui ea fecit secundùm quod homo est, ex [o] traduce tua, ex stirpe tua, ex propagine generis tui, in veritate carnis naturæ meæ voluit nasci. Sed vellem planè contra sacrilegium et perfidiam tuam veritatis huius negotium partis meæ assertoribus intimare; [p] et veridicum ius veritatis meæ coram Domino et angelis eius in foro orbis terrarum, spectantibus cunctarum nationibus gentium, in eorum testium fidem proponere. Sed video te fallaci conatu, perversu astu, infido obiectu, labenti congressu, depravato animo, impuro sensu, [q] hyperbatonico eloquio, quod est ex omni parte confusum, velle te respondere, instrumenti novi auctores nolle recipere, sed auctoritatis vetustate assertionibus dimicare. Respondebo et ego: si novis assertoribus veritatis minimè cedis, saltem ipsi pro se loquenti veritati succumbe. Sed rursum obiicis: hæc, quæ dixisse veritatem opponis, novorum sunt prædicatorum intimata præconiis.

Et

[m] Nostri CC. MS. *dies veniunt.*

[n] *Dominus noster.* Trin. et Am. alter verò cum Feu-ard. *Dominus meus.*

[o] *Traduce* scribunt nostri omn. Feu-ard. *radice.*

[p] Extremum huius periodi membrum edimus ad nostros CC. omn. Quod ita habet Feu-ard. *Et ut veridicum ius ..... meorum testium fidem proponerem.*

[q] *Propbanatico* edebat Feu-ard. Nos ex nostris codicibus *hyperbatonico*, quod cum sequentibus mirè consentit; namque hyperbaton orationem redit perturbatam et obscuram, nisi prudenter adhibeatur.

Digitized by Google

Et ego dicam : ut ergo ais , tempore , non auctoritate contendis: electione , non iure disceptas: velle , non ordine causam narras, dum vetustatem novitati præponis : dum nova veteribus impugnas: dum veteribus nova evacuare conaris. Certè iste directus initæ disceptationis est ordo : iste actionis debitæ de iure processus: hoc negotii verum initium : hic disputationis ordinatæ competens modus ; ut vetusta promissa nova opera compleant : ut umbram veritas excludat : ut incerta et occulta patens exhibitio manifestet : ut antiquitatis arcana nova fides aperiat : ut veternorum secreta credulitas adveniens revelet : ut absconsa mysteria religionis novitas ostendat : ut temporum primitiva temporum plenitudo corroboret. At nunc quid vetera quæris , [r] quæ transierunt, et ecce facta sunt nova ? quid illorum temporum recordaris, propter quæ facta non sunt? quoniam facta sunt propter nos , in quos fines sæculorum devenerunt. Quid tantùm vaticiniis primævis attendis , cùm iam omne vaticinium rei gestæ sit exhibitione completum? Quid de lege et Prophetis agis , cùm ea , quæ usque ad Ioannem dixerunt , in Deo Christo Iesu nostro esse completa testentur etiam rerum omnium elementa ? [s] Quid verò dicam? ideò te nolle recipere novos, quia sprevisti vetustos : ex hoc iura novitatis impetere , ex quo antiqua visus es [t] sprevisse : ex hoc renuere gratiam , ex quo impugnaveras legem : ex hoc non dare fidem Evangelio , ex quo dudum contradixeras legali præcepto : ex hoc impugnare Apostolos , ex quo impugnaveras et Prophetas : ex hoc non adquiescere doctoribus meis , ex quo non adquievisti rectoribus tuis: ex hoc prophanare veritatem, ex quo prophanaveras et veritatis promissionem : ex hoc revelata nescire , ex quo [u] adoperta noluisti cognoscere : ex hoc esse [v] perfidum in temporum plenitudine , ex quo fuisti infidus in futurorum promissione. Sed age nunc , quonam ordine propositionis perversæ hic modus poterit esse iustus , ut in assequenda veritatis cognitione , de turba veridicorum personas eligas , quibus credas , [x] et dum emicans patulæ veritatis fulgor dixerit , non attendas ? Quo venefico ore , quo itinere dirigitur huius actio commoti certaminis , ut me apertiora iudicia proferente tu in tua electione constituas , quod in mea contradictione defendas ? Postremò quæ tergiversatio ista est, ut ego veritatem proferam , quam tu [y] renuas videre , et de eiusdem coneris inquisitione conten-

R de-

[r] *Quæ* Amel. Feu-ard. cum reliquis, *quia.*

[s] Loco horum verborum habent omn. nostri : *Cum verum video , ideò , &c.*

[t] *Fœdare.* Tol.

[u] *Adaperta* Feu-ard. Trin. verò et Amel. *adoperta* , et quidem genuina lectione , nam voluit hoc opponere superiori verbo *revelata* , quod idem est ac *adaperta* , nedum illi contrarium.

[v] *Perfidum* ex nostris , non *perfidus* , quod habet Feu-ard.

[x] Tol. C. habet : *Et micans veritatis fulgur intendens , non attendas.* Sed si pro *dixerit* legatur *eluxerit* lectione Feu-ard. nulla melior.

[y] Feu-ard. *renuisti* : nostri omnes *renuas.*

Digitized by Google

dere? Aut quisnam hic conglobatæ responsionis est ictus, [*] ut assertores veritatis inquiras, et prolatam veritatem videre contemnas? Si licet tibi eligere cui credas, ergo eligere liceat et quod credas. Si licet tibi electione tua vindicare quod credis, [a] liceat et electionis invenire auctorem cui credas; ac per hoc ita iudiciorum regulas rumpis, ut de electione feras libitum, non de iusta disceptatione iudicium. Non enim quod debes, sed quod placet dicis: neque quod inveniat, sed quod operiat veritatem opponis; dum publicè veritati non credis, et hanc in abditis quæris: dum per semetipsam quid verum sit de se veritas clamat, et tu de illa quid verum se habeat, electionis disputatione requiris. Veritas dicit per semetipsam: Ego sum; et tu, qui speciem ostendat veritatis, inquisi-
Ioan. 14. torem quæris? Veritas dicit: Ego sum via; et tu in deviis viam quæris? Veritas dicit: Ego sum vita; et tu vitæ præcones in-
Ioan. 16. quiris? Veritas dicit: Qui sitit, veniat et bibat; et tu qui sitientem potet, adsciscis? Veritas dicit:
Ioan. 10. et 14. Ego a Deo exivi, et veni in hunc mundum; et tu eligis, quis sit ille qui venire possit in mundum? Veritas dicit: Ego et pater unum sumus: et [b] qui me videt, videt et patrem; et tu asseris hunc nec a Deo esse, nec huic æqualem existere posse? At verò quia ex defensoribus partis tuæ tibimet applaudis, nolo sis anceps. Pro certo autem disce, quia quos tibi advocas, mei sunt: quos tibi assumis, proximi mihi sunt, et quos tibi adsciscis notissimi mihi sunt. Quæ enim [c] in tuis auribus suis vocibus indiderunt, cordi meo virtute intelligentiæ impresserunt: quæ tibi sonuerunt, mihi cohæserunt: quæ te sonitu tetigerunt, me tactu illustraverunt. Sed iam [d] placabilis ego cedam, non victus veritate, sed fultus; cùm tu infamis cedas, non fultus veritate, sed victus. Astipulabunt enim testes tui quæ assero: firmabunt quæ intimo: asseverabunt quæ propono: stabilienquæ contestor: statuent quæ intulero. Fides namque mea illorum est veritas: propositio mea illorum est attestatio: cognitio mea illorum est testimonium, loqui in tempore meum, illorum est sapere in æternum: proponere meum, firmare est [e] eorumdem: non tacuisse meum, dixisse illorum est? Sic lingua mea flatus illorum est: sic eloquium meum spiritus eorum est: sic verbum meum spiraculum est ipsorum; quia verbum Dei, quod per illos venit, in me pervenit: quia sapien-

[*] Amel. Cod. *ut per assertores veritatem inquiras, &c.*

[a] Lectionem hanc exhibet Tolet. noster: Feu-ard. et ceteri scribunt: *liceat et electionem invenire, cui credas.* Neutra quidem lectio nobis maximè probatur, qui mallemus legere: *liceat et electione invenire, cui credas.* Sane quid sit *credere electioni*, vel *auctorem electionis invenire* non satis capimus.

[b] *Qui me videt, videt, &c.* Tol. et Am. Feu-ard. cum alio edebat *vidit, vidit.*

[c] Feu-ard. *tibi in tuis auribus.*

[d] Est *placabilis* in Trin. et Am. In Feu-ard. legitur *placibilis.*

[e] Ubi habet hic Feu-ard. *eorumdem*, scribunt Am. et Trin. *illorum est*: et contrario infra, ubi Feu-ard. *dixisse illorum est.*

pientia Dei, quæ illos implevit me tetigit: quia spiritus Dei, qui illis loqui dedit, mihi audire et annuntiare concessit. Inde cor illorum os meum est: inde os illorum sermo meus: inde sermo illorum fides mea: inde fides illorum affirmatio mea: inde quod sapiunt, dico: inde quod dicunt, scio: inde quod sciunt, annuncio: inde quod inquiunt, non taceo: inde quod annunciaverunt, enarro. Quia [f] vivit in me, qui vivebat in illis: quia est in me, qui erat in illis: quia non tacet in me, qui loquebatur in illis: quia manet in me usque in æternum, qui non defuit in illis usque adhuc. Quare ergo non
Ioan.17. credis filio dicenti: Omnia quæ habet pater, mea sunt; cùm ad
Psal.8. patrem de illo dicatur: Omnia subiecisti sub pedibus eius? Quare non credis filio dicenti: Amodò videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei;
Psal.109. cùm et pater illi dicat: Sede a dextris meis? Quare non credis
Ioan.5. filio dicenti: Pater meus usque modò operatur, et ego operor;
Gen.1. cùm pater illi dicat: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram? Cur non cre-
Ioan.14. dis filio dicenti: Si sciretis patrem meum, utique et me sciretis; cùm pater illi dicat: Fi-
Isai.2. lius meus es tu, ego hodie genui te?

CAPUT VII.

Duplicis instrumenti verborum connectione Christum docet ut hominem, ita sanè et Deum altissimum esse. Item totam Servatoris nostri vitam usque ad Spiritus sancti in Apostolos missionem copiosè depingit.

Sed veni, quò cœpimus properemus: quo ire conati sumus, ire non desinamus: quò gradi nisi sumus, avidiùs impellamur: quò cœptum est ambulare, non desinatur ambulasse. Gressus pergat animæ, pes properet mentis, poples ambulet cordis. Genu vale, [g] crure stabilire, tibia substa, ne talo concidas, ne planta ruas, ne pede [h] labaris: totus conare, totus expedire, totus assurge: propone quod sapis, dicito quod nosti, loquere quod intelligis. Quod ruminas prome, quod cogitas enarra, quod machinaris expone. Adest veritas: hic est veritas: ecce est veritas. Præstò sunt qui vera dicunt, præstò sunt qui vera sapiunt, præstò sunt qui vera proponunt, præstò sunt qui vera defendunt. [i] Ego ego prorsus, cùm tu meos prophanes, tuis delector auctoribus. Cùm tu meis deroges, ego tuorum delector assertorum eloquiis. Cùm tu meis contradicas, ego [j] tuos obediens et obtemperans amplector auctores. [k] Tanto enim tui mei sunt,

 quan-

[f] *Quia vivit* ex Trin. et Amel. *Quia est* edebat Feu-ard.

[g] *Crure* ex Am. et Trin. reliqui cum Feu-ard. *crus.*

[h] *Labaris* omn. nost. Feu-ard. *delabaris*, quod ex ultima syllaba verbi præcedentis conflatum fortè fuit.

[i] Alterum *ego* ex nostr. omn. adiecimus.

[j] *Tuos* quod edimus est ab Amel. Cod. nam in ceteris sicut in Feu-ard. est *tuis*: sed illa lectio optima, et verior visa est.

[k] Tol. habet: *Tanto enim tui mei sunt, quanto mei tui non sunt*: deinde prosequitur, ut reliqui.

Digitized by Google

quanto tu a meis es alienus. Tanto tui iam non sunt tui, quanto nec mei poterunt aliquatenus esse tui: quia unum, et in unum, et ab uno, et per unum sunt tui simul et mei. Dicito itaque tu, qui nec veritati credis, qui nec veritati faves, qui nec veritati pares, qui nec veritatem diligis, qui nec veritati obedis, qui nec veritatem auscultas; quare summi Numinis iussa contemnis? quare factoris oracula irrita facis? quare sapientia arcana cùm considerare nequeas, impugnare pertentas? quare prudentiæ Dei stultè derogas? quare virtuti Dei, cùm ipse sis pulvis, imbecillitatem adiungis? Qui non credidisti Deo patri dicenti ad filium suum Christum dominum meum:
Psal.2. Filius meus es tu, ego hodie genui te; quod nulli alteri hominum dixit, quia nulli alteri hominum dedit hæreditatem suam gentes habere, et in possessionem suam terræ terminos possidere, quos [l] regeret in virga ferrea forti, et quos contereret veluti vasa lutea figuli, non humani exemplis edicti, sed proprii iure dominii; crede eidem filio
Ioan.10. dicenti de se: Ego et pater unum sumus, et qui me videt, videt
Ioan.14. et patrem: et omnia quæ habet pater, mea sunt. Et per Salomonem eadem sapientia, quæ filius
Prov.8. Dei est: Quando præparabat cœlos aderam, quando certa lege et gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum; quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos; quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens. Qui non credidisti filio veritatem de se dicenti, crede Spiritui sancto, de quo dicitur: Spiritus domini *Luc.4.*
super me; propter quòd unxit me: evangelizare pauperibus misit me. Et iterum ibi: Requie- *Isai.2.*
scet in eo spiritus domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini. Hoc enim est, quod per Ioannem dicitur: Et testimonium *Ioan.1.*
perhibuit Ioannes dicens: Quia vidi spiritum descendentem, quasi columbam de cælo, [ll] et mansit super eum, et ego nesciebam eum. Sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est filius Dei. Qui non credidisti [m] singillatim Personis deitatis loquentibus, credito eidem indivisæ Trinitati simul cooperanti, simulque operatrici. Sic enim per Esaiam dicitur: Et nunc Do- *Isai.48.*
minus misit me, et spiritus eius. Ecce enim in eo quòd per Virginem nostram Dei filius incarnari venit, operationis suæ novam admirationem tota Trinitas ostendit. Tu ergo iam qui non credidisti veritati, quæ summa est

[l] Trin. et Amel. habent *reget*, et inferiùs *conteret*.

[ll] *Et manentem* edidit Feu-ard. nos *et mansit*, quod legimus in omnibus nost.

[m] *Singillatim* ex nost. omn. *Singulatim* Feu-ard.

est veritas, et quo nihil est verius, non erubescas credere assertoribus veritatis. Nam licèt et isti creatura et conditio sint veritatis qua conditi sunt illius, qui plenam ac summam veritatem de suo conditore, atque de veritate ipsius sui conditoris annuntiant, ita tamen per se contemnitur ipse, dum contemnitur per istos, sicut creditur illi, dum de illo creditur et istis. Nam interdum et iudex per se quidem cum criminoso non contendit, sed per internuntios confessionem suadendam extorquet; et non est illi onerosum, [n] si non contemnat nuntium iudicis, qui contempsit præsentiam iudicantis, solùm ut obtineat plenitudinem veritatis, qui tenet iudicium sanctionis. Crede iam ergo Petro dicenti: Tu es Christus filius Dei vivi. Quia in Daniele Rex ille impius hunc aspicit, cùm dicit: Ecce video viros quatuor solutos, et ambulantes in medio ignis, et species quarti similis filio Dei; quem verè hunc esse credimus dominum Salvatorem. Sed ne obiicias quòd in eodem Daniele iste filius Dei superiùs angelus nominatur, audi eumdem Christum filium Dei per Malachiam angelum dici: Veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, et angelus testamenti, quem vos vultis vel desideratis. [o] Quod quia non est quare dubites, quare non credis etiam Ioanni dicenti: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Cum per David Pater de illo dicat: Eructavit cor meum verbum bonum. Item quare non credis eidem Ioanni dicenti? Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil; cùm eadem sapientia, quæ verè filius Dei est, per Salomonem dicat: Nec dum erant abyssi, et ego iam concepta eram. Nec dum fontes aquarum eruperant: nec dum montes gravi mole constiterant, [p] ante colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terræ. Quare non credis Matthæo de nativitate eius dicenti: Christi generatio sic erat. Cùm esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto? Hoc enim est quod Esaias dixerat: Ecce virgo in utero [q] concipiet, et pariet filium: et vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus. Erubesce, impure, et vide eumdem esse nobiscum Deum, qui natus est homo. Quare non credis Lucæ dicenti de loco nativitatis eius: Ascendit Ioseph a Galilæa de civitate Nazareth, in Iudæam civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eo quòd esset de domo et

Math.16. Dan.3. Malac.3. Ioan.1. Psal.44. Ioan.1. Prov.8. Math.1. Isai.7. Luc.2.

[n] *Si contemnat* edebat Feu-ard. sed ipsa per se sententia exigit negationem, quam in omnibus nost. cod. reperimus.

[o] Veram nostro iudicio lectionem huius loci restituimus ex nostris omnibus. Namque illa Feu-ard. *Quod quia aliud non est, quare dubitas?* vix sensum habet.

[p] Et hoc loco scribit Feu-ard. *ante omnes colles*, sicut et supra fol. 124. contra omn. nostr. CC. testimonium.

[q] *Accipiet*: Trin. et Tolet.

Digitized by Google

et familia David; ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Factum est autem, cum esset ibi, impleti sunt dies ut pareret, et peperit filium suum primogenitum. Hoc enim est
Mich.5. quod Michæas dixit: Et tu Bethlehem domus Ephrata, numquid parvula es in millibus Iuda? Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël, et egressus eius a diebus æternitatis. Quare Matthæo non credis, de ostensione eius per sydus [r] Magosque dicen-
Matth.2. ti: Cùm natus esset Iesus in Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam dicentes: Ubi est qui natus est Rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in Oriente, et venimus adorare eum. Et infra: Videntes autem [s] Magi stellam, gavisi sunt gaudio magno valde; et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre eius, et procidentes adoraverunt eum. Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham. Hoc enim et Balaam ille divinus
Num.24. in Numeris intulit dicens: Orietur stella ex Iacob, et consurget homo de Israël. Magi namque ab Orientis partibus venientes, nativitatem Christi primi stella indice nuntiaverunt: ut quem artis eorum princeps [t] ante tempus prædixerat, cùm stellæ [u] ortu viderent consurgere hominem; illi cum stellæ visu nascentem surrexisse hominem demonstrarent. Hinc et Esaias:
Omnes de Saba venient, aurum, Isai.60.
et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes. Quare non
credis Ioanni dicenti: Erat lux Ioan.1.
vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit? Hoc enim
est quod et David dicit: Apud Psal.35.
te est Domine fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. Et
per Esaiam dicitur: Propter hoc Isai.52.
sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Quare non credis eidem Ioanni dicenti de
exprobratione tua: In propria ve- Ioan.1.
nit, et sui eum non receperunt? Hoc enim est quod et per Iere-
miam de te dictum est. [v] Prævari- Ierem.5.
catione prævaricata est in me domus Iuda, ait Dominus. Negaverunt me, et dixerunt: non est ipse. Quare non credis Marco de miraculis operum eius dicenti:
Afferebant ad eum omnes malè Marc.1.
habentes, et dæmonia habentes, et erat omnis civitas congregata ad ianuam, et [x] curabat multos, qui vexabantur variis languoribus, et dæmonia multa eiiciebat. Hoc
est enim quod Esaias dicit: Ecce Isai.35.
Deus noster, ipse veniet, et salvabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum [y] audient. Tunc saliet claudus quasi cervus, et clara erit lingua mu-

[r] *Magosque* nostr. omn. *Magis* Feu-ard.
[s] *Magi* desideratur in Trin. et Amel.
[t] Ita nostri: Feu-ard. *ante multum tempus*.
[u] *Ortu* omnes nostr. *ortum* Feu-ard.
[v] *Prævaricando*. Tol.
[x] *Curavit* Tol. et Amel. cum ant. editione.
[y] Solus Feu-ard. scribit *patebunt*. Antiq. edit. cum omnibus nostris consentit in verbo *audient*, quod edimus.

Digitized by Google

mutorum. Nam de passione, contumeliis, cruce, clavis, morte, et sepultura quid tibi iam loquar, cùm te fecisse illa non dubites? Quæ si facta non crederes, verè quidem non leviter perfidares. Cùm autem facta nosti, et hæc non ad salutem mundi facta intelligis, sed ad eius (ut videtur tibi) ignominiam talia [1] te fecisse contendis, verè graviter [a] duplici criminis insolubili nodo [b] vinciris: quando et de homicidio innocentis reus teneris, et hanc mortem eius, a te quidem crudeliter inlatam, ab illo autem sponte susceptam, ad salutem mundi profecisse non credis. Sed quia non [c] diffiteris te impiè egisse; quare mecum universa Redemptoris gesta non credis facta pro nobis misericorditer esse? Audi miraculorum potentiam, quæ inter ipsa pœnarum supplicia [d] videntur exorta. Voluisti enim sacrilegis [e] ausibus extorquere, sacris vocibus præsentium silentia, miraculis antra, virtutibus latebras, et cunctis operibus eius oblivionis opponere umbram. Prov. 21. Sed dicente Scriptura: Non est sapientia, et non est scientia, et non est consilium contra Deum; dum impugnare niteris, expugnatus es: et miro transactionis commercio, miro certandi congressu, miro contrarietatis obtemptu, miro sibimet repugnantium rerum effectu elicitur de latebra veritas, de antro lumen, de tenebris splendor, de ignominia miraculum, de infirmitate virtus, de pœna victoria, de contemptu honor, de cruce trophæum, de morte vita, de sepulcro vivens, de servitute mortis homo liber, de inferis victor, et (quod superest) de oblivione testimonium, de silentio vox, et de extincto quod numquam possit extingui. Vide ergo quæ videre noluisti. Attende viventia, quæ putaveras extincta. Intuere in toto terrarum orbe [f] præclara, quæ suasisti custodum mendaciis esse tegenda. Considera qualiter et in cælo, et in toto mundo fulgeat cum immensitate miraculorum, et universitate fidelium, cuius nomen noluisti ampliùs memorari. Et responde, quare non credis 1 ad Cor. 15. Paulo dicenti: Tradidi vobis in primis quod et accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm Scripturas; et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundùm Scripturas; et quia visus est Cephæ, et post hoc undecim: deinde vi-

[1] *Te* desideratur in Amel.

[a] Feu-ard. *duplicis*. Omn. nost. *duplici*.

[b] *Vinciris* ex omn. nost. Feu-ard. *vincieris*.

[c] *Diffiteris* edimus ex nost. pro *denegas*, quod habet Feu-ard. Sed CC. Trin. et Amel. totam hanc periodum aliter legunt, et certè non contemnendi: *Sed quare non diffiteris te impiè egisse, quæ mecum universitas redemptorum credit gaudens facta misericorditer esse?*

[d] Pro *videntur* legitur in Trin. *sunt evidentèr*, quam lectionem non despicimus.

[e] *Ausibus* edimus ex Trin. et Amel. Reliq. cum Feu-ard. *auribus*. De cetero exhibemus variantem lectionem C. Ameliani, qui scribit: *Voluisti enim sacrilegis ausibus extorquere sacris vocibus patentium silentia miraculorum, atram virtutibus latebram, et cunctis operibus eius &c.*

[f] Habet hoc loco Feu-ard. *facta cunctis esse præclara*: quæ priora verba in omnibus nostris desiderata reiecimus.

Digitized by Google

visus est plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc: deinde visus est Iacobo: deinde Apostolis omnibus [g]? Hoc enim est quod et idem per David dicit: Caro mea requiescet in spe: quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. De qua resurrectione dicitur et alibi: Ego dormivi, et quievi, et resurrexi, quoniam Dominus suscitavit me. Quibus dictis non aliud quàm dormire mori, et evigilare resurgere est. Item in Esaia: Nunc exsurgam, dicit Dominus: nunc exaltabor, et nunc sublimabor. Ubi apertè hic Propheta proponit, quòd exsurgeret a mortuis, et exaltaretur in cælo, sublimaretur in regno. Quare non credis universæ Ecclesiæ catholicæ, a solis ortu usque ad occasum, et a mari usque ad mare diffusæ, uno ore dicenti: Credimus in Iesum Christum filium Dei, qui propter nos, et propter nostram salutem crucifixus, mortuus, et sepultus, tertia die resurrexit vivus a mortuis? Hoc enim est, quod et Osee ex persona sanctorum dixerat, qui cum illo ab inferis die tertia surrexerunt: Venite, revertamur ad Dominum, quia ipse cepit, et sanabit nos. Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu eius. Item in eodem Propheta: Quasi diluculum præparatus est egressus eius. Hoc enim est, quod Lucas refert: Una sabbati valde diluculò [h] mulieres venerunt ad monumentum portantes quæ paraverant aromata, et invenerunt lapidem revolutum a monumento, et ingressæ non invenerunt corpus domini Iesu. Quare non credis eidem veritati de hac sua resurrectione dicenti; qui resurgendo complevit, quod in suis periculis Ionas propheta tuus, imò potius meus, antè præmiserat? Generatio prava et adultera signum quærit; et signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim Ionas fuit tribus diebus, et tribus noctibus in ventre cæti, ita erit et filius hominis in corde terræ, id est, in sepulcro. Post quod triduum, sicut ille belluam, ita sepulcrum iste reliquit. Inde enim solus inter mortuos liber; quia sicut nec peccati contagio, ita nec mortis retineri potuit vinculo. Quare non credis Marco dicenti: Et dominus quidem Iesus postquam locutus est discipulis, assumptus est in cælum, et sedet a dextris Dei? Hoc enim est quod et Daniel

Psal. 15. *Psal. 3.* *Isai. 33.* *Osee 6.* *Luc. 24.* *Matth. 12.* *Psal. 86.* *Marc. ult.*

[g] Post hæc verba unus C. Amelianus hæc habet: *Ex quibus LXXII. vicinia nostra idem in Apostolatum accepit Martialis nobilissimus Apostolus, qui primus illuminavit populos occidentales, sedentes in tenebris, et umbra mortis.* Hic certè locus inepto librario Gallico aptissimus visus fuit ad gloriam suæ gentis celebrandam, ex qua viri eruditi contra viros eruditos contendunt, Apostolorum temporibus varios illorum discipulos in Galliam missos fuisse, qui fidem annuntiarent, quos inter sanctus hic Martialis numeratur, primus, ut aiunt, Lemovicensium Episcopus. Ut ut res sit, quam certè huius loci expendere non est, importunissimam hominis animadversionem, eamque in textum orationis immissam quis non rideat?

[h] *Quando mulieres venerunt* edebat Feuard. sed *quando* non legimus in nostris.

Digitized by Google

Dan. 7. niel dicit : Aspiciebam in visu noctis, et ecce in nubibus cæli quasi filius hominis veniebat. Subiungit et dicit : Et usque ad antiquum dierum pervenit ; id est, usque ad Patrem. Post hæc infert: Et in conspectu eius obtulerunt eum : et dedit ei potestatem et regnum: et omnis populus, et tribus, et linguæ ipsi servient. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum eius quod non corrumpetur. Quare non credis, ipso donante in eum credentibus post mortem eius sanctum Spiritum datum ? Hoc enim est quod per Ioel prophe-
Ioel 2. tam dictum est : In novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ. Quare non credis venturum iudicem, Marco
Marc. 13. dicente : Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, et gloria : et congregavit electos suos? Hoc
Psal. 49. enim est quod et David dicit: Advocabit cælos sursum, et terram discernere populum suum. Congregate illi sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia. Et annuntiabunt cæli iustitiam eius, quoniam Deus iudex est.

CAPUT VIII.

Ostendit Deum multa fecisse magnalia in Virgine gloriosa, ex quibus quisque colligat potuisse ipsius virginitatem in partu illæsam facilè servare. Sterilis Elisabeth, aliorumque testimonio divinitatem in Christo confirmat.

Audisti testimonium patris de filio ? audisti testimonium filii de se ipso simul et patre? audisti testimonium de Spiritu sancto, qui ut hunc filium Dei esse ostenderet (de quo secundùm divinitatem idem Spiritus procedit) [1] quòd descenderit in eum corporaliter secundùm veritatem incarnationis ipsius, propter cuius incarnationem hæc omnia et vetustorum et novorum prædicatorum locuta sunt ora ? Audisti quæ lex, et Prophetæ a Moyse usque ad Zachariam enarraverunt ? Audisti quæ a Ioanne filio eius, et deinceps Evangelistæ, et Apostoli protulerunt? Audisti quæcumque et primis et novissimis temporibus per primos et novissimos vates (uno sancto Spiritu per eos cuncta loquente) concorditer, et absque omni hæsitationis scrupulo in unius rei cognitionem redacta veridicè sunt prædicta ? Audi iam nunc diversarum conditionum, sexuum, ætatum, rerum, et elementorum insignia; ut si te vaticinantium mira dicta non movent, tandem contemplatio diversitatis [j] aliquando moveat

S

[1] Hoc verbum *quod* libenter deleremus, nisi omnium CC. et librorum editorum suffragiis niteretur. Perturbat enim omnem orationis sensum : quo sublato omnia plana sunt, et aperta.

[j] *Aliquando* est in Amel. Ponimus pro *aliquo modo*, quod edidit Feu-ard. et habent ceteri.

Digitized by Google

veat admiranda. Crede primò ipsi Virgini dicenti, quam evidenter et persona et natura divinitatis aggressa est, [k] et quid verum de se dicat ausculta: Ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est: et utique illa, quæ tantò sunt admiranda cùm videntur, quantò et necessariò prævisum est, ut ante tot, et per tanta tempora mirabiliter dicta essent, ad redemptionem mundi mirabiliùs expectanda. Illa utique, ut per hanc virginem Deus fieret homo, Verbum fieret caro, et filius Dei factor omnium fieret filius matris, quam ipse formaverat. Essetque dominator nascendo subditus ancillæ, quam ipse condiderat. Sicque haberet ancilla in subdito dominum: ancillam dominus in prælato. Ita factorem suum pareret mater: ita factor informis materiæ rerum nativitatis suæ materiam faceret matrem: atque fieret ex ea, quam fecerat idem factor. Ut haberet nascendi auctricem, cui faciendæ auctor extitit idem. Semperque diversa essent concordantia; dum pro humanis humiliantur divina, et in divinis sublevantur humana. Dumque quod sublime est, cedit humili, et humile dirigitur in sublime: dum forte infirmatur in humili, et humile roboratur in forti. Dum fœminam aggreditur Deus, et profert fœmina virum: dum in utero fœminæ non fuit factoris opus operationis solitæ usu, sed statuens admirationem in magnitudine rei, sicut totum fecit ex nihilo, ita faceret ex inauditis hoc solum, quod semper esset in miro. Sicut in uterum Virginis uteri factor ingressus novitatis opus efficit, faciens quod ante non fecerat, licèt et faciendum esse prædixerat: ut in admiratione rei remota lege naturæ hoc fieret, quod et in se natura factum agnosceret; et inde in se fieri hoc posse negaret, unde nulla concordia usitatæ rei id fieri posse monstraret. Ita homo pareret Deum, ita parturiret terra divinum, ita virginitas pareret prolem, ita remoto viro parturiret fœmina virum. Audisti Virginis oraculum, quæ in veritate tam verè utero carnis concipit, et generat, quàm verè utero mentis accipit, et enarrat: uno enim spiritu et ad fidem fœcundata est, et ad prolem. Audi post hæc maritatam, natura sterilem, diebus provectam, moribus illustrem, iustitia plenam, in mandatis eius coram Domino incedentem, in iustificationibus Domini permanentem, inter proximos sine quærela persistentem, Sacerdotis coniugem, vaticiniis certam, mysteriis cognitam, sacramentis imbutam, et sancto Spiritu plenam Elisabeth. Cùm enim salutasset eam hæc nostra Virgo, ad cuius gloriam pertinent hæc quæ enarramus; exultavit infans in utero eius, et repleta Spiritu sancto Elisabeth exclamavit voce magna dicens: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Do-

Luc. 1. (margin, beside "rum de se dicat ausculta: Ecce")

Luc. 1. (margin, beside "Benedicta tu inter mulieres")

[k] Trin. *et quod de se verbum dicat ausculta.*

Digitized by Google

Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Et beata quæ credidit, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt ei a Domino. Audi deinde senis Simeonis confessionem, qui ad exprobrationem infidelitatis tuæ fessorum vetustate senili artuum resolutionem non potuit obtinere, donec videret Christum Domini sponsione sancti Spiritus repromissum. Sic enim de eo di-
Luc. 2. citur: Homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, et homo iste iustus, et timoratus, expectans consolationem Israël: et Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat a Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum: et cùm introducerent puerum Iesum parentes eius, ut facerent secundùm consuetudinem legis pro eo, et ipse accepit eum in manibus suis, et benedixit Deum, et dixit: Nunc dimittis Domine servum tuum secundùm verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum: lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israël. Audisti senem veternosum Spiritu Dei plenum: audi quid dicatur de Anna vetula, quæ erat ex officio Prophetissa, ex genere præclara,[l] ex tribu et familia David nobilissima. Primùm corpore ac mente virgo, deinde cum coniuge honesta, comitatu coniugis non longæva, duodecies septies viduitatis annositate longissima, templi incola, ieiuniis austera, obsecrationibus opulenta, servitute Dei diebus ac noctibus occupata, nomine Anna. [ll] Namque et ipsa per Spiritum Dei loqui probatur, cùm de illa dicitur: Et hæc superveniens con- Luc. 2.
fitebatur Domino: et loquebatur de Iesu omnibus, qui expectabant redemptionem Israel. Audi post hæc cæcum, cui cùm de se dixerit iste Deus: Tu credis in Ioan. 9.
filium Dei? respondit ille, et dixit: quis est Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: credo Domine. Et procidens adoravit eum. Crede quoque Marthæ, quæ dum de resurrectione fratris dubitaret, de filio Dei dubitare non potuit. Cui cùm Iesus diceret: Ego sum Ioan. 11.
resurrectio, et vita: qui credit in me, etiam si mortuus [m] fuerit, vivet: et omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum. Atque illam continuò interrogans, cùm subiecisset: credis hoc? illa respondit: Utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. Sed quid per longa rapior, et me [n] in diversa dispergo, dum te singularum testimonio personarum convictum superare contendo? Transgrediar singulariter ad stipulatas te-

[l] *Ex tribu familiæ notissima*: Tol. et Amel.

[ll] *Quæ et ipsa* Tol. et Amel. qui pro *loqui probatur* habet: *loquens prophetat.*

[m] *Mortuus fuit* edebat Feu-ard. Nostri vero omn. habent: *mortuus fuerit.*

[n] *In diversa* edimus ex nost. omn. *In universa* scribit Feu-ard.

Digitized by Google

testium cautiones. Quia et sufficit tantos de talibus tanta et talia dixisse; licèt ego non explicaverim omnes talium et tantorum innumeros et innumerabiliter existentes veridicos testes, qui tantò nobiliores sunt, et illustres, ut sint et terræ incolatu felices, et cæli habitatione sublimes. Verum audi generale plebis tuæ testimonium, audi universalem gentis tuæ [o] consensum, cùm di-
Ioan. 11. citur: Multi ergo ex Iudæis qui venerant ad Mariam, et viderant quæ fecit Iesus, crediderunt in eum. [p] Item dum appropinquaret iam ad descensum montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ descendentium gaudentes laudare Dominum voce magna super omnes quas viderant virtutes, di-
Luc. 19. centes: Benedictus [q] qui venit in nomine Domini. Pax in cælo, et gloria in excelsis. Ecce vivorum te convictum testimoniis, adhuc mortuorum attestatione convincam. Sic namque de tempore mortis eius dicitur: Cùm emi-
Matt. 27. sisset spiritum, ecce monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis, post resurrectionem eius venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis. Audisti viventium præconia? Audisti mortuorum attestationes? Verum est quia audisti: nec te audisse, imò nosse certè, et nolle credere poteris pernegare. Sed si testimonio viventium, ac defunctorum resurgentium attestationi non credis, rogo saltim, ut illi cuius usque huc dominio teneris, imperio regeris, instinctu vexaris, cedas, succumbas, obedias, et confitenti Dominum dæmoni
credas, de quo dicitur: Occur- *Luc.* 8.
rit illi vir quidam, qui habebat dæmonium iam temporibus multis, et vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis: ut vidit Iesum, procidit ante illum, et exclamavit voce magna, et dixit: Quid mihi et tibi Iesu, fili Dei altissimi? Obsecro te, ne me torqueas. Præcipiebat enim spiritui immundo, ut exiret de homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, et vinciebatur catenis et compedibus custoditus: et ruptis vinculis agebatur a dæmonio in deserta. Interrogavit autem illum Iesus dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: legio; quia intraverunt dæmonia multa in eum. Et rogabant illum ne imperaret illis, ut in abyssum irent. Crede oro dæmonio, crede, ut dum credis quod ille fatetur, evadas quod ipse meretur. Dumque confessioni eius non contradicis, operi contradicas: ut in eo quod credideris sicut ille, desinas operari quod ille. Sicque illius arripiens vocem, reprobes opus. Sic communem confitens factorem, et dominum, servitutis illius excutias iugum. Sic eius habita confessione desinas diffiteri, quod illo dæmone

[o] *Consensum* habent nost. CC. omn. *concessum* edidit Feu-ard.

[p] *Item* edimus ex Trin. et Amel. pro *ita*, quod habet alter C. cum Feu-ard.

[q] Ambo iidem CC. hic scribunt: *qui venit Rex in nomine &c.*

Digitized by Google

ne [r] impellente cogeris pernegare.

CAPUT IX.

Angelorum attestatione, rerumque omnium insensibilium obedientiâ docet Christum Deum, perinde ac hominem esse; ut inde Iudæus apertè colligat, ipsum cum virginitatis decôre matrem suam servare potuisse.

Hactenus de confinio telluris, de habitatoribus humi, de participibus arvi, de comitatu terreno: ex societate hominum, ex humana cognitione, ex hominum narratione, ex humano eloquio, [s] ex humana conditione testimonium attuli, testem protuli, attestationem intuli, testificationem detuli, propositum firmavi; adstipulavi quod dixi, asserui quod intendi, roboravi quod inieci, [t] et veritate pleniori firma monstravi, quæ in audientia de hac fide certus induxi. Iam nunc multò lætus, multò iocundus, multò elatus, multò plaudens, exornem quæ sunt firmata, venustem firma, decorem solida, et situm [u] regionum permutans, postquam terrenorum attestatione sufficio, postquam beatorum hominum testificatione redundo, postquam dæmonum confessione delector, cælos appetam, cælestia præscrutabor, [v] in cælestibus inquiram, cælorum regiones fide ac mente discurram; ibique inveniens defensores propositionis meæ, de illa curia cælestis militiæ adducam, qui fidei meæ [x] prærogativa convincant, qui validiùs connectant quæ ego dixeram, qui fortiùs alligent quæ ego proposueram, qui firmiùs astringant quæ ego intuleram, qui æternæ pacis solididate stabiliant, quæ ego defensionis contentione narraveram, qui [y] calore æternitatis consolident, quæ ego lassedinis fragilitate tardior et [z] lentus adstruxeram. Veni, sancte Gabriel, et dicito nobis exordium rei huius, initium miraculi istius, principium operis huiusmodi. In effectu enim operationis istius primus virginem tu salutas, prior virgini tu indicas, anterior virgini tu annuntias, et de Dei Verbo in cælis instructus, in terris virgini novum incarnationis eius opus insinuas. Missus est, [a] inquit, Angelus Gabriel a Domino in civitatem Galileæ, [b] cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, Luc.1.

[r] Reiecimus meritò corruptam Feu-ard. lectionem, qui pro *impellente*, quod retinent nost. CC. omn. et ant. editio, habet in sua *implente*.

[s] *Ex humana conditione*: non legimus hæc verba in Amel. nec in Trin.

[t] Lectionem unius C. Trin. non potuimus non ceterorum præferre, atque in medium contextum excipere: sic enim Feu-ard. cum ceteris: *Et veritatem pleniorem firmationem monstravi, quæ &c.* Hoc verbum *quæ* aliud desiderat, ad quod referatur, satisque indicat lectionem esse corruptam.

[u] *Regione.* Amel. et Trin.

[v] *In cælis* uterque.

[x] *Prorrogativa*: Ambo iidem.

[y] *Valore*: Trin.

[z] Ex unico Trin. Cod. hunc locum emendavimus, qui in ceteris, et Feu-ard. legitur alio modo: et *lætus astrixeram.* Quid *lætus* hoc loco?

[a] *Inquit* desideratur in omn. MSS. nost.

[b] Omn. nostri habent *cui.* Feu-ard. edid. *cuius.*

Digitized by Google

vid, et nomen virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave [c] gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu inter mulieres, [d] et benedictus fructus ventris tui. Quæ cum audisset turbata est in sermone eius, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria: invenisti gratiam apud Dominum: ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnavit in domo Iacob in æternum, et regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Item:

Matth.1. Ioseph autem vir eius cum esset iustus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit ei in somnis dicens: Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a

Luc.1. peccatis eorum. Item: Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis supra gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos [e], et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. Quia natus est vobis hodie salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Item, ibi loquente Angelo ad pastores: Et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio. Et subitò facta est cum Angelo multitudo cælestis militiæ, laudantium Deum, et dicentium: Gloria [f] in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quid de reliquis testimoniis et obsequiis referam Angelorum, cum post tentationem humanæ patientiæ accedunt Angeli, et mini- *Matth.4.*
strant ei verè ut Domino conditori? Quid? quod Angeli resurrectionem eius primi [g] nuntiant, *Matth.38.*
territisque sepulcri custodibus, non quærendum cum mortuis viventem fidelibus indicant? Quid? quòd ascensionem eius Angeli comitantur, et reditum eius ita *Act.1.*
esse sicut et ascensum Angeli attestantur? Ecce impleta est terra testibus partis meæ: quia et repleta sunt cælum simul, ac terra veritate fidei meæ. Ecce partis tuæ testibus affirmavi quæ dixi: ecce testibus partis meæ roboravi, quæ testes dixerunt partis

tis

[c] *Ave Maria* edidit Feu-ard. sed *Maria* non legimus in ullo nostror. CC.

[d] Quæ sequuntur verba desiderantur similiter in nostris.

[e] Feu-ard. edidit: *Stetit iuxta illos in veste fulgenti*: sed hæc ultima verba in nullo nostr. CC. legimus.

[f] Trin. *in altissimis.*

[g] *Nunciant* habent nost. omnes cum antiqua editione. Solus Feu-ard. *pronunciant.*

Digitized by Google

tis tuæ. At proinde tam quos tu assumpseras [h] in adiutorium tuæ partis, quàm quos ego protuleram, toti facti sunt mei; quia quod [i] proposui, de illorum doctrina didici. Et inde propositionem meam illorum testificatio subsecuta est, unde cognitio illorum defensionem meam [j] prævenit. Quid ergo restat? esse te sine ullo, et habere te prorsus nullum. Sed esse tibi te malè conscium solum, dum fidei meæ sinceritas totos habet in unum, quos tu dividere nitebaris ab uno? Postquam terrenorum, et cælestium attestatio defensioni meæ contulit munimenta: postquam in cælo et in terra viventia veritatem meam roborare reperta sunt: postquam et beatitudo terrena, et angelica celsitudo unanimiter affirmavit, quod me veraciter [k] audientiæ tuæ intulisse prævidit; deferam adhuc insensibilium, et non intelligentium elementorum, ac rerum tam decentissimæ doctrinæ, ac diutissimæ obedientiæ sollicitum apparatum, ut in comparatione [l] communiter hæc sentiant ut homo: tu autem aut dissentias ut animal, aut nec sentias ut lapis. Sicque illa sibi tuam rationem extorqueant, ut cum tu illorum obsequium non [ll] impetres, insensibilitatem tibi meritò feras. Confessionem enim [m] illa suis motibus quasi vocibus clamant. Tu autem dum vocibus veritatem repellis, iam quasi nec motibus sentis. [n] Vide ergo primùm stellam novæ nativitatis exordio, novo processionis apparatu prolatam, exsuperare candore cælos, vincere fulgoribus confines siderum choros, adire ultimas summo lumine terras, [o] per ignota loca vagos præire devotissimos reges, hospitium demonstrare nascentis, et toto nisu ostendere, quòd solus iste adorandus sit Deus, cui ducatu suo adorantes subdidit reges. [p] Vide in primitivis operis eius insigne miraculum: liquorem aquæ vertit in vinum. Perspice quomodo colorem versat, saporem trahit, odorem reddit, virtutem mutat. Et cùm non sit omnino quod fuit, non tamen est aliunde, quàm unde fuit. Si enim aquam quæras, iam non est: si vinum intendas, dicito ubi exortum est? quia diffusa aqua non

Matth. 1.

Ioan. 2.

[h] *In adiutorium tuæ partis*: hæc verba desiderantur in omn. nostris MSS.

[i] Omnes nostri cum antiqua editione consentiunt in verbo *proposui*, pro quo Feuard. habet *posui*.

[j] Omnes nostri CC. *ante prævenit*.

[k] *Audientia tua*: omnes nostr.

[l] *Communi* pro communiter legitur in Tol. et Amel. et habet ant. editio.

[ll] *Impetres* omnes nost. Ex quibus Amelianus ita prosequitur: *Hi sensibilitate meritò corruas*.

[m] *Illa* ex nost. omn. non *illam* ut Feu-ard.

[n] Variantem lectionem CC. Trin. et Ameliani heic exhibebimus: *Vide ergò primùm stellam novæ nativitatis novo processionis apparatu prænunciam*.

[o] Amel. scribit: *Per ignotam viam Magos præire*, &c. Eamdemque lectionem retinet ant. edit. sæpius laudata, nisi quod *devotissimis Regibus* in dandi casu habet, atque cum reliqua oratione connectit, *hospitium demonstrare* &c. quod valdè nobis placet.

[p] In huius periodi sententia conveniunt omn. libri cùm editi tum MSS. non ita in verbis. Sic enim Amel. codex: *Vide in primitivo operis eius insignem liquorem, qui de aqua fit vinum, quomodo colorem versat* &c. Aliter codex Tolet. *Vide primitivi operis eius insignia, liquoremque aquæ, de qua fit vinum, quomodo colorem versat* &c.

Digitized by Google

non est. Quid ergo ? quia nec accessit vinum, nec recessit aqua: nisi quia alterum factum est aliud, ut esset ex alio aliud : non successionis vice, sed immutationis origine : nec rationis expositione, sed admirationis obtentu ? *Ioan.6.* Vide panes, et pisciculos, cum per sua nequeant, per eorum, a quibus sumpti sunt, ora loquentes. Et [q] cùm non possint virtutem dicere, quam sentiunt; [r] tamen potentialius [s] exprimunt magnitudinem qua concrescunt. Etenim extra pastum et saturitatem tot millium, [t] quaternum fracta ter ductum complent numerum cophinorum, quæ intacta unum complere non poterant cophinum. *Matth.21.* Vide nemus ficulneæ tam cursim oblitum esse quod fuit, quàm raptim amisisse etiam et quod vixit : nec sustinere [u] senio virorem amittere, nisi et virentem vitam quantocius amisisse. *Matth.14.* Vide mare, cuius unda si verteretur in linguam, utique quod murmurat, promeret : sed quia proloqui nescit, quod dicere nequit, se fecisse convincit. [v] Quia dum vestigium sustinet dominantis, obruit famulantis : labens sub corpore famuli, saxeum sub pondere Domini : ad unum imperium duas deferens servitutes, quando et sub conditoris planta robustè durescit, et [x] ad nutum huic obsequentem sustinet, quem sustinere trepidum recusavit ? Vide idipsum rursum mare, quod cùm suis motibus intumesceret, et feroces sonitus in Charybdium molestias fragore spumoso collideret, naviculamque superbo tergo resiliens fatigaret, quomodo ad iubentis imperium tam raptim [y] lenitudinem sumpsit, ut nautæ admirantes simul et incolæ *Matth.8.* dicant : Quis iste est, quia venti et mare obediunt ei ? Item ipsius ponti considera indigenas, quomodo quasi notissima discipulo- *Lucæ 5.* rum vota refugiunt, ac sese capi denegant in capturam : et ad voluntatem opificis ita rete coacervatim adimplent, ut in abstrahendo se, oneris tædium trahentibus fiant. *Lucæ 4.* Vide languorum diversitates per [z] creticos fervorem retinere non posse recursus, sed ad

[q] *Quæ non possunt* : omn. nost.

[r] *Tamen* deest in nost.

[s] Amel. et Tol. habent : *Exprimere magnitudine, quod crescunt.* Non placet ; quod si in textu edito legeremus *magnitudine* pro *magnitudinem*, quod etiam Trinit. C. præsefert, nihil ampliùs optandum esset.

[t] *Per quaternum fracta* edebat Feu-ard. Nos exclusimus *per* otiosum quidem, atque in omnib. nost. desideratum.

[u] Ubi Feu-ard. habet *senio* cum ceteris cod. scribit Amelianus : *sed mox.*

[v] *Quia* deest in MSS. nost. et certe non videtur necessarium.

[x] Non potuimus lectionem unius Ameliani non admittere, vulgata Feu-ard. prætermissa, quam sequuntur reliqui codices, in quibus legitur : *Et adiutum obsequentem sustinet &c.*

[y] *Lenitudinem* pro *lentitudinem* reposuimus ex omnibus nostris. Quæ sequuntur non iisdem verbis in illis reperimus ; sic enim Amel. cod. *Ut naviculam* (*naviculæ* Trin.) *admirantes incolæ dicant.*

[z] Lectionem C. Ameliani secuti sumus, cui consentit antiqua editio a Feu-ard. laudata. Quamvis enim *etbicos recursus* (quod edidit Feu-ard. et habent ceteri codices) retineri posset propter huius nominis febrim satis notam, quam nunc Medici *becticam*, antiqui verò *etbicam* dixere, quasi *babitualem* ; tamen altera lectio melior nobis visa est, quæ S. Doctoris sententiam aptius explicat. *Creticos* siquidem (quod pro *criticos* scribebant medio ævo latini) *recursus* interpretari possumus momentum illud, ad quod cum febris per gradus pervenerit, crisis seu iudi-

Digitized by Google

ad præsentiam Salvatoris ingens languentium linquere corpus. Vide sepultos, atque sepulcra inter se ita sepeliendi rescindere fœdus, ut æternos hospites ad momenta citatim monumenta refellant: veluti si videas [a] paventia restituere susceptos, quasi tenuissent coactos, quos violenter susceperant servaturos. Vide diem tenebrarum ad tactum togam deponere lucis, et inviso conatu tam raptim adquisiisse quod sorduit, quàm cursim amisisse quod luxit. Vide solem ad hoc prorsus amisisse quod ex gaudio claruit, ut pallenti lumine [b] induceret ex mœrore quod luxit: quod cùm soluta luminosi fœderis fibula, fulvam [c] repellens claritatis insolubilis pallam, se in illius diei angulo horroris innexum [d] diploide conglobavit. Vide arva suæ soliditatis stabilitatem renuentia, [e] quatinus tremore et patulas, et ignotas [f] lapsa sunt in ruinas: nec Siculæ telluris exemplo subrui per momenta, sed unius tantum diei nutatione vexari: quoniam illam receptus sinu terrarum spiritus vexat, hanc verò gloria Crucifixi conturbat. Vide saxa ponderis duritiam fugientia, quo scissurarum penetratu solvuntur, dum resolutioni duritia cedit, et soliditas [g] dissolutioni subcumbit: attestantia cuius sit potentiæ, quem in se continuò recipiant sepeliendum, quando [h] scissuris suæ confessionis sic honorant trementia iam defunctum.

Math. 27.

CAPUT X.

Concludit Mariam toto incarnationis mysterio virginem permansisse.

Animadverte iam nunc, et lapideum pectus vel exempla lapidum [i] scindant; et vide quia hæc omnia non aliud suis motibus, suis immutationibus, suis conatibus profitentur, quàm quod tu solus, [k] aut ut incertum diffiteri conaris, aut pro certo perfidus diffiteris. Non est ex hac veritate pro certo quod dubites, non est quod hæreas, non est quod impingas, non est ubi offendas, non est ubi oberres, non est ubi sis anceps, non est ubi [l] nutans, non est ubi titubans, non ubi trepidans, non ubi [ll] ambigens, non ubi dubitans, non ubi incertus, non ubi animo claudicans, non est ubi sis fide labens. Omnia

dicium de illa fit: illud verò est, quod ait S. Ildephonsus, non expectasse languores, sed continuò ad Salvatoris præsentiam ægrorum corpora deseruisse. *Creticos enim dies vocant Medici*, scribit S. Isidorus lib. 4. Etymolog. cap. 9. *quibus credo ex iudicio infirmitatis illud nomen impositum est; quod quasi iudicent hominem, et sententia sua aut puniant, aut liberent.*

[a] Trin. *Pallentia.*

[b] *Indiceret*: Trin.

[c] *Repellens* habet Trin. et Am. cum vet. editione. Feu-ard. edidit *refellens.*

[d] *Dioploidem* Am. cum antiq. edit.

[e] *Quali tremore*: Amel. et Trin.

[f] *Lapsa sunt*: ex Amel. et Trin. Alter cum Feu-ard. *lapsare.*

[g] Nostri omnes scribunt: *dissipationi succumbit.* Feu-ard. *dissolutioni succubuit.* Sed verbum in præterito retinere non potuimus, cum *cedit* superius sit in præsenti.

[h] Nost. omn. *fixuris.*

[i] Pro *scindant* scribunt nostri cum edit. vet. *findant.*

[k] *Aut incertus*: Am. et Trin.

[l] *Nutens* Feu-ard. contra omn. nost.

[ll] *Ambiguus*: Trin. et Amel.

Digitized by Google

vera sunt, omnia iusta sunt, omnia sancta sunt, omnia sacra sunt, omnia indubitata sunt, omnia fidelia sunt, omnia fixa, omnia stabilita sunt, omnia confirmata in sæcula sæculi, facta in veritate et æquitate, quæ de his sacræ litteræ cecinerunt, quæ sacræ paginæ allocutæ sunt, quæ sacri apices annotarunt, quæ lex sacratissima promulgavit, quæ sacra testamenta præcipiunt, quæ libri [m] sacratissimi continent, quæ sacra iussa decernunt, quæ cælestia iura constituunt, quæ cælo et terra transeunte suâ æternitate non transeunt, quæ transeuntibus etiam elementis transire nequeunt, donec omnia impleantur. Devictis hostibus, elisis adversis, extinctis æmulis, attritis inimicis, prostratis insultantibus, [n] deiectis invidis, omnibusque potentiæ divinæ [o] virtutis contradicentibus expugnatis, pio desiderio querulus, bono [p] appetitu avidus, læta esurie anhelus, grata delectatione promptissimus, quo potuero, quo valuero, quo quivero, quo suffecero, intendam, nitar, exequar, coner in hoc sacramento defigere visum, in hac admiratione virtutum oculos [q] imprimere hebetantes, in hoc arcano secreti avidum [r] ingerere sensum, ad hoc cælestis gloriæ lumen dirigere caligantis aciem visionis. Sed qualiter præsumam? quomodo aggrediar? quo [s] nisu properem? quali conatu impetam? pollutus labiis, immundus ore, impurus lingua, squalens verbis, corde pravus, mente iniquus, factis impius, ut de virginitatis gloriâ corruptio disserat, de incorruptionis laude immunditia [t] tractet, de pudore impudoratus enuntiet, [u] de verecundiæ bono inverecundus enarret? At nunc quia, ut salver, ut munder, ut iustificer, ut sanctificer, venit ad humana Deus, [v] ad extrema cælestia convenerunt: ad infirma fortia descenderunt: temporalibus æterna [x] copulata sunt: [y] imbecillibus robusta conserta sunt: servilibus dominica copulata sunt; plenus beata fide, salvandus indulgentia copiosa, iustificandus pietate multa, vivificandus miseratione divina, expiandus ab omni iniquitate [z] patrata, de festis gaudiorum angeli, de lætitia iocunditatis eius, de redemptione mea, de salute mea, de vita mea loquar angelo, sciscitabor angelum, interrogabo angelum, affabor angelum. Dicito mihi, res ami-

[m] *Sacratissimi*, quod edimus ex omnibus nostr. habet etiam antiq. editio. Solus Feu-ard. scribit *almifici*.

[n] *Deletis*: Trin. et Amel.

[o] *Virtute*: iidem.

[p] *Affectu* edebat Feu-ard. nostri verò omn. ut edimus: *appetitu*.

[q] Pro *imprimere*, quod habent nost. cum antiq. edit. unus. Feu-ard. edit. *imponere*.

[r] *Infigere* scribit Tol.cod. et consonat vetus editio.

[s] Pro *visu*, quod corruptè Feu-ard. edidit, scribendum erat *nisu*, vel silentibus codicibus. Sed habent omn. nost. et antiq. editio.

[t] *Tentet* legitur in Amel. sed mendosè.

[u] Trin. C. *de verecundia bomo inverecundus enarret*? Lectio non contemnenda.

[v] *Ad terrena*: Trin.

[x] *Conjuncta*: Trin.

[y] *Imbecillibus* reponimus ex C. Am. reliquis cum Feu-ard. scribentibus *imbecillis*.

[z] Præter Trin. C. et Amel. habent ceteri *prava*. Adiectivum otiosum cum nulla iniquitas non prava sit.

Digitized by Google

amica Deo, et cunctis contemplatione vicinior: effare in creaturis res anterior: enarra creaturarum res potentior: [a] exordire creatura post firmamentum casûs nescia, magnifica in claritate tua, magna in conditione tua, potens in ordine tuo, excellens in natura tua, perennis in æternitate tua. Non tua te gloriâ minuo, non magnam extenuo, non æternam attero, non [b] sublimi detraho, non potentiori resulto. Quia nec de tua stabilitate, sed de tua loquor conditione. Fide provocor, amore impellor, admiratione delector, gaudio lætor, [c] miserantis gratia prævenior, misericordia gratissima subsequor. Tu sancte Gabriel, Angele Domini, qui mitteris ad virginem Israel, qui venis ad matrem Domini, qui properas ad singulare virgineum decus in mundo, enarra quid incorruptius, quid sincerius, quid integrius, quid solidius inter virginitatem maternam, et conditionem angelicam? inter virgineam fœcunditatem, et angelicam [d] formationem? inter [e] incorruptibile virgineum decus, et angelorum exordium? inter pudorem prole perauctum, et angelicæ nobilitatis initium? [f] Virginitas quæ fœcundatur, et non corrumpitur, an angelica celsitudo, cuius pars in ruina prostratur? Decus virgineum, quod et post partum enitet, an nobilitas angelica, quæ post gloriam culminis damna sustentat in sociis? Integritas materna, quæ et [g] post partum prolis concrescit in gloria virginis, an conditio angelica quæ detrimentis læsa est in [h] eiectis? [i] Beatitudo matris, quæ inde fit generatio Dei, unde nescia corruptionis est sibi; an gloria plebis tuæ, quæ ante soliditatem incurrit diminutionem partis multitudinis suæ? Certum est quòd angelorum castra superbia rupit, cuneos eorum præsumptio minoravit, plebes ipsorum pravitas diminuit, turmas ipsorum elatio collisit. Nam virginitatem Dominæ meæ genita proles nec introiens, nec exiens læsit: nec concepta, nec nata violavit: nec eam cùm hospitaretur in illa tristavit, nec illam cùm egrederetur incorruptione privavit. Hanc ergo feminam conceptio virginem reddit. Hanc feminam partus virginem servat. Hanc feminam generatio virginem habet. Hanc feminam filius ita post exitum novit, sicut ante conceptum invenit. Et huius certè virginitas semper incorrupta, semper integra, semper illæsa, semper inviolata. Nam angelicæ forma na-

[a] *Exorire*: Amel. et Trin. Cod. cum veteri editione.
[b] *Sublimem*: iidem.
[c] *Miserationis*: Tol.
[d] *Portionem*: Amel.
[e] Trin. et Amel. *corruptibile.*
[f] *Virginitas* omn. nostri. Feu-ard. *Virgo.*
[g] *Post fœtum*: omn. nost.
[h] *Delictis*: Amel.
[i] Edimus hanc periodum ad nostros CC. omn. MSS. qui in media interrogatione consentiunt, nisi quod Toletanus habet: *An angelica plebs tua &c.* Feu-ard. edebat: .... *unde nescia corruptionis est angelicæ plebis tuæ &c.* Sed remota particula *an*, quam omnes nostri retinent, hæc periodus cum superioribus non bene consentit, in quibus comparatio per interrogationes instituta est inter Mariæ virginis, et Angelorum laudes.

Digitized by Google

turæ ante soliditatem fragilis, ante firmamentum labens, ante stabilitatem ruens, ante robur titubans, atque nutans. Hæc femina sanctificationis vas est, æternitas virginitatis est, mater Dei est, sacrarium sancti Spiritus est, templum singulariter unicum factoris sui est: verùm angelicæ beata conditio creaturæ post stabilitatem solida in bonis, post soliditatem indeficiens in amore divinitatis, post firmamentum perennis in aspectu dominicæ visionis, post robur inseparabilis a consortio Deitatis. Ex qua lucis immensitate tu, sancte Gabriel, venis ad [j] virginem, ex qua beatitudine adcurris ad virginem, ex qua æternitate accedis ad tempora, ex qua gloria properas ad humana: omne tamen quod agis, quòd de cælo venis, quòd ad terram venis, quòd de Deo venis, quòd ad virginem venis, quòd virginem salutas, quòd novam generationem annuntias; incarnando Verbo obedis, Deo hominem assumpturo pares, generando ex virgine servis, filio ancillæ in servi formam nascituro famularis; quoniam iste incarnandus Deus factor tuus est: iste homo simul et Deus, creator tuus est: iste filius ancillæ suæ dominus tuus est: iste quem in abiectione servi nasciturum annuntias, in gloria patris dominator tuus est. Et hanc quidem tantæ nativitatis gloriam, dignum erat, ut angelus nuntiaret. Tantæ dignitatis oraculis opportunum erat, ut angelus inserviret. Tam novæ generationis opus conveniebat, ut angelus indicaret. Tanti secreta miraculi competebat, ut angelus reseraret. Ita quoque [k] decorum fuit, ut humilitatem Dei angelica sublimitas enarraret. Ita competens, ut in forma servi rerum Dominum nasciturum inserviens dominatio cælestis ediceret. Ita dignum, ut novam generationem novo officio maiestatis angelica dignitas intimaret. Ita æquum, ut ineffabilis causa miraculi quomodo fieret, angelica cognitio demonstraret. Ita iustissimum, ut novo adventu principem egressurum, novo apparatu etiam summa cælestium anteiret. [l] Sic domini tui nuntius eras, sic directus a domino tuo veneras, sic missionis dominicæ iussa perficiebas, sic sanè ordinationis regiæ decreta complebas; ut verè quod in cælis de patris Verbo cognoveras, matri de incarnando Verbo referres: quod de cælestibus attuleras, terrenis imprimeres: et quomodo se filius Dei nasci vellet ex homine, simul et [ll] auribus induceres hominis, et [m] cordibus inferres humanis. Tu sanctus Angelus Gabriel de Verbo didiceras, quæ de Verbo referebas: de Verbo cognoveras, quæ cognoscenda de Verbo narrabas: de Verbo hauseras, quibus [n] fœtandam Virginem propinabas. Ut qualiter ex carne matris incarnari pos-

[j] *Ad hominem*: Trin. et Amel.

[k] *Decoris*: iidem.

[l] *Sic Dominum tuum nuntiaveras.* Amelian.

[ll] *Auditibus*: Amel.

[m] *Arcana*: Amel.

[n] Ex Tol. Cod. edimus *fœtandam*: reliqui scribunt *hauriendam*.

Digitized by Google

possit, matris animæ nuntiares. Viderunt te cælestes virtutes nascituri filii imperiis deservire: viderunt te elementa, illum te habere dominum, quem de tali nuntiabas progenie nasciturum: viderunt socii gloriæ tuæ se etiam tecum coram isto homine incurvari: viderunt omnes excelsorum et sublimium spirituum potestates hunc in Deo assumptum hominem; et [o] antiquæ servitutis officia novis præconiis intulerunt, quando est acclamatum: Gloria in excelsis isti humili Deo, et in terra pax hominibus, in hunc Deum humilem bona voluntate credentibus. Ipse te misit, ut de se diceres virgini, [p] qui de se, quod futurum esset, nosse dederat tibi. Ipse te suæ divinitatis scientia perlustravit, qui suæ humanitatis nuntium fecit. Ipse te nuntiare se in servi formam nasciturum miserat, quem in gloria tua in unitate paternæ virtutis adorabat. Ipse te palam mundo referre miserat, qui te cælestium secretorum arcanis instruxerat. Bene tecum, quia diminutionis partis tuæ reintegrationem annuntias: bene mihi, quia me in tuam integritatem, te nuntiante, receptas. Bene tecum, quia ruinæ partis angelicæ hominibus reparantur: bene mihi, quia in tuæ integritatis parte reducor. Bene tecum, quia in pace tua homines recipis: bene [q] mihi, quia pacem tuam, quam non merebar, accepi. Bene tecum, quia Verbum incarnatum adoras: bene mihi, quia naturæ meæ est [r] illa veritas, quam adoras. Bene habemus, [s] sancte Angele, unius titulum dominantis Dei: bene Deus noster participem me tibi fieri in æternitatis [t] gloria adnotatione pollicitus est: bene mihi promisit tecum habere cælum, quia me sicut te se voluit solum habere Deum: bene me sui nominis impressione notavit, quia ex illius corporis sanguine me redemit, quem tu in sede patris adoras, intueris, et veneraris. Pars sortis est tuæ, ut numquam ab statu beatitudinis corruas: pars sortis meæ est, ut post casum meum reparer in assumptione corporis Dei mei. Pars sortis est tuæ, ut semper cum Deo meo esses: pars sortis est meæ, ut aliquando possem cum Deo meo esse. Pars sortis est tuæ, ut numquam decidas a naturæ tuæ beatitudine: pars sortis est meæ, ut [u] reparer aliquando in dignitate naturæ meæ. Pars sortis est tuæ, adorare naturam meam in Deo meo: pars sortis est meæ, salvari per hoc, quòd natura mea assumpta est in Deo meo. Planè hæc quæ narro, certè quæ aio, prorsus hæc quæ loquor, verè hæc quæ intimo, vera sunt, iusta sunt, pia sunt. Et cælesti intelligentia tam plena

Lucæ 2.

[o] *Antiquæ suæ virtutis*: Amel.

[p] *Qui de se quod futurum esset &c.* Sequimur in hoc Trin. et Amel. CC. meliora afferentes, quam Feu-ard. *Ut de se diceres virgini quod esset : quod futurum esset &c.*

[q] *Mecum* pro *mihi.* Amel.

[r] *Ille veritas, quem adoras*: Trin. et Tol.

[s] *Sancte Michael Angele* edid. Feu-ard. sed *Michael* desideratur in nostr. omn. Ex quibus Amel. et Tol. pro *unius* habent *unum*.

[t] *Gloria* deest in nost. deinde pro *adnotatione* scribit Amel. *advocatione*.

[u] *Reparer* omn. nost. CC. Feu. *repararer*.

Digitized by Google

na manebunt, quàm plena consistunt. Non enim mea sunt, non ex me sunt, non ex natura mea sunt, non ex conditione mea sunt, non ex merito meo sunt. Ego enim cinis sum, ego terra, ego corruptio, ego putredo, ego esca vermis, ego inexoptatæ sed non evadendæ consors mortalis hæreditatis; cuius habitatio effossa tellus, cuius requies tumulus, cuius domus sepulcrum, cuius mansio monumentum. Hæc autem a patre, qui in cælis est, revelata sunt mihi: a filio eius, qui est sapientia ipsius, ista didici: Spiritu sancto hæc docente cognovi. Hæc de cælo venerunt, quia dona optima sunt. Hæc a patre luminum descenderunt, quia
Iacobi 1. veritatis in eis transmutatio non est. Ista enim in terris tecum novi, quæ ipse nosti mecum in cælis. Ista ego in peregrinationis meæ loco didici, quæ tu in [v] tuæ beatitudinis æternitate iam nosti. Ista ego in fidei meæ veritate percepi, quæ tu in tuæ visionis plenitudine cognovisti. Quia hæc tu mihi de cælo veniens indicasti, dum officia servitutis agis in enuntiatione assumendæ humanitatis. Hæc attestati sunt angeli, dum nativitatem hominis huius cælestibus assecuti sunt hymnis,
Luc. 2. clamantes: Gloria in excelsis Deo: et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hæc demonstrarunt angeli, qui devicta hostis tentatione accesserunt, et *Matth.* 4.
ministrabant ei. Hæc ostenderunt angeli, cùm admirantes novum hominem sedem conscendere [x] Deitatis, vocibus [y] sese impetebant alternis: Tollite por- *Psal.* 23.
tas principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ. Respondentibusque: Quis est iste rex gloriæ? sequenti responsione firmatum est: Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Hæc David [z] prophe- *Psal.* 96.
tabat, qui ait: [a] Adorate eum omnes angeli eius. Hoc idem insinuat cum dicit: Laudate eum *Psal.* 148.
omnes angeli eius. Hæc Esaias infert, cùm Cherubim, et Seraphim sese in huius laudis exultatione commotos indesinenter *Isai.* 6.
clamare testatur: Sanctus, Sanctus, Sanctus. [b] Ut ter repetitum nomen inseparabilis Trinitatis unum Dominum Deum Sabbaoth esse demonstraret. Hæc Ioannes astruit, cùm animalia cæli narrat requiem non habere dicentia eundem ipsum cælestis gloriæ hymnum. Hæc idem assignat cùm dicit: Vidi, et audivi *Apoc.* 4.
vocem angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum: et erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus est agnus *Apoc.* 5.
qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. Et o-

[v] *Tuæ* ex nostris pro *tua*, quod est in Feu-ard.

[x] *Dexteræ Deitatis* edebat Feu-ard. Nos nostr. CC. lectionem damus planiorem; quam paulo infra omnes confirmant.

[y] Tolet. *Vocibus sibi imperabant alternis.*

[z] *Probat*: Am. et Trin.

[a] *Adorent eum* nostr. omn.

[b] Paulo aliter habent nostr. *Ut ter repetitum Sanctum Dei inseparabili Trinitate* (inseparabilis Trinitas *Trinit.*) *unum Dominum Deum Sabbaoth esse demonstret.*

omnem creaturam, quæ in cælo, et super terram, et quæ sub terra, et quæ sunt in mari, et quæ in [c] aëre, omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, et agno benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum. Amen.

Hæc Paulus in epistola ad Hebræos copiosè proponit, assumit, confirmat, atque [d] concludit. Hæc
Ad Col. 2. ipse homo, [e] in quem plenitudo divinitatis corporaliter inhabitat,
Marci 13. complet; cùm in adventu suo commoveri virtutes cælorum dicit, et tunc ipsum videri in gloria patris Dei cum angelis suis.

CAPUT XI.

S. Mariæ matris Dei virginitatem perpetuò servatam angelica attestatione concludit.

Ecce, non solùm quia serviunt angeli Domino meo, filio ancillæ suæ, virginis nostræ, cælesti doctrina didici, verùm et eorum officia in experimento servitutis veriùs præcognovi. Nam tu ipse Gabriel, qui diceris fortitudo Dei, venisti ad virginem, nuntiare hominem nasciturum, qui simul potestates aëreas, et principem [f] perimeret mundi. Item et angeli pastoribus nuntiant natum, quem tu virgini prædixeras nasciturum. Hi quoque glorificant ut Deum, de quo tu dixeras: vocabitur filius Dei. Ecce hunc adorant angeli, ecce hunc laudant Archangeli, ecce hymnum huic intonant Angeli, ecce huic ministrant Angeli, ecce hunc sedem conscendere Deitatis personant Angeli, ecce in [g] eius iubilo sibi requiem dare nesciunt Angeli, ecce in servitutis eius famulatu properantes cognoscimus Angelos, et commoveri cælorum virtutes audivimus. Nam et optimum certè est, tam excelso et æterno Deo, tam et humiliter ac temporaliter ex virgine nato dignitatis angelicæ gloriam inservire. Quare? quia ille in utraque nativitate incomprehensibiliter, et inenarrabiliter natus; angelica autem universitas eius æternitate est præventa, et eius operatione formata. De illo dicitur: Generationem eius quis Isai. 53.
enarrabit? quod et in salutatione tua hæc ipsa miratur virgo, quæ verbis tuis virginea mater astruitur, et tu ipse sciscitanti eidem virgini, quomodo fieret, generationem annuntias inauditam; de te autem dicitur: Dixit Gen. 1.
Deus, fiat lux, et facta est naturæ tuæ cunctis creaturis et anterior et [h] præstantior lux. Illi dictum est: Filius meus es tu, ego Psal. 2.
hodie genui te: quod nulli unquam Angelorum est dictum; de Heb. 1.
universitate autem creaturarum dictum est: Omnia subiecisti sub Psal. 8.
pedibus eius. Inter quæ omnia et substantia illi subiecta invenitur angelica. De illo dictum est: Se-

[c] Lectionem unius Ameliani ceteris prætulimus: nec temere; namque ubi hic *in aëre* scribit ceteri cum Feu-ardentio retinent *in eo*, quod nullius sensus est.
[d] *Conlaudat*: Amel. et vetus editio.
[e] *In quo*: Tolet.
[f] *Vinceret*: Amel. et Tolet.
[g] *Eius* pro *cuius* emendavimus ex nost. omn.
[h] *Præstantior* est ad CC. MSS. omnes. *Posterior* edebat Feu-ard. non sine mendo.

Digitized by Google

Psal. 109. Sede a dextris meis ; quod angelis dictum non est ; de his autem, quia facti sunt, dictum est:
Psal. 103. Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem [i] urentem.
Psal. 44. De illo dictum est : Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi ; de his autem dictum est : Quia coram illo astat omnis angelorum exercitus cum tremore. Sed ut virginitatis huius Dominæ meæ gloriam auctiori triumpho, excellentiori præconio, fideli conatu, [j] sincerisimo voto, amabilique appetitu, cum cælestibus iubilem virtutibus, perituris præferam hostibus, amantibus reportem fratribus, cognituris prædicem ignaris, [k] dilectantibus commendem cognitus ; adhuc [l] nosse desidero, scire volo, sapere cupio, certificari exopto, instrui exoro, doceri quæro, quid hoc est quod dicitur : Generationem eius quis enarrabit ? Si de nativitate divinitatis eius hoc dicitur, [ll] quod utique verum est, quia propter ista, sed non solum propterea dicitur ; ecce ista nativitas Deitatis hoc tantum est, quod de Deo natus est Deus, de lumine Deo lumen Deus : de ore Dei [m] Verbum Deus : de corde Dei sapientia Deus : de substantia Dei virtus Deus : et hæc omnia unus Deus. Item si de nativitate humanitatis eius hoc dictum est, quod certè verum est, quia et propter hoc dictum est ; quæ est generatio filii huius, quæ tam admiranter inenarrabilis prædicatur, nisi conceptio incorrupta, nisi virginitas pariens, nisi partus virgineus, nisi virginitas materna, nisi nativitas virginalis ? Et hæc omnia virginis fœtæ, incorruptæ matris, puerperæ integræ, inviolatæ genitricis, illæsæ generantis ; in qua sic diversitas concordavit, sic accidentia cohæserunt, sic multimoda copulata sunt, sic concurrentia innodata ; ut duabus quidem inusitatis rebus, æterna tamen lege discretis, et admirabili unitate connexis, in hac sola virgine [n] una persona fieret. Hæc tantundem verè generatio inenarrabilis solius huius tantummodo unicæ prolis. Sed [o] ait virgo : Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco ? Respondeat angelus: Luc. 1.
Spiritus Domini superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. [p] Extra hoc autem esse virginem usus est : post matrem es-

[i] *Ardentem* : Amel. et Tolet.

[j] Non potuimus *sincerrimo*, quod legimus in Feu-ardentio, retinere : barbarum est ; et omnes nost. CC. scribunt *sincerissimo*.

[k] *Delectantibus* : Amel. et Trin. *delectandis* Tolet. exhibet.

[l] *Nosse te* edebat Feu-ard. malè. Nos *te* delevimus consentientibus in id omn. nost.

[ll] *Quod et utique* : ita Am. et Trin. qui ita prosequitur : *verum est, quia propter ea, sed non solum &c.*

[m] *Verum Deus* : Trin.

[n] *Una persona* : hæc verba desiderantur in omnibus nost. MSS.

[o] *Ais* legimus in Am. et Trin.

[p] Edimus hanc periodum ad lectionem C. Ameliani, quam omnibus magis probandam credimus. Quamquam illa Feuard. non sit omninò contemnenda : *Extra banc autem matrem esse virginem visa non est : ista verò post matrem esse virginem visa est. Post incorruptionem fieri genitricem visa est : babere genitalium pudorem, babere prolem visa est.* Non ita certè lectio C. Toletani, sanè quam corruptissima. Lubet hic eam exhibere. *Ex-*

Digitized by Google

esse virginem usus non est. Esse incorruptam feminam usus est: post incorruptionem fieri genitricem usus non est. Habere genitalem pudorem usus est: post genitalium pudorem habere prolem usus non est. Quæ tanto a se æterna naturæ lege discordant, ut numquam tunc mater, quando virgo: numquam tunc virgo, quando mater: numquam virgo pariat, numquam mater virginitate clarescat: unum tempus numquam teneat virginem simul [q] et matrem: una femina numquam virginitate simul et prole congaudeat. Inde talis generatio non in signo singulariter, non in miro mirabiliter, non in prompto inenarrabiliter, non ex certo: quia non est signum, non est mirum, non mirabile, non inenarrabile. Idipsum enim naturale est, usuale est, corruptibile est, mortale est. Interdum turpiter amabile est, interdum honestè odibile est. Interdum iustè amandum est, interdum iustè est odiendum. In hac autem virgine sic istius filii Dei inenarrabilis generatio copulavit utraque, ut virginem se habeat mater, matrem se habeat virgo: ut virginem [r] matrem habeat proles, ut virginem demiretur puerperam coniux. Integritas quoque conceptioni adhæreat, pudor conceptionem sepiat, virginitas conceptum claudat. Sicque virginitatem nativitas non scindat, sic pudorem egressio non deturpet, sic generatio integritatem non adimat, sic veritas partûs veritatem virgineam non extinguat. Tam mirabiliter ergo concordantibus in una persona simul et tempore diversitatibus rerum, ut hæc eadem sit mater, quæ et virgo: ipsa virgo, quæ et mater: numquam mater, nisi quando et virgo: et postquam mater, nobilior et virgo; acta est hæc sola inenarrabilis generatio, quam [s] ideo esse admirabilem existimo, quia non illic rationem aliquam, qua idipsum factum est, quæ revelari nequeat, latere persentio; sed id tantum esse, quia factum est, quod signum est, quod mirum est, quod inauditum est, quod inusitatum est. Quod verè annuntiatione sui inenarrabile esse etiam narrando incognitum non est. Si enim esset quod lateret, et tamen idipsum non aliud quàm rationis cognitio esset; posset quidem quilibet rationis capax de eo quædam aut indagatione percipere, aut in sagacitate invenire, aut in adinventione colligere, aut collectione tractare, aut tractatu meditari, aut meditatione diffinire, aut diffinitione tenere, aut retentione proferre, aut prolatione firmare.

V Cùm

Extra hanc matrem esse virginem usus non est: extra hoc autem esse virginem usus est: hoc autem virginem esse virginem usus est: post virginem esse matrem usus est: esse incorruptam feminam usus est: post incorruptionem fieri genitricem usus est: habere genitalium pudorem usus est: post genitalium pudorem habere prolem usus est.

[q] *Esse et matrem* edidit Feu-ard. Nostr. omnes CC. non habent *esse*; quare exclusimus.

[r] *Matrem* non habet Feu-ard. sed habent nostr. CC.

[s] *Ideo* emendavimus ex nostr. quibus consonat vet. edit. longè melius, quàm *Deo*, quod retinere voluit Feu-ardentius.

[t] *Admiratione*: Nostri.

Cùm verò nihil horum, nihil tale, nihil ex toto, nihil ex parte in hac re puto vel angelos, vel homines aliter, vel amplius nosse, quàm quod ipso didicimus angelo nuntiante; puto nec ipsum angelum aliud recognoscere [u] valuisse, quàm quod ipse intulit hominibus nuntiare. In tanto etenim mysterio veritatis præco nec aliud quàm quod ipse sapuit, nec plus quàm ipse cognovit, potuit nuntiare. Quæ tamen nuntiavit et nobis, atque cum Virgine audire fecit et nos: quoniam nec aliter, nec alibi, nisi in virgine, et cum virgine hæc [v] convincimus didicisse. Si ergo illa virgo, quæ miraculo huic et materia extitit, et causà plenitudinis fuit, hoc solùm ab angelo didicit, quod ad effectum nuntiatæ rei sufficere potuit; non plus angelus sapuit, quàm quod dixit: qui tantum dixit, quantum virginem generare fecit: qui tantum dixit, quantum conceptionem, et partum virginis adimplevit. Tantum [x] ergo virgo de conceptu, et parturitione sua angelo salutante didicit, quantum me angelus evidentia rei huius instruxit. Si autem plus sapuit angelus quàm quod dixit, quomodo [y] ad implenitudinem partus sui sufficit virgini quod mecum audivit? Mecum dico audivit: quia post hoc nuntium partus sui, et redemptionis meæ, novum de hac re nihil audivit. Si plus sapuit angelus quàm quod dixit, quomodo ad implenitudinem facti res dicta pleniûs abundavit? Si plus sapuit angelus quàm quod dixit, quomodo semiplena dicta rem cælestium virtutum, et omnium elementorum attestatione completam [z] impleri veraciùs potuerunt? Restat ergo tantum me de hoc miraculo nosse, quantum angelus dixit. Quia quantum sapuit, tantum dixit: et tantum dixit, quantum virginem generare fecit. Quantum autem virginem generare fecit, tantum fides mea cum virgine ipsa cognovit. Itaque si iuxta assumptionem humanitatis hæc [a] inenarrabilis generatio huius prolis idipsum est, quod solius matris eius incorruptio singularis; bene angelicæ creationi, quæ labi potuit, præfero integritatem genitricis huius, quæ nascentis exitu interrumpi non potuit. Benè angelicæ conditioni, quæ diminui potuit, præfero virgineum decus, quod nati processu impediri non potuit. Benè angelicæ formationi, quæ minorari potuit, præfero pudorem, quem exordium geniti frustrare non potuit. Benè angelorum statui, qui quati potuit, præfero virginitatem mirabiliter singularem, quam nativitas filii Dei tanto auctam gloriâ incorruptionis reliquit, quanto singula-

[u] *Valuisse* ex nost. Feu-ar. edebat *voluisse*.

[v] *Convincimur*, et *convincitur* legimus in CC. nostr.

[x] *Autem* scribunt nostri CC. ubi *ergo* Feu-ard.

[y] *Ad plenitudinem .... suffecit.* Nostri CC. qui et paulo inferius similiter pro *implenitudinem* repetunt *plenitudinem.*

[z] *Implere* nostri.

[a] *Inenarrabilis* restituimus loco *incorruptibilis*, quod est in Feu-ard. Habent enim nost. CC. et consonat vetus edit.

larem, ac singulariter glorificans assumptam ex illa carnem ad sedem patris invexit, et omnem beatitudinem angelicæ formæ eius dominio subiugavit. In cuius excelsæ solemnitatis ascensione, cum Deus assumptam carnem paterna collocavit in sede, ita natura hominis angelicam reperit pacem, ita consortium recepit angelicum, ita honorem se adeptam esse intelligit angelorum, [b] ita abiectionem, qua contemptibilis erat, angelorum prætulit potestati; ut hæc natura, in qua
Gen.18.2. Abraham angelum adoravit, et tamen adorari prohibita non est,
Apoc.22.8. in Ioanne adorare volens, sit prohibita adorare. Quoniam in Abraham, licèt ex eius semine in Christo diceretur assumenda, nondum tamen in eodem Christo erat assumpta. Ideo [c] hanc angeli contemptibilem iudicabant, quia et condemnatio conditoris execrabilem hanc habebat, et assumptio eius nondum illam suæ unioni coniunxerat. In Ioanne autem ideo hanc naturam se adorare angeli prohibent, quoniam hanc super se in sede maiestatis adorant. Ideo hanc in subditis non contemnunt, quia eam supra se in sede gloriæ contemplantur. Ideo hanc in subiectis contemptibilem non despiciunt, quia eam unitam divinæ personæ cognoscunt. Et ideo honorabiliorem se incorruptionem maternæ virginitatis habent, quia fructum eius super se et admirantes aspiciunt, et humiliter intuentur: grati laudant, servientes adorant, perennes iubilant, subiecti [d] concelebrant, beati vident, [e] acclives adorant. Nihil puto ratiocinandum latuit, nihil perscrutandum evasit, nihil perinquirendum erupit, nihil investigandum excessit, nihil incognitum abiit. Quia [f] quantum audivimus rei, tantum impletum scimus: quantum audivimus rei, tantum effectum pensamus: [g] quantum audivimus, tanto hanc generationem fieri cognovimus: quanto [h] audivimus de angelo, tantum ad redemptionem nostram virginali completum esse videmus ex utero. Verùm ut rei huius magnitudo sese super angelos evidenter attollat: ut solius matris [i] huius incorruptio in singulari signo singulariter prædicanda, angelorum excelsa transcendat: ut incorruptæ virginis istius filii inenarrabilis generatio [j] nobilior nobilitatem angelorum exsuperet: postremò, ut nil illi simile [k] habens in omni rerum formatione angelicæ pulchritudinis admirante magnitudine constet; considera mecum naturam rerum, contemplare formam creaturarum,

[b] CC. Trin. et Amel. aliter habent: *Ita abiectionem qua contemptibilis erat, Angelicarum perdidit potestatum; ut hæc natura, quæ Abraham in Angelum adoravit &c.*

[c] *Hanc* non legimus in nostris.

[d] *Concelebrant* omn. nostr. Feu-ard. *celebrant.*

[e] *Acclines* legimus in Trin. et Tolet.

[f] Tolet. *Quantam audivimus rem, tantam impletam scimus.*

[g] *Quantum*: Trin. et Tol.

[h] *Audivimus* omn. nost. CC. Feu-ard. *audimus.*

[i] Edimus ex nostr. omn. *huius* pro *eius*, quod habet Feu-ard.

[j] *Nobilior* desideratur in Am. et Trin.

[k] Nec *habens* legitur in eisdem.

Digitized by Google

intuere conditiones diversas [l] conditionis universæ, et dicente Ioanne crede: omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Vide omnia quæ condidit, omnia quæ fecit, omnia quæ visibilia et invisibilia [ll] esse, et subsistere cernis, reverentiam eius habere servitutis, et abiectionem subditæ tenere conditionis. Nam si de terris, et mari, atque omnibus quæ in eis sunt, proponatur; audiant [m] cuncta ipsius Domini vocem cum iuris vigore sui universa homini conferentem: Dominamini piscibus maris, et volatilibus cæli, et universis animantibus, quæ moventur super terram. Si de ipso homine, audiat et ipse: Reges terræ, servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. Si de cælis, et quæ in eis sunt, audiant: Laudaverunt te Domine angeli tui, et hymnum dixerunt, dum [n] perficeres fabricam cæli. Item: Beatus cuius est Deus [o] adiutor eius: spes eius in eo, qui fecit cælum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt. Si de Angelis, audiant quæ Paulus commemorat: Quum introduceret primogenitum in orbem terrarum, sic dicit: adorent eum omnes Angeli eius. Verùm ut cuncta quasi suæ conditionis compede, ita generali dicto restringam, audiant universa sub uno: Magnus es, Domine, et præclarus virtute, insuperabilis. Tibi serviet omnis creatura tua: quia dixisti, et facta sunt: misisti spiritum tuum, et creata sunt. Si igitur cuncta quæ facta sunt, serviunt, restat nihil esse factori æquale; quia quod domino servit, domini est. Si autem est quod non [p] serviat, nihil est, quia factum non est. Proinde aut erit aliquid, et factum, et serviens est: aut erit nihil, quia quod non serviat, factum non est. Si ergo, ut verum est, cuncta quæ facta sunt, servitutis debitum retinent, æternæ potestatis illius [q] dominum non amittunt. Tanto autem omnia maiestati eius cedunt, quanto et excellentiæ prorsus adæquari non potuerunt. Atque ideo, cùm cuncta serviant illi, solius incorruptionis huius fructus in universitatem dominantis assumitur. Cùm omnia obsequantur, isti tamen generationi dominator admiscetur. Cùm universa famulentur, huic soli integritati Dominus adunatur. Quia ex omnibus creaturis hoc tantùm in persona fit cum Domino unum, hoc in unitate creatoris assumptum, hoc in unione dominantis innexum: usque adeo, ut assumens Deus dicatur filius hominis: et assumptus homo dicatur filius Dei. Non confusis naturarum proprietatibus, sed ita in personæ unitate connexis, ut ex assumpto, et assumente nullum discedat ab alio; nullum dirimatur

Ioan. 1. — Gen. 1. — Psal. 2. — Psal. 148. — Psal. 145. — Heb. 1. — Iudith 16.

[l] Tolet. *Et conditorem universarum dicente Ioanne.*

[ll] *Esse substituit* Trin. *Ei substituit* Amel.

[m] *Cuncta de se ipsius Domini &c.* Ita Tr. qui non habet *sui*; quod postea occurrit.

[n] *Perficeres*, quod edimus, habent omn. CC. Solus Feu-ard. *perficit.*

[o] *Deus Iacob* edidit Feu-ard. sed *Iacob* in nullo nostr. CC. reperimus.

[p] Ubi nos edimus *serviat* ad CC. omnes nost. habet Feu-ard. *fuit.*

[q] *Dominium non amittunt*: Trin. et Tol. *Dominium non admittunt*: antiq. editio.

Digitized by Google

tur ab altero. Quia enim assumens Deus dicitur filius hominis, Evangelista exprimit dicens:
Matth.25.31. Cùm venerit filius hominis in maiestate sua cum angelis suis. Quæ maiestas, vel angelorum eius, [r] non alteri poterunt deberi naturæ, quam filii Dei, qui verè est omnipotens Deus. Item quia assumptus homo dicitur filius Dei, alius Evangelista assignat
Luc.1.35. Virgini dicens: Propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Propter quam duarum naturarum proprietatem in unitate personæ connexam, Dei et hominis unius Christi hæc sola homo mater est virgo. Ita in utraque natura unum generans filium, ut idem sit filius Dei, qui filius hominis: nec alter sit filius hominis, [s] quàm filius Dei. Inde generatio hæc omni miraculo mirabilior, omni opere potentior, omni signo augustior. Quia cuncta ita transcendit, cunctis ita præpollet, excellentiam cunctorum ita exsuperat, ut isti [t] Deo adunatæ naturæ etiam angeli ministrent, huic angeli serviant, [u] hanc angeli adorent, eamque in unitate personæ filii Dei infinitis [v], et indefesis vocibus sine fine collaudent. Unde oro te, sancte angele, per indisecabilem hæreditatem fidei nostræ, per tuæ æternitatis statum, per meæ redemptionis mysterium, per pacem, quam ambo [x] in Christi Iesu corpore perfruimur, ut des mihi hoc tantumdem nosse de virgine matre Domini mei, quod ipse nosti: hoc credere quod ipse sapis: hoc diligere, quod ipse diligis: hoc in Domino frui, quod ipse frueris.

CAPUT XII.

Convertit sermonem ad beatissimam matrem, atque ad ipsius filium gloriosum. Item concludit adversùs impios intactæ virginitatis prophanatores.

At nunc venio ad te, sola virgo mater Dei: procido coram te, [y] sola opus incarnationis Dei mei: humilior coram te, sola inventa mater Domini mei: rogo te, sola inventa ancilla filii tui; ut obtineas deleri facta peccati mei: ut iubeas mundari me ab iniquitate operis mei: ut facias me diligere gloriam [z] virtutis tuæ: ut reveles mihi multitudinem dulcedinis filii tui: ut des mihi loqui et defendere [a] fidei sinceritatem filii tui: concedas etiam mihi adhærere Deo, et tibi: servire filio tuo, et tibi: famulari [b] Domino tuo, et tibi. Illi sicut fa-

[r] *Non alterius potuerunt*: Amel.

[s] Feu-ard. edebat: *quàm qui sit filius Dei.* Sed nos quod in omnibus nostr. reperimus, retinemus.

[t] Sequimur scripturam Amel. et Toletani: quam præferendam putavimus lectioni Feu-ard. *Deo adiuvante*: nec minus C. Trin. *Deo adunante.*

[u] *Hunc* scribunt Am. et Tol. qui paulo post pro *eamque*, habent *etiamque.*

[v] *Infinitis temporibus* edidit Feu-ard. sed *temporibus* in nullo nostrorum CC. legimus.

[x] *In Christi Domini corpore* Amel.

[y] *Sola* edimus ad omn. CC. MS. quibus consentit antiquior editio. Unus Feu-ard. habet *solum.*

[z] *Virginitatis* loco *virtutis* scribunt Am. et Trin. necnon antiq. editio.

[a] *Tuam sinceritatem, et filii tui*: Amel.

[b] *Domino tuo* omn. nost. *Tuo* non legitur in Feu-ard.

Digitized by Google

factori meo, tibi sicut genitrici factoris mei: illi sicut Domino virtutum, tibi sicut ancillæ Domini omnium: illi sicut Deo, tibi sicut matri Dei: illi sicut redemptori meo, tibi sicut operi redemptionis meæ. Quod enim in mea redemptione est operatus, in tuæ personæ veritate [c] formavit. Quod mihi redemptor factus est, tibi filius fuit. Quod pretium emptionis meæ factus est, ex carne tua eius incarnatio fuit. [d] In quo vulnera mea sanavit, ex carne tua vulnerandum corpus exhibuit: in quo mortem meam tolleret, a mortalitatis tuæ corpore mortale corpus attraxit: in quo mea deleret peccata, [e] quod tulit a te corpus, sine peccato suscepit: naturam meam, quam in se præcessore mihi ad regnum suum in gloria paternæ sedis super angelos collocavit, ex veritate corporis tui humiliatus assumpsit. Ideo ego servus tuus, [f] quia tuus filius Dominus meus. Ideo tu domina mea, quia tu ancilla [g] Domini mei. Ideo ego servus ancillæ Domini mei, quia tu domina mea facta es mater Domini tui. Ideo ego factus servus tuus, quia tu facta es mater factoris mei. Oro te, oro te, sancta Virgo, ut de illo spiritu habeam Iesum, de quo tu genuisti Iesum. Per illum spiritum accipiat anima mea Iesum, per quem concepit caro tua eumdem Iesum. Ab illo spiritu sit mihi nosse Iesum, a quo tibi affuit nosse habere et parturire Iesum. In illo spiritu [h] humilis excelsa loquar de Iesu, in quo confiteris esse te ancillam Domini, optans fieri tibi secundùm verbum angeli. In illo spiritu diligam Iesum, in quo tu hunc adoras ut dominum, [i] intueris ut filium. Tam verè timeam hunc Iesum, quàm verè idem cum esset Deus, erat subditus parentibus suis. *Luc. 2. 51.*

O salutis ac [j] vitæ meæ simul et gloriæ præmium, grandi opulentia magnum! O libertatis meæ [k] nobilissimum titulum! O ingenuitatis meæ præclara conditio! O nobilitatis meæ astipulatio insolubiliter gloriosa, et gloriæ æternitate confecta! Ut ego male deceptus, ad reparationem meam fieri concupiscam servus matris Domini mei: ut ego olim in primo plasto [l] angelica communione seiunctus, ancillæ et matris factoris mei merear [ll] confici servus: ut ego idoneum opus in manibus summi Dei, impetrem in servitute puerperæ virginis iugi, [m] in servitutis devotione ligari. Hoc mihi præsta Iesu, Deus fili hominis: hoc mihi tribue, domine rerum, et fili ancillæ: hoc mihi largire humilis Deus in homine: hoc mihi concede, homo in Deum gloriose, ut hoc cre-

[c] *Firmavit*: Amel. et Tolet. et vetus edit.
[d] *In qua*: Feu-ard. *In quo* nost. omn.
[e] *Quæ sustulit* omn. nost.
[f] *Quia tibi fillus Dominus*: Amel.
[g] *Filii tui*: Idem.
[h] *Humilia, et excelsa*: Am. et Tol. cum antiq. editione.
[i] *Tueris*: ambo iidem.
[j] *Tutelæ* pro *vitæ* scribit Am.
[k] *Nobilissimus titulus*: Idem.
[l] *Angelica ab communione*: Am. *Seductus* pro *seiunctus*: Tol.
[ll] *Coniici*: omn. nost.
[m] *In servitutis devotione.* Reposuimus *in* ex nost. omnib.

Digitized by Google

credam de partu virginis, quod de incarnatione tua impleat fidem meam: hoc loquar de materna virginitate, quod os meum impleat [n] de tua laude: hoc diligam de matre tua, quod tu in me compleas [o] de dilectione tua: ita serviam matri tuæ, ut ex hoc ipse me probes servisse tibi: ita hæc dominetur [p] mihi, ut ex hoc [q] noverim me placuisse tibi: ita dominium eius me teneat in sæculum, ut tu sis meus Dominus in æternum. [r] Quàm promptè servus huius dominæ effici concupisco, quàm fideliter servitutis huius iugo delector, quàm plenè famulari huius imperiis opto, quàm ardenter ab illius dominio dissociari non quæro, quàm avidè ab ipsius famulatu nusquam abstrahi cupio; tam verè illi serviendi facultatem inveniam, tam verè [s] illi serviens gratiam illius merear, tam verè in [t] servitutem eius sine [u] interruptione detinear, [v] tam verè nusquàm ab æternitatis ipsius iocunditate disiungar. Et hoc quidem quare quæram, noverunt qui diligunt Deum, vident qui sunt fideles [x] in Deo, intuentur qui adhærent Domino, non ignorant qui non ignorantur a Domino. Sed vos audite æmuli, vos attendite infidi, vos cognoscite dissidio pleni, vos percipite sapientes mundi, qui ex hoc stulti estis apud sapientiam Dei, ex quo sapientes estis apud [y] stultitiam vestram: qui ex hoc imbeciles estis apud fortitudinem Dei, ex quo fortes estis apud ægrimoniam vestram: qui ex hoc contemptibiles estis apud excellentiam Dei, ex quo sublimes estis apud miseriam vestram. Qui ex hoc destructi estis, quasi non sitis, ab eo qui semper est, ex quo apud vosmetipsos esse putatis, cùm nihil veriùs sitis apud eum, cui hoc est esse, quod semper est. Qui spernitis hanc esse virginem semper: qui non vultis esse factorem meum filium eius: qui non vultis hanc esse matrem factoris mei: qui contemnitis ut hæc sola hunc habeat filium, quem omnis habet creatura dominum unum: qui non glorificatis hunc Deum filium eius, dominum meum non glorificatis ut Deum: qui beatam non dicitis, quam Spiritus sanctus ab omnibus nationibus beatam dicendam edixit: *Lucæ* 1. 48. qui gloriam incorruptionis, corruptela afficitis carnis: qui non refertis honorem dominicæ matri, ut referatis honorem Deo filio eius: qui non glorificatis ut Deum, quem natum ex ea vidistis ut hominem: qui confunditis diversitates naturarum filii ipsius: qui scin-

[n] *De tua* addidimus similiter ex nostris.
[o] *De* in omn. nostris deest.
[p] *Mei*: omn. nost.
[q] *Noverim* pro *noverint* edimus ex nost. contra Feu-ard.
[r] *Quam desiderantur quam promptè, &c.* Amel.
[s] *Illi*, et *illius* desiderantur in Am. et Tr.
[t] *Servitute*: Amel. et Trin.
[u] *Interruptione* quod edimus exhibent Am. et Tol. Nec enim placet *interemptione* Feu-ardentii; minus vero *incorruptione* C. Trin.
[v] Ante hæc verba repetit Feu-ard. editio superiora illa: *Tam verè serviens gratiam merear*; quod nos in omnib. nost. CC. desideramus.
[x] *In Deum*: Am.
[y] *Stultiloquium vestrum* scribit Am. cum antiqua editione.

Digitized by Google

scinditis personam filii eius: qui [z] inficitis divinitatem filii illius: qui veram carnem, veramque passionem spernitis filii eius: qui hunc nec cecidisse in mortem [a] per hominem, nec a mortuis resurrexisse creditis per Deum. Quod enim cecidit, ex homine fuit; quod surrexit ex Deo. Nam ego ut sim servus filii eius, hanc mihi dominari [b] peropto: ut dominetur mihi filius ipsius, huic servire decerno: ut comprober servire Deo, dominium matris eius super me in testimonium quæro: ut sim devotus servus filii [c] generati, [d] servus fieri appeto genitricis. Sic namque refertur ad Dominum, quod [e] servitur ancillæ: sic redundat ad filium, quod impenditur matri: sic alternat in nutrito, quod adhibetur in nutrice: sic transit honor in regem, qui defertur in famulatum reginæ. Gratulatus ego cum angelis, lætatus cum vocibus angelorum, exultans cum angelorum hymnis, gaudens cum angelorum præconiis, gratulor cum domina mea, lætor cum matre Domini sui, exulto cum ancilla filii sui, gaudeo cum ea, quæ facta est mater factoris sui, iocundor cum ea, ex qua factum est caro Verbum Dei. Quia credidi cum ea, quod de se novit mecum et ipsa: quia cognovi quòd sit [f] virgo genitrix: quia sapio quòd sit generans virgo: quia scio quòd virginitatem illius conceptio non amisit: quia didici quòd partum eius immobilis virginitas antecessit: quia teneo quòd partus eius virginitatis gloriam [g] non reliquit. Qui tam verè hæc omnia amo, quàm verè illa pro me facta esse cognosco. Mecum enim est, quod per ipsam factum est: ut ex eo natura Dei mei se copularet naturæ meæ, ex quo natura mea transiret in Deo meo; essetque unus Christus, Verbum et caro, Deus et homo, idem factor et factura, idem plasmator et plasma: idem conditor et conditionis forma: idem operator et assumpti operis veritas: idem qui fecit, et quod fecerat: idem qui fecerat et quod fecit. Ipse assumptor, ipse assumptus: [h] et ut expressiùs quod ipse dat, de ipso loquar; ipse omnipotens, pro me autem et pro salute mea ipse exinanitus. Ipse fortis, ipse infirmus. Ipse salus mea, ipse vulneratus est pro me. Ipse sanitas mea, ipse pro me vulnere cæsus. Ipse virtus Dei, ipse pro me humilis Deus. Ipse vivens, ipse mortuus. Ipse vita mortis nescia, [i] ipse mortem sustinens et devincens. Ipse ante mortem mori nescius, ipse post mortem sine dominio mortis. Ipse de cælo veniens,

[z] *Inficitis*, reposuimus ex Amel. pro *afficitis*, quod est in reliquis.

[a] *Ut hominem* scribunt omn. nost.

[b] *Præopto* Feu-ard. *peropto* omn.CC.nost.

[c] *Generantis*: Tol. et Trin.

[d] *Servitutem fideliter appeto* omn. cum Feu-ard. præter Amel. quem secuti sumus.

[e] *Servitur* est ex omn. nost. Feu-ard. *servit*.

[f] *Generans virgo genitrix*. Ita Feu-ard. sed *generans*, eò quòd in nostrorum CC. nullo reperiremus, reiecimus.

[g] *Non reliquit*, id est *non deseruit*; quia partus a virginitate non fuit seiunctus, quam minime læsit.

[h] Repræsentamus consonam nostror. CC. lectionem. Feu-ard. hæc erat: *Hæc ut expressiùs quod ipse dat de ipso loqui*, *loquar*, &c.

[i] *Ipse vita mortem* &c. omn. nost.

niens, ipse sepulcrum adgrediens. Ipse sepulcrum relinquens, ipse cælos repetens. Ipse ad inferna in anima humana descendens, ipse de inferno potestate divina sanctorum animas liberans. Ipse in sepulcro iacens ut homo, ipse de sepulcro resurgens ut Deus. Ipse de morte liberans, ipse inter mortuos liber. Et hæc omnia idem Christus, atque omnia in uno eodemque Christo, [j] pro unione personæ, non pro confusione naturæ. Ideo ego confidens per mortem huius filii Dei, per crucem redemptoris mei; sperans per vulnera huius factoris mei; fiduciam habens, spem veram tenens per sanguinem huius Christi mei: quia tectis peccatis meis, quia remissis iniquitatibus meis, quia ablatis sceleribus meis, quia ablutis criminibus meis, quia [k] abolitis malis meis, quia abstersis immunditiis meis, quia solutis peccatorum meorum vinculis, mundatus a bono Deo, purificatus a misericordiæ Deo, iustificatus a pio iudice, sanctificatus a copioso redemptore, miscear beatis angelis, socier choris angelicis, [l] copuler angelorum gaudiis, iungar festis angelicis: ut sit Deo in me gloria, ut sit Deo a me laus, ut sit Deo a me honor: et mihi sit a Deo venia, et mihi sit a Deo salus, et mihi sit a Deo vita, et mihi sit a Deo exultatio, iugiter, veraciter, indesinenter, evidenter, amodo, ex nunc, ex hoc, ab hinc, et in omne tempus, et in totum ævum, et in cuncta semper sæcula sæculorum. Amen.

[j] Utrumque *pro* deest in Feu-ard. reperitur in nost. omn.

[k] *Abolitis* ex omnib. nost. edimus, pro *oblitis*, quod erat in Feu-ardent. editione.

[l] *Annumerer*: Amel.

EXPLICIT LIBER DE PERPETUA DEIPARÆ VIRGINITATE.

Digitized by Google

IN DUO SEQUENTIA OPUSCULA
MONITUM LECTORI.

In hoc duplici opusculo S. Ildephonso asserendo nihil est, lector benevole, quod immoremur. Namque et librum de cognitione Baptismi unum, et de progressu spiritualis deserti alium *composuisse commemorat S. Iulianus: deinde verò sub iisdem titulis, atque eidem S. Doctori attributa reperta fuêre in C. MS. PP. Dominicanorum Baiocensium; ex quo primus ea in lucem edidit Stephanus Baluzius, quem nos in hac nostra editione sequuti sumus. Nisi forte styli diversitas iudicium tuum aliquantulùm retardare possit, cuius magnam vim esse fatemur ad doctorum virorum lucubrationes rectè diiucandas, verasque et genuinas ab spuriis secernendas. Sed id quiquid est difficultatis statim evanescet, ubi ex ipso S. Doctore intellexeris, hæc duo opuscula non tam de suo composita atque elaborata, quàm ex variis SS. Patrum sententiis collecta fuisse.* Non nostris novitatibus, *verba sunt ipsius S. Ildephonsi in fine præfationis primi libelli,* incognita proponentes, sed antiquorum monita, vel intelligentiæ reserantes, vel memoriæ adnotantes. Ob quam rem titulum operis huius *ANNOTATIONUM DE COGNITIONE BAPTISMI* decrevimus inscribendum. *Iam ergo deinceps mirari desines, quòd sententiæ in eis contentæ alium frequenter quàm Ildephonsi stylum sapiant.*

Interea tamen te monitum volumus, ut ne quid de horum librorum pretio detrahendum putes, propterea quod non sint proprio Ildephonsi marte omni ex parte elaborati. Ea enim est sententiarum quibus constant gravitas, atque præstantia, ut ipsæ cùm per se, tum etiam propter eos e quibus excerptæ sunt doctissimos, at venerabiles Ecclesiæ Patres, Augustinum, Gregorium, Isidorum, maximo sint in pretio habendæ; non minus tamen æstimandæ sint propter collectoris summam auctoritatem. In quo equidem non is tantùm pensandus est labor, quem in eis hinc inde colligendis, atque ad unum scopum singulis coordinandis Ildephonsus insumpsit; (quamvis neque id leve sit, et ad usum nostrum maxime accommodatum) sed ipsius in primis doctrina suspicienda nobis est, cuius lumine obscuriora Patrum dicta ad nostram intelligentiam reseravit.

Præter hæc autem duo sunt (nec oportet ea silentio præterire) quæ in his libris a S. Doctore omnes edocemur, quæque omnium studiosorum lectorum animis vellemus infixum. Primùm summam diligentiam, assiduamque operam, quam in SS. Patrum scriptis evolvendis, addiscendisque ipse locabat, die noctuque eorum studio incumbens; ut ex eis tamquam e purissimis fontibus sanam doctrinam hauriret, quam fideli populo propina-

Digitized by Google

naret, prophanas vocum novitates iuxta Apostoli monitum cautè vitaturus. Deinde demissam illam animi humilitatem, qua vir sanctissimus et ingenio et eruditione plurimum valens, quasi nihil se scire putasset, ad auscultandam Patrum antiquiorum doctrinam aures adeò vacuas accommodaverit, ut eorum potius dicta atque sententias, quam proprias nobis tradere voluerit. Neque id ipsum dissimulaverit, sed ingenuè (ut virum sanctissimum et integerrimum decebat) et apertissimis verbis professus sit, atque proprio quasi digito nobis indicaverit quænam illa sint, quæ ab aliis acceperit: ne fucum legentibus facere, vel debita illos laude quodammodo defraudare velle videretur.

Quare rem nos gratissimam vel ipsi Ildephonso facturos speramus, qui doctorum virorum exemplum sequuti, non dubitavimus ad fontes ab ipso S. Doctore indicatos recurrere, et eâ qua potuimus diligentia, non parvo certè sudore singula penè loca inquirere, ac designare, e quibus quæque sententia excerpta est. Ex quo labore satis improbo id simul commodi percepimus, ut corruptas lectiones si quas offendimus, restituerimus, et lacunas aliquot, quas in Baluziana editione reperimus, etsi non magni momenti, repletas exhibeamus. Curavimus etiam ne verborum S. Scripturæ citationes ad oram desiderarentur: nihil tandem non egimus, quo hæc editio absolutissima appareret vel in summa, qua laboramus, omnium CC. MSS. inopia.

SANCTI ILDEPHONSI EPISCOPI

ANNOTATIONUM DE COGNITIONE BAPTISMI

LIBER UNUS.

INCIPIUNT CAPITULA.

I. *Exordium orationis.*
II. *Quòd insinuetur novæ regenèrationis dicere mysterium velle.*
III. *Quòd unus sit Deus Trinitas tota.*
IV. *Quòd tota Trinitas unus Deus omnia fecit.*
V. *Quòd homo a Deo bene sit conditus, a zabulo male deceptus.*
VI. *Quòd pietas conditoris præcesserit culpam hominis.*
VII. *Formatio Ecclesiæ de latere Christi ad similitudinem formationis Evæ de latere Adæ.*
VIII. *Quòd in exordio primorum hominum et incarnatio, et mors præfigurata est Christi.*
IX. *Quòd incarnationem Christi tota Trinitas operata fuerit, sola tamen persona filii hanc suscepit.*
X. *Quòd ideo data lex est, ut rediret in cognitionem homini Deus.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

LXXXVII.

Digitized by Google

CIV.

CVI. *De descriptione efficientiarum aquæ fontis. De patentis admiratione miraculi.*

CVII. *Quare, et unde fons in quadragesima clauditur, et in Pascha reseratur.*

CVIII. *De tempore, et loco baptizandi.*

CIX. *De expositione mysteriorum fontis.*

CX. *De gradibus fontis.*

CXI. *De duabus pactionibus abrenuntiationis, et credulitatis.*

CXII. *Quòd in nomine Trinitatis detur baptismum; et quòd in baptismo quæcumque persona Trinitatis omissa sit, nihil baptismi celebritas agat; quòdque Christi baptismum in Trinitate extiterit actum.*

CXIII. *Quòd baptismum et originale, et actuale peccatum tollat; et quòd non nisi renatus habeat vitam æternam; et quare vel abrenuntiationem, vel confessionem alii propter alios profitentur.*

CXIV. *De his qui de fonte baptizatos excipiunt, et quid cum eis agere debeant.*

CXV. *Quòd pro spe futuræ beatitudinis regeneratio detur, non ut temporalis mortis pœna tollatur.*

CXVI. *Quòd solis sacerdotibus liceat dare baptismum, excepta necessitate periculi.*

CXVII. *Quid significat quod infans aquis immergitur ad similitudinem mortis Christi. De simpla quoque et trina baptismatis mersione.*

CXVIII. *De non iterato baptismo.*

CXIX. *Quòd primum baptismum aquæ sit, secundum sanguinis.*

CXX. *Quòd tertium baptismum pœnitentiæ sit in alluvio lacrymarum.*

CXXI. *Quòd nec in hæreticos liceat iterare baptismum.*

CXXII. *Quod post baptismum gloriæ cantico decantato, ad unctionem provehendus est homo.*

CXXIII. *De unguento chrismatis, et institutione eius.*

CXXIV. *Quòd per visibilem unctionem corporis invisibiliter Spiritus sanctus operetur animæ unctionem.*

CXXV. *Quòd non Christo, sed hominibus datur spiritus ad mensuram.*

CXXVI. *De discretione, qua sanctus Spiritus ad mensuram datur hominibus.*

CXXVII. *De spiritu septiformi interpretatio sancti Gregorii Papæ.*

CXXVIII. *De impositione manus.*

CXXIX.

Digitized by Google

EXPLICIUNT CAPITULA.

PRÆFATIO.

Divinæ institutionis auctoritas, et sacræ paternitatis antiquitas per Scripturam, quæ, dicente Apostolo, *divinitus inspirata utilis est*, Ecclesiam Catholicam nasci per fidem, crescere per institutionem, atque in æternitatem per remunerationis gloriam permanere, et per redemptionis munus obtinuit, et per adoptionis spiritum adfirmavit, quoniam hanc eamdem Scripturam ipse Spiritus ad salutem hominum inspiravit, qui ad beatitudinis præmia homines provexit. Huius sanctæ Ecclesiæ origo in hominibus figuraliter inchoavit ex tempore, perficietur autem ex muneris æternitate. In sanctis verò angelis in veritatis specie temporaliter cœpit, in veritatis specie perenniter manet. Ita namque spiritaliter condita est, ut post ruinam prævaricationis in conditoris amorem sui soliditate percepta, non suæ naturæ augmento concresceret, sed humanæ salvationis inlatione reparata constaret. In angelica verò conditione, quia ex parte aliquod ruit, reliquum gloriæ in perennitate permansit. In humana verò conditione, quia tota per deceptionem hostis natura interit hominis, ex nulla parte reparari poterat, nisi eam ad reparationem sui ex toto redemptoris veritas suscepisset. Hinc adfuit, ut inde potens conditor ruinam repararet angelicam, unde pius redemptor in se suscipiens reparandam illic naturam induxit humanam. Regnante igitur Deo in cælo et in terra, cuius regnum est totus mundus, qui ex cælo constat, et terra, cui servit cælestium, terrestrium,

Tim. 2. 3. 16.

et infernorum omnis rei universa substantia, per quem consistit iam illa sine defectu cælestis patriæ pars beata, ad cuius profectum in electis quotidie natura conscendit humana. Quia enim Dei patris Verbum, et hoc ipsum Deus, per quod angeli et omnia facta sunt, caro factum est in hominibus caput Ecclesiæ, qui erat initium angelicæ creaturæ, ac proinde sicut Deus et homo in unitate personæ caput est unus Christus, ita illi esset ex angelis et hominibus Ecclesiæ unum corpus. Unde huius Ecclesiæ gloriosa pietas et gloriatio pia gaudet in consistentibus angelis, anhelat in hominibus provehendis. In illis laudem celebrat conditoris, in istis adsumit gloriam redemptoris. In illis habet gaudium sine fine, in istis appetit sine fine gaudere. In illis statione, in istis adquisitione lætatur. Illic in civibus solida, hìc in advenis læta. Illic de securitate quiescit, hìc de sollicitudine prospectatur. Salus illis, et æternitas istis reparatio est. Et sicut isti nec volent umquam peccare, nec poterunt, ita isti a velle ut posse peccandi salvati adsciscuntur per effectum redemptionis in eorum plenitudinem claritatis. Iam per sancti Spiritus pignus pia futuræ unitatis admixtione concreta, quando ea, quæ in hominibus ex adversitate tolerat, angelicæ consolationis suffragatione firma sustentat, ut in peregrinatione huius vitæ opitulatio angelica foveat, quos gloriosæ societatis suæ unitas expectat. Huius Ecclesiæ pars, quæ in hoc tempore advocatur, ut fiat quod dicitur: Congrega nos ex gentibus, ut confiteamur nomini sancto tuo, et gloriemur in laude tua, quo ordine secundùm apostolicam, sanctorumque Patrum traditionem antiquam, institutionem quoque divina auctoritate prolatam, invitetur ut veniat, veniens ordinabiliter suscipiatur, suscepta sacris ordinibus provehatur, provecta sanctificationis gratiâ impleatur, præsentis libelli serie manet congestum, dispositum pariter et concretum, non nostris novitatibus incognita proponentes, sed antiquorum monita vel intelligentiæ reserantes, vel memoriæ adnotantes. Ob quam rem titulum operis huius *Adnotationum de cognitione baptismi* decrevimus inscribendum.

Psal. 105. v. 45. 46.

CAPUT I.

Exordium orationis.

Iesu fili David miserere mei, inluminans oculos meos, ut videam quod ad te perveniam; firmans in te gressus meos, ne transgrediar viam; aperiens os meum, ut possit de te loqui. Qui dedisti mihi velle, tua utcumque poterim loqui. Et quia dilectio proximi inhæret dilectioni tuæ, da mihi exercere utilitatem eius, quæ formet salutem illi, et perveniat in laudem et gloriam nominis tui.

CAPUT II.

Quod insinuetur novæ regenerationis dicere mysterium velle.

Generationem illam, quæ fit pro-

Digitized by Google

proventuræ generationis divinæ, ut nati homines in iram renascantur ad gratiam, per quam filii iræ transeunt in adoptionem filiorum Dei, qua liberati a regno peccati transferuntur in regnum gloriæ Dei; suis ordinibus persequi, et explicare contendam, ut omnis sancto lavacro baptizandus videat per quæ mysteriorum signa vocatur; omnis iam baptizatus meminerit quæ sacramentorum præmia et servet, et veneretur; quatenus dum figuræ tanti mysterii antea signatæ esse noscuntur, postea ipsarum figurarum sacramenta in æternam gratiam sciantur esse completa.

CAPUT III.

Quòd unus sit Deus Trinitas tota.

Deus unus est, invisibilis, incomprehensibilis, inæstimabilis, immortalis, omnipotens, perfectus, et sempiternus. In hac re nihil adventitium, nihil postremum, nihil recedens. Hic est ante omnia, super omnia, intra omnia, extra omnia. Hic Deus est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Sed Pater a nullo, sed ex se est; et est tantùm Pater. Filius ex Patre est natus, ex eo coæternus Patri; et est tantùm Filius. Spiritus sanctus ex Patre et Filio inseparabiliter procedit, et est tantùm Spiritus sanctus. Hæc tota Trinitas unus est Deus, non aliud habens, et aliud subsistens. Sed ideo simplex est, quia quod in se habet, hoc est. Non enim in illo accidit quodcumque bonum, cuius sit participatione compositus; sed quia ex illo est omne bonum, ideo quod in se est, hoc verè omnimodo est.

CAPUT IV.

Quòd tota Trinitas unus Deus omnia fecit.

Hæc tota Trinitas unus Deus fecit omnia visibilia et invisibilia, sive cælum, et cælestem angelicam creaturam cum omnibus quæ continentur in cælo, sive terram, et mare cum omnibus quæ continentur in eis. Hic Deus omnia creavit, omnia continet, omnia gubernat, omnia providentiæ suæ administratione disponit, omnia regit. Omnia ipsi serviunt. Omnia ipse iudicat. Absque illo nihil bonum. Ex illo nihil malum. Ipse potens et de malo facere bonum. Ipse disperdens omne malum. Ipse donator omnis boni. Ipse conservans perenniter omne bonum.

CAPUT V.

Quòd homo a Deo benè sit conditus, a zabulo malè deceptus.

Post conditionem ceterarum rerum bona conditione beatus est a Deo conditus homo, et certè ita beatus, ut ad imaginem et similitudinem Dei factus, cunctis terrenis rebus existeret beatitudinis auctoritate prælatus. Cui invidens super iis angelus ob superbiam de cælestis gloriæ claritate deiectus, dum conditori Domino superbivit, hunc conditum hominem persuasionis fraude decepit. Qui deceptus homo

Digitized by Google

et propter transgressionis admissum beatitudinis loco exul est factus, et cum omni posteritate generis sui mortis est sententia condemnatus.

CAPUT VI.

Quòd pietas conditoris præcesserit culpam hominis.

Hunc pietas conditoris æternâ statuens miseratione salvandum, in ipsis primordiis conditionis eius velut pietatis fundamenta componens, salutis mysteria fixit, per quorum mysteriorum sacramenta quandoque salvandus invenire signatæ salutis remedium posset, sicque præiret pietas factoris culpam hominis, et cum plenitudo venisset temporis, antiquitas pietatis repararet lapsum humanæ conditionis, et ex hoc subveheret illam gloriæ futuræ æternitatem, ex quo in conditionis primordiis signaverat sacramenta suæ redemptionis.

CAPUT VII.

Formatio Ecclesiæ de latere Christi ad similitudinem formationis Evæ de latere Adæ.

Adam ergo Christi, Eva Ecclesiæ figura fuere. Assumptus est limus, et factus est primus homo Adam in animam viventem. Incarnatus est Christus, et factus est secundus homo Adam in spiritu vivificante. Somno Adam obdormivit. Christus morte quievit. Adæ costa subtrahitur, et mulier fingitur. De Christi latere sanguis et aqua producitur, et his sacramentis Ecclesia sancta formatur. Non tollitur caro de carne viri, cùm permanente virtute ossuum viri deberet mollior mulier carnis mollitie potius fingi; sed quòd de viro ossis fortitudo subtrahitur, infirmitas est divinitatis, de qua dicitur, *Verbum caro factum est:* Ioan. c.1.14. quòd de fortitudine ossis viri mulier fingitur, hoc est quod sequitur, *et habitabit in nobis.* Nam de viro aliquid virtutis auferre hoc est, *semetipsum exinanivit* Ad Philip.2.7. *formam servi accipiens*: mulierem de fortitudine viri compingi, hoc est, *cum esset dives,* 2. ad Corint.8.9. *propter nos pauper factus est, ut nos eius inopia ditaremur.* Quod ergo ille infirmatus in humilitate deitatis suæ, hoc Ecclesia roborata est per adsumptionem humanitatis in illo. Bene ergo infirma mulier de virtute viri formatur, quia post lapsum culpæ deformis humana conditio factoris sui imaginem non reciperet, nisi hanc redemptor pius moriens innovasset; nec debilis et abiecta ad virtutem spiritus consurgeret, nisi eam infirmata divinitas humilis erexisset.

CAPUT VIII.

Quòd in exordio primorum hominum et incarnatio et mors præfigurata est Christi.

Hanc figuræ salvationis summam per gloriam virginis signavit species mulieris, quando dictum est ad serpentem, *Inimicitias ponam inter te, et inter semen eius*: Gen.3.15. significans malitiam diabolicæ partis non posse inhærere sacramento redemptionis,

quod

Digitized by Google

quod factum est per assumptum hominem ex utero Virginis. Unde adhuc subditur: *Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaveris calcaneo eius.* Hoc de Christo, qui est fructus virginalis ventris Mariæ, intelligitur. Id est: tu per malitiam persequentium, qui sunt semen tuum, quorum corda inhabitas, eum supplantabis ut moriatur; et ille resurgens conteret caput tuum, quod est mors, et te ipsum qui habes mortis imperium. Hanc humilitatem Redemptoris usque ad susceptionem mortis mox subsequens fratricidium figuravit, quando Cain frater maior terrenis operibus incubans, adsurgens innocentem socium propter simplicem hostiam extra domum rudi crudelitate homicida novus occidit, significans Iudæorum populum primum in lege natum, Christum agnum Dei, et tollentem peccata mundi extra Hierusalem crucis patibulo occisurum.

Ibidem.

CAPUT IX.

Quòd incarnationem Christi tota Trinitas operata fuerit, sola tamen persona Filii hanc suscepit.

Huius sanctæ redemptionis opulentum miseratione copiosa mysterium præsignatum in conditione primorum hominum implevit Filius Dei veniens in plenitudine temporum, cuius adventus operatio incarnationis eius veritas fuit. Quam incarnationis veritatem tota Trinitas operata est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis; sola tamen persona Filii hanc suscepit; quoniam quæcumque per hanc dispensationem pertinent ad personam Christi, neque ad Patris, neque ad Spiritus sancti personas poterunt ullatenus pertinere. Non enim fas est dicere Patrem, et Spiritum de Virgine genitos, vel cruci suspensos, vel sepultura conclusos, quæ in sola persona Christi omnia congruenti, et evidenti sunt dispensatione completa. Hoc mysterium redemptionis humanæ dispositum æternitate deitatis suæ, completurum præsentiâ humanitatis adsumptæ Christus, sicut ante sæcula ordinavit, ita in sæculorum fine perfecit. Nihil novitate consilii inventum, nihil accessu novæ cogitationis adsumptum, sed æterna dispositione præfixum, temporali dispensatione perfectum.

CAPUT X.

Quòd ideo data lex est, ut rediret in cognitionem homini Deus.

Humano itaque generi, quia oblivioni dederat creatorem, data est lex, per quam creaturæ amittenti Deum reduceretur in cogitationem creator omnium rerum: dictumque est per eamdem legem: *Audi Israël: Dominus Deus tuus Deus unus, &c.* Quo dicto et superstitiones, quibus pro creatore creatura colebatur, amotæ sunt, et unus qui verè coleretur Deus patenter est demonstratus.

Deut. 6. 4.

CA-

CAPUT XI.

De temporibus sub quorum distinctione sæculum stetit.

Stetit ergo sæculum in hominibus sub trimoda distinctione temporum. Stabit homo ordine quarto in beatitudine sæculorum. Primo summè infeliciter, secundo non plenè feliciter, tertio abundè feliciter, quarto summa æternaque felicitate feliciter. Primo summè infeliciter, quia homo conditus ad imaginem et similitudinem Dei, suo deceptore zabulo sibimet principante, serviens regno peccati, idolorum cultor, soli creatori piè debitum impiè creaturis impendit honorem. Secundo non plene feliciter, quia data quidem lex est ad cognitionem Dei, sed perducere non potuit ad iustitiam Dei. *Nam si ex lege iustitia, ergo Christus gratis mortuus est.* Data est ad intelligentiam, non ad veniam peccati. Per illam enim agnitum peccatum punitum est, non sanatum. Data quidem est in sanctione hostiarum et cæremoniarum, ut offerrentur Deo, sicut Deus sanxerat, et non sicut gentiles sacrificantes dæmoniis immolabant. Quæ tamen observantia legis propter cognitionem Dei multùm profuit hominibus in tempore suo. Sed ideo plenam felicitatem non intulit, quia ad perfectum nihil adduxit. Sequens ergo erat tempus, in quo felicitas per litteram cœpta posset per intelligentiam spiritus esse perfecta. In hoc tempore gratiæ, quod tertium est, fuit abunde feliciter, quando cunctis illis sacris hostiis figuratus Christus est incunctanter ostensus; quando umbræ successit lux, incertis veritas, figuris ostensio, occultis revelatio, legi evangelium, timori servorum gratia filiorum, et cunctis, quæ adumbraverat littera, manifestatio spiritalis gratissima et aperta. Quartum est illud beatæ æternitatis insigne, in quo devictis cunctis adversantibus laudabit homo Deum in incorruptionis tranquillitate securus. Ergo in statu mundi . . . adductum est. Non plene feliciter fuit tertium sub gratia, in quo nos Christus a delictis nostris in suo sanguine lavit; et abunde feliciter manet extremum illud, quod et æternum, in quo laudabimus Deum in sæcula sæculorum.

[Margin notes: Videntur ex Aug. desumpta *lib. de Diversis quæst.* 83. *quæst.* 66. sed non ad litteram. — Gal. 2. 21. — Heb. 7. 19. — Desunt hic in codice MS. duæ lineæ.]

CAPUT XII.

De conatu exsequendorum ordinum.

Iam nunc favente Deo, cuius misericordiæ opus in humana salvatione nosse desideramus, ipsius effectum salvationis quæ per regenerationem gratiæ cum sacramento redemptionis efficitur, sicut et divina auctoritas et paterna sanxit antiquitas, opportunè suis ordinibus exsequamur.

CAPUT XIII.

Quòd ipsis exordiis causarum instauratio humana inchoata cognoscitur, in quibus eius restauratio continetur.

Exordium regenerationis, cuius species peracta est in plenitudine

ne temporis, ab initio temporum cœpit. Etenim æterna sapientia ita in exordiis rerum figuram statuit sacramentorum, ut ex antiquitate ordinata significatio perveniret ad finem temporum in efficientiis actionum. Unde quia regenerationis huius sacramentum in aqua et spiritu consistebat, causarum institutio * perfecit illius operationis species æmulabatur cum dicitur: *et spiritus Dei ferebatur super aquas*, ut in earumdem causarum exordiis instauratio his rebus figurata esse monstratur.

* Forte legendum *perfecta*.

Genes. 1. 2.

CAPUT XIV.

De Ioanne et baptismo pœnitentiæ, cuius signum sunt stramenta ciliciorum, per quæ ad oleandum parvuli deducuntur.

Veniens itaque Dominus impleturus summam nostræ salutis non sibi sed nobis profuturam, in se suscepit, et a se sanctificavit baptismatis sacramentum, præmittens Ioannem, cuius baptismus veritatis figura, non veritas esset, qui peccatores ad pœnitentiam commoneret, non qui remissionem peccatis inferret, ipso Ioanne dicente: *Ego baptizo in aqua in pœnitentia.* Hinc itaque est quod per stramenta ciliciorum ad oleandum sacerdotibus parvuli deducuntur, ut pœnitentiæ signum habeant propter opus, qui pœnitentiæ opera demonstrare non possunt propter ætatis tempus. Maiores autem ætate cum advocari ad fidem cœperint, per se pœnitentiam exhibent de erroribus pristinis, in quibus aut generaliter vixerunt, aut idolis servierunt. Hanc efficaciam pœnitentiæ commendabat Ioannes, cum de eo dicitur: *Venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissione peccatorum.* Unde aperte patet, quia Ioannes baptismum pœnitentiæ non solùm prædicavit, verùm etiam dedit, sed in remissione peccatorum dare non potuit. Ac proinde quoniam baptismum, qui peccata solveret, dare non poterat, prædicabat; ut sicut incarnatum Verbum patris præcurrebat prædicationis verbo, ita baptismum pœnitentiæ, quo peccata solvuntur, præcurreret suo baptismo, quo peccata solvi non possunt.

Matth. 3. 11.

Lucæ 3. 3.

CAPUT XV.

Quòd incipiente baptismo Christi cessavit baptismus Ioannis. Et quomodo Christus baptizat, et non baptizat.

Venit Dominus, ut baptizaretur a servo. Propter humilitatem prohibet servus dicens: *Ego a te debeo baptizari; et tu venis ad me.* Propter iustitiam imperavit Dominus dicens: *Sine modo. Sic enim oportet nos implere omnem iustitiam.* Deinde quiescit baptismus Ioannis, qui erat in pœnitentia et in veritatis umbra, et inchoavit baptismus Christi, qui est veritas, in quo fit remissio peccatorum. Quamquam non baptizaret Christus, sed discipuli eius. Baptizat autem Christus, et non baptizat. Sed utrumque verum est. Baptizat, quia mundat. Non

Matth. 3. 14.

Ibidem.

Ex *Aug. tract.* 15. *in Ioan. cap.* 4. §. 3.

Non baptizat, quia non ipse tinguit. Præbebant tunc discipuli, sicut nunc ministri præbent ministerium corporis. Præbebat ille adiutorium maiestatis.

CAPUT XVI.

Quòd solus Christus baptizat, qui soli sibi baptizandi retinuit potestatem, quamvis sive bonus sive malus minister baptizet.

Ex Aug. *ibid.* Numquam ergo cessat baptizare, qui numquam cessat mundare. Usque in finem sæculi Iesus baptizat, quia ipse mundat. Securus proinde accedat homo ad inferiorem ministrum, habet enim superiorem magistrum. Ipse magister Christus et extrinsecus baptizat, dicente Paulo : *Sicut Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, mundans eam lavacro aquæ ;* et intrinsecus baptizat per infusionem spiritus, quo docetur interior homo et habere fidem, et servare operis dignitatem. Ad hæc certè pertinet quod dicitur : *Et testimonium perhibuit Ioannes dicens : quia vidi spiritum descendentem sicut columbam, et mansit super eum, et ego nesciebam eum.* Ex multis cognitionibus Christum sciebat Ioannes. Nam cum vidisset Maria mater Christi Elisabeth, exultavit infans iste Ioannes in utero eius. Hic erat vox clamantis: *Parate viam Domini.* Hic eum qui ad se baptizari venerat, prohibet cum dicit : *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me.* Hic eum agnum Dei, et tollentem mundi peccata ostendit. Sed hoc solùm in eo nescivit, quia sibi retenturus erat baptismi potestatem, et non eam translaturus vel transmissurus in aliquem servum; sed sive baptizaret in ministerio servus bonus, sive baptizaret in ministerio servus malus, non sciret se ille, qui baptizaretur, baptizari nisi ab illo, qui baptizandi tenuit potestatem, et esset huius sacramenti virtus non in officio ministrantis, sed in potestate magistri.

(Margin: *Ad Ephes.* 5. — *Ioan.* 1. 32. — *Luc.* 1. 41. — *Matth.* 3. 3. — *Ibid.* v. 14. — *Ioan.* 1. 29. — Ex *tract.* 5. S. Aug. *in Ioan. cap.* 1. § 8.)

CAPUT XVII.

Quòd doctor studiis orationum munire debet prædicationem verborum, ut quod loquuturus est, Dei virtute meliùs quàm eius actione formetur.

Cum ex conversatione gentili quisque nolens ad cognitionem et fidem Dei hortatur ut veniat, primùm doctor adtendat multam bonitatem miserantis Dei, de quo dicitur: *Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*; ac deinceps agat quantum potest [a] ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiant. Et hæc se posse, si potuerit, et in quantum potuerit, pietate magis orationum quàm oratorum facultate non dubitet, ut orando pro se ac pro illis, quos est adlocuturus, sit orator ante quam doctor, atque sive in peculiari colloquio, si-

(Margin: 1. *ad Timoth.* 2. — Ex Aug. 4. *de Doct. Christ. cap.* 15.)

[a] Acherius ex MS. Baiocensi edidit *ut intelligentes ut libenter et obedienter &c.* Sed in libris editis D. Augustini, unde hæc ad litteram desumpta sunt, legimus : *Ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiant* : quam lectionem secuti sumus.

Digitized by Google

sive in Ecclesiæ conventu ,. ipsa hora iam ut dicat accedens, priùs quàm exerat proferentem linguam , ad Dominum levet animam sitientem , ut ructet quod biberit, vel quod impleverit fundat; atque ad horam ipsius dictionis illud potiùs bonæ menti cogitet convenire quod Dominus ait : *Quum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini ; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Si ergo loquitur in eis Spiritus sanctus, qui persequentibus traduntur pro Christo, * quare non et in eis qui tradunt discentibus Christum? Hoc sanè studium docendi et in suadenda fide Ethnicis, et in suadendis operibus bonis fidelibus cunctis doctorem convenit exercere.

Matth. 10. 19.

CAPUT XVIII.

Qualiter aggrediendus est qui nolens invitatur ad fidem.

Cum itaque credere nolentibus unius Dei cognitio et fides offertur, proponendum est, ut per intelligentiam pergant videre quod Deus est, omnibusque eum naturis visibilibus et corporalibus, intelligibilibus verò et spiritalibus, omnibusque mutabilibus præferant. Omnes enim certatim pro excellentia Dei dimicant, nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo est aliquid melius. Itaque omnes hoc Deum esse consentiunt, quod ceteris rebus omnibus anteponunt. Et quoniam omnes qui de Deo aliquid cogitant, vivum aliquid cogitant; illi soli possunt non absurda et indigna existimare de Deo, qui vitam ipsam cogitant. Deinde ipsam vitam pergunt inspicere ; et si eam sine sensu vegetanti invenerint, qualis est arborum , præponunt ei sentientem, qualis est pecorum, et huic rursus intelligentem, qualis est hominum : quam quum adhuc mutabilem viderint, etiam huic aliquam incommutabilem coguntur præponere, illam scilicet vitam, quæ non aliquando desipit, aliquando sapit; sed est potiùs ipsa sapientia. Sapiens enim mens adepta sapientiâ, antequam adipisceretur, non erat sapiens. At verò ipsa sapientia nec fuit unquam insipiens, nec esse unquam potest : quam si non viderint, nullo modo plena fiducia vitam incommutabiliter sapientem commutabili vitæ anteponerent. Ipsam quoque regulam veritatis, qua illam clamant esse meliorem, incommutabilem vident, nec uspiam nisi supra suam naturam vident, quandoquidem se mutabiles vident. At quum veraciter suadente doctore seclusa fuerit omnis mutabilis res a Deitatis honore, accipiendum est ne sit * summe Deus quod passioni, id est, mutabilitati poterit subiacere. Quumque fuerit tentum, id quod commutabile est, esse

Ex eod. lib. 1. de Doct. Christ. cap. 7.

Ex eodem, cap. 8.

** Fortè summus.*

Z non

* Quòd hìc emendavimus ex libris editis D. Augustini de Doctrina Christiana *quare* pro *quas*, quod legitur in Baluzio, similiter fecimus aliis multis locis, quamvis non indicemus, ubi error apertus erat.

Digitized by Google

non posse Deum, restat ut perveniatur ad rem illam, quæ cunctis rebus præeminet, et incommutabilis est. Coniecto illo, quòd res illa, quæ unus est Deus, cunctis præeminens et incommutabilis manens, omnia fecit, omnia disponit, omnia iudicat, curam de omnibus habet, nihilque est ex omnibus visibilibus et invisibilibus, quod non ex illo initium habeat, non in servitute eius dominationi subiaceat. Qui subiectarum rerum famulatus sub nulla ulla mutabili creatura potest ullatenus inveniri, nisi tantùm sub isto uno dominante Deo, cuius æterna substantia est, cuius incommutabilis veritas, cuius omnipotens permanet potestas.

CAPUT XIX.

De adapertitione ianuæ fidei.

Iam cum reseravit ille ianuam
Apoc.3.7. fidei, de quo dicitur: *Qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit*, id est, ex semine David adsumptus homo per potestatem unitæ divinitatis aperit cordibus credentium mysteria suæ incarnationis, quæ in prædestinatis claudere non poterit austeritas infidelitatis: et claudit vasa iræ præspicentia iudicii, ne reprobi veniant, ad quam sibi meritò clauserunt remunerationem beatitudinis; tunc fit quod scriptum
Ioan.10.9. est: *Ego sum ostium. Si quis per me introierit, salvabitur.* Incipiunt enim aperiri initia fidei ei, cui per lavacrum regenerato post acceptionem Spiritus sancti in participio corporis Christi se crediderit Christus. Et videbit Apoc.5.5.
librum illum sanctæ auctoritatis apertum, quem clausum in mysterio sigillis septem aperuit idem victor Leo de tribu Iuda. Qui liber totius sanctæ Scripturæ apertus est, quia intelligentia eius hominibus revelatur a Christo, qui solus in se suscepit, atque compleri voluit, quæ ad salutem humani generis complenda ordinavit, atque præscivit. Signa autem eius septem hæc sunt, primum incorporatio, secundum nativitas, tertium passio, quartum mors, quintum resurrectio, sextum gloria, septimum regnum. Quæ signorum adapertio hæc est generis humani plena redemptio; ad quam qui venit, hoc ordine venit.

CAPUT XX.

De his, qui volentes primùm ad fidem convertuntur catechumini, id est, audientes dicantur.

Quicumque de gentili conver- Ex S. Isid. lib.2. de Offic. cap.20.
satione, et de superstitionibus, quibus impiè pro creatore colitur creatura, maiuscula ætate venientes volunt credere in Deum, vel sive recens nati, sive parvuli sint, catechumini, id est audientes dicuntur, pro eo quòd primum præceptum exhortationis in lege sibi audiunt dictum: *Audi Israël:* Deut.6.4.
Dominus Deus tuus Deus unus est; et illud: *Dominum* Ibidem.
Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Audiunt ergo verbum vitæ, per quod perveniant ad munus gratiæ, qui erant filii iræ. Nam quia omnis qui verè agnoscit, veraciter dicit: *In ini-* Psalm.50.7.
quitatibus conceptus sum, et in

pec-

Digitized by Google

peccatis peperit me mater mea; in eo quòd originaliter tenetur ad noxam mortis, donec per redemptionem efficiatur filius Dei, erit filius illius antiquæ iræ, quam meruit primus homo in præcepti transgressione, dicente Domino: Ioan. 3. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Quam iram non venire, sed manere dixit, quia non ex novitate infidelitatis venit, sed ex antiquitate prævaricationis manet. De qua ira nemo salvari potest, nisi per misericordiam Salvatoris, dicente eodem Domino: Ioan. 8. 36. *Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Qui catechumini propter cognitionem Dei, quam illis per sacerdotem quasi per Moysem loquitur Deus, audientes dicuntur; ut relicta vetustate vitæ carnalis, veniant ad vitæ novitatem per unius Dei cognitionem.

CAPUT XXI.

Quòd catechumini per pœnitentiam sint ad lavacrum adducendi. Quòdque ii quos Ioannes baptizavit, catechuminorum habuere figuram.

Hi, si maiores ætate sunt, cum actione pœnitendi veniunt. Si minores sunt, in signo pœnitentiæ per stramenta ciliciorum a ministris deducuntur ad sacerdotem; ut qui per se non possunt agere pœnitentiæ opus, in se habeant pœnitentiæ signum propter ætatis minimæ tempus: et hoc teneatur in pœnitendi effectu quod notatur in pœnitentiæ signo. Qui post exorcismorum increpationem opportunè veniunt ad olei unctionem. Hîc omnibus a Ioanne in pœnitentia baptizatis catechuminorum figura extitit, ut quod illis baptismus in pœnitentia fuit, hoc istis per pœnitentiam ad Deum conversio sit.

CAPUT XXII.

Qui sunt exorcistæ, a quibus exorcizantur catechumini, et inergumini.

Exorcidiantur ii exorcismis ab his qui ex eo nomine Exorcistæ dicuntur. Qui tali officio deputati quum ordinantur, sicut canones iubent, accipiunt de manu Episcopi libellum in quo scripti sunt exorcismi, data sibi potestate imponendi manus super energuminos, sive baptizatum, sive catechuminum.

CAPUT XXIII.

Quid sit exorcismus.

Exorcismus est sermo increpationis, qui fit contra immundum spiritum inerguminis, sive catechuminis, ut per eum diaboli nequissima virtus, et inveterata malitia, atque incursio violenta fugetur expulsa. Ex eod. S. Isid. supra.

CAPUT XXIV.

Qualis erit exorcismus.

Erit exorcismi sermo * nonturno verborum, non difficultate intelligentiæ, non inusitato contextus eloquio; sed simplex, compositus, ardens, ita virtutis intentione coruscans, ut verè principem mundi increpationis suæ valore de-

* Baluz. *nocturno*: nostra est coniectura.

demonstret expellere ; atque sic in spiritali certamine , quo contra aërias agitur potestates , fulgura terroris immittere , ut ipsa expulsio invisibilis hostis quadam fieri expugnatione visibili contempletur : ita ut et catechuminus terreatur consideratione auditûs, et fidelis incitetur adgressione conflictûs. Sic dum sacerdotum officia pro castris Dei dimicant, et fideles devotam intentionem velut arma ministrant , et qui creaturam Dei possidebat victus abscedat , et Christus quos condidit victor obtineat.

CAPUT XXV.

Unde habuit exorcizandi virtus initium , vel in quo mysterio divinis verbis hoc Episcopus agat.

Exorcizandi virtus illius rei significatio fuit , quòd lunaticum
Matth.17. 17. increpavit Iesus: *Exiit ab illo dæmonium.* Ad instar huius increpationis Dominicæ increpat etiam Episcopus voce propria , sicut increpavit Dominus voce sua. Et hanc ipsam increpationem quam dicit Episcopus , non ex humana coniectura, sed ex proprietate auctoritatis divinæ propheticis ver-
Zach. 3. 2. bis adgredietur dicens : *Increpet Dominus in te Satan : et increpet in te qui elegit Hierusalem.* Dehinc secundò imperans dicit : *Tibi dicitur , Satanas, vade retro.* Ac deinde in tuba
Apoc. 5. 5. victoriæ tertiò proclamat : *Vicit leo ex tribu Iuda , radix David.* Ita deinde hic exorcismus a ministris inchoatur : *Deprehensæ sunt insidiæ tuæ.* Sicque eadem increpatio exorcistarum pronuntiatione completur , donec omnes catechumini sub exorcismis agantur. Est itaque ordinabiliter ordinatus ordo , ut primùm increpationis sermo ex illa causa qui oritur ex illis , et verbis adgrediatur. Nam quia exorcismus increpationis est sermo , benè invehendo exoritur , dum sic inchoatur : *Increpet Dominus in* Zach. 3. 2.
te Satan , et increpet in te qui elegit Hierusalem. Secundò divina potestas infertur , dum divinorum verborum imperium promulgatur dicendo : *Vade retro* Matth. 4. 10.
Satanas. Tertiò potentia victoriæ demonstratur, quia Christus et dudum moriendo zabulum vicit, et in his, qui credunt ac sequuntur eum , quotidie vincit. Atque ideo vox in victoriam elevatur, dum dicitur : *Vicit leo ex tribu* Apoc. 5. 5.
Iuda , radix David. Propter quod scriptum est : *Nunc prin-* Ioan. 12. 31.
ceps mundi eiicietur foras , id est , de credentium cordibus expelletur. Et item hæc dicit Dominus : *Equidem et captivitas* Isaia 49. 25.
a forte tolletur, et quod ablatum fuerit a robusto , salvum esse poterit ; ostendens quod in victoriam Christi destructo imperio diaboli potuit homo ab eius captivitate eripi et salvari.

CAPUT XXVI.

Quòd exorcizando catechuminos potestas diaboli aufertur.

Exorcizatur autem , id est incre- Ex eod. S. Isid. cap. 20. lib. 2. de Offic. Eccles.
patur potestas zabuli, et insufflatur in his a quibus potestatis eius dominator expellitur , ut renuntient ei sub cuius ditione obno-

xii

Digitized by Google

xii tenebantur, atque éruti a potestate tenebrarum, in Domini sui regnum per sacramentum baptismatis transferantur. [a] Ii in nonnullis locis, ut refertur, sales accipiunt, velut significato sapientiæ condimento. Sed licèt forsitan, ut dicitur, quia sola hoc antiquitas commendavit, adeo usquequaquam non probatur. Quia verò ut catechuminis in adipiscendo fidei sacramento tradantur, evidenti sanctæ Scripturæ nullo documento monstratur, ideo nihil offici ubi non fit. Nam ad summum roborem quomodo valebunt, quæ ad proprietatem rei pertinere nulla sacræ auctoritatis serie vel per figuram vel per speciem demonstrantur?

CAPUT XXVII.

De exemplo evangelii, secundùm quod catechumini oleo perunguntur.

Iidem catechumini post exorcismos quibus increpata et expulsa diaboli est potestas, ab eis unguntur oleo, quod a sacerdote consiterit benedictum. Quæ unctio magno Dominicæ operationis commendatur exemplo. Cum enim, ut Marcus Evangelista refert, adduxissent ad Iesum surdum et mutum, deprecabantur eum, ut imponeret illi manum. *Et adprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas, expuensque tetigit linguam eius, et suspiciens in cælum ingemuit, et ait illi: Ephphetha, quod est, adaperire. Et statim apertæ sunt aures eius, et solutum est vinculum linguæ eius, et loquebatur rectè.* Marc. 7. 32. 33. Quid est, quòd Dominus surdum et mutum adprehendens in turba seorsum, mittit in auricolas digitos suos ut audiat, nisi quia redemptor veniens genus humanum separavit a turba dæmonum, et a conversatione operum veternorum, atque per infusionem spiritalium munerum illi fidei dedit auditum? Nam sicut per digitum Dei

[a] Hucusque verba sunt S. Isidori loco ad oram laudato. Quæ sequuntur unde desumpta sint, nescimus. Ex illis colligit eruditus Martene *lib.* 1. *de antiq. Eccles. ritibus*, *cap.* 1. *artic.* 6. §. 14. Hispanos ab hoc ritu immittendi salis in os catechumenorum aliquandiu abstinuisse. Quod si de universa Hispania dictum velit, non facilè concedere valemus, cùm paulo antea scripserit Ildephonsi Magister magnus Isidorus loco superius laudato: *Exorcizantur hi* (Catechumeni) *primùm, deinde salem accipiunt, et unguntur*: mysticásque ibi salis significationes exponere pergat. Vero autem simile non est, tam parvo intervallo temporis eam consuetudinem usqueadeo in Hispania obsolevisse, ut ad exteras Ecclesias referendum sit quod ait Ildephonsus: *Ii in nonnullis locis, ut refertur, salem accipiunt.* Sed ut hoc negare facile est, ita sententiam hanc planam reddere, difficile. Nobis si quis potuisse fieri dicat, ut inter Hispalensem, et Toletanam Ecclesiam levis aliqua disciplinæ diversitas intercesisset, (quamquam coniectura magis, quàm positivo aliquo fundamento id niti videatur) non multùm repugnavimus, animadvertentes, quod paulo superiùs cap. 21. scribit S. Ildephonsus de ritu deducendi catechumenos ætate minores ad sacerdotem per stramenta ciliciorum in pœnitentiæ signum, cuius necdum erant capaces: cuius tamen ritus nulla reperitur mentio apud S. Isidorum, sicut et ipse Martene adnotavit. Itaque credibile est, Ildephonsum non tantùm consuetudinem suæ Ecclesiæ significasse, in qua nullus esset talis immittendi salis ritus, sed simul eam ab omni censura asserere voluisse supradictis verbis, rem esse indicans ad Ecclesiasticam disciplinam spectantem, quæ cum nullo Scripturæ testimonio a Domino præceptam esse comprobaretur, sed antiquitate tantùm commendaretur, esset quidem, ubi vigeret, laudanda et retinenda; ubi verò non viguisset, non ideo Ecclesia illa condemnanda.

Digitized by Google

Dei spiritus eius, ita per digitos pluralitas significatur spiritalium gratiarum. Et quid est, quòd expuens tangit linguam eius, ut valeat loqui, nisi quia post auditum fidei sacramenta salutis hunc et agnoscere, et perficere facit? Spiritus enim Christi gratia est humanæ redemptionis, quæ de capite divinitatis eius descendens cognita per os humanitatis ipsius, confessionem, et laudem suam intulit credituris. Quid autem, quòd suspiciens in cælum ingemuit, nisi quia æqualitatem Patris habens, infirmitatem humanitatis, in qua pro nobis doluit, demonstravit? Quid verò est, quòd ait *Ephphetha*, expositum est, quod est adaperire, statim apertæ sunt aures eius, et solutum est vinculum linguæ eius, et loquebatur rectè: quia cùm in illo gratia, et operatio redemptionis accessit, tota virtute in laudem, et dilectionem sui redemptoris erupit. Unde nec tacere, nec distortè potuit loqui, qui redemptionem suam in gloriam redemptoris, ut loqueretur, et rectè loqueretur, accepit.

CAPUT XXVIII.

Quòd ordinatè lectio Esaiæ Prophetæ, Petri quoque Apostoli, et Marci Evangelistæ exorcizationis in conventu Ecclesiæ proferantur.

Hinc eodem exorcizationis tempore bene in conventu Ecclesiæ, ante quàm exorcismi dicantur, profertur lectio Esaiæ Prophetæ
Isai.49.24.25. in qua dicitur: *Numquid tolletur a forte præda, aut quod captum fuerit a robusto salvum esse poterit? Quia hæc dicit Dominus: Equidem et captivitas a forte tolletur, et quod ablatum fuerit, a robusto salvabitur.* Item Petri ad gentes:
Vos autem, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus adquisitionis, ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vocavit vos in admirabile lumen suum. 1. Petr. 2. 9. Marci quoque Evangelistæ, quæ huius *ephphethationis* revelat sacramentum, quæ superiùs et prolata est, et disserta: videlicet ut virtus Dei per victoriam crucis prædam humani generis a fortitudine diaboli tollens, faciat genus electum per regenerationis donum, regale quoque sacerdotium per dominium dictionum, et oblationem innocentiæ, atque contriti spiritus sacrificium, infundens illi auditum obedientiæ præceptorum, et dans ei rectæ fidei loquelam, atque suæ gloriæ hymnum.

CAPUT XXIX.

Quòd mysterium salutis, quod semel Christo moriente est factum, quotidie fiat in his, qui regenerari noscuntur.

Hoc quod generaliter in humano genere moriente Christo semel est factum, quotidie in regeneratorum fit specialiter lavacro. Nam convertenti ex errore gentili post exorcismos tanguntur auriculæ oleo, ut accipiat auditum fidei, et sit verè spiritalium dictorum auditor. Similiter tangitur et os, ut cognitionem redemptoris sui, traditam sibi Symbo-

boli fidem corde credat ad iustitiam, ore confitens proferat ad salutem; sicque solutis obstinatione concreatis vinculis rectè loquatur magnificans Deum.

CAPUT XXX.

Quid sit, vel quare sit competens dictus.

Ex catechumino fiat competens. Nam sicut ex eo quòd Dei audiendo cognitionem, audiens dicitur, sic ex eo quòd accepto Symbolo iam petit gratiam Dei, competens vocatur. Competentes dicuntur simul petentes: quomodo consedentes, conloquentes, et concurrentes non aliud intelliguntur, nisi simul sedentes, loquentes, currentes. Ita quoque competentes nihil aliud sunt, quàm simul petentes. Quid autem petunt nisi baptismatis sacramenta, per quæ possint a potestate tenebrarum erui, et accepta indulgentiâ peccatorum in Dei omnipotentis regnum transferri? Ut ergo quod petunt accipere mereantur, a vitiis corda, ab immunditiis mundare debent et corpora; abstinentes animam a delictis, corpus ab epulis; ut contritio cor humiliet, et iustificet, abstinentia et castitas corpus extenuet, et emundet; quo animæ et corporis ex toto purificata substantia, quicquid contritio cordis, quicquid adflictio egerit carnis, totum ad dignitatem proficiat suscipiendæ regenerationis. Horum significantiam habuit Nicodemus, ille princeps Iudæorum, qui nocte venerat ad Iesum, qui erat ex his qui crediderunt in nomine eius, videntes signa et prodigia, quæ faciebat; qui in eo quòd cum esset Dominus Iesus Hierosolymis in Pascha in die festo docens, tam efficaciter eius doctrinam audivit, ut crederet in nomine eius, catechuminus, quod est audiens, fuit. In eo autem quòd venit ad eum nocte, et dixit ei: *Rabbi, scimus quia a* Ioan. 3. 2. *Deo venisti magister; nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo*, competentem se esse monstravit. Nam cum in templo docentem audivit, et visis signis credidit, verè audiens extitit. Cum verò, licèt in tenebris ignorantiæ, ad lumen venit, quia nocte ad Iesum venit, et magistrum esse, et hunc a Deo venisse fatetur, atque iam ex magisterio doceri quærit, quia magistro debitum honorem dedit, ex tunc competens fuit; quia cuius doctrinæ credens audiendo fidem detulit, eius magisterium petendo quæsivit. Qui deinde promovetur ad gratiam baptismatis, quando hoc illi commendat responsio Salvatoris, dum subinfertur: *Respondit Iesus, et dixit* Ibidem. *ei: Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Quid ergo? quia non sufficit catechumino quòd audit verbum Dei, non sufficit competenti quòd petit gratiam ex magisterio Dei, necesse est ut renascatur ex aqua, et Spiritu sancto, ut renatus sit particeps corporis, et sanguinis Christi: et sicut ipse per fidem credidit in Christo, sic participando corpori Christi, credat se illi Chri-

Digitized by Google

Christus. Hoc enim est quod dicitur : *Cum autem esset Hierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius videntes signa eius quæ faciebat. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis.* Quid est hoc ? ecce Dominus credentibus se ipsum non credit semetipsum? Crediturus ne est ergo se ipsum incredulis, et non credentibus? nusquam prorsus. Sed catechuminus, et competens iam credunt in Christum : sed quia non sunt renati ex aqua et Spiritu sancto, non participant corpori Christi, et ideo non se credidit illis Christus. Si dixerimus catechuminis: *Creditis in Christum*, respondent : *Credimus*, et signant se: iam crucem Christi portant in fronte, et non erubescunt de cruce domini sui. Ecce credunt in nomine eius. Interrogemus eos: Manducatis carnem filii hominis, et bibitis sanguinem filii hominis ? Nesciunt quid dicimus, quia Iesus non se credidit eis. Iam verò quasi signum crucis habent in fronte. Iam de domo magna sunt. Necesse est renascantur, fiant ex servis filii, fiant ex adventitiis cives. Non enim nihil sunt, quia iam ad magnam domum pertinent. Et cum renati fuerint, tunc participibus corporis sui credet se ipsum Christus.

Ioan. 2. 23. et 23.

Ex tract. XI. S. August. in cap. 3. Ioan. §. 3. et 4.

CAPUT XXXI.

De tradendo Symbolo.

Dehinc tradendum est Symbolum, ut is qui Domini præceptum audivit, qui divini magisterii gratiam petiit, veræ fidei regulam accipiat, secundùm quam et fide, et operibus lavacro sanctificationis se reparatum exhibeat.

CAPUT XXXII.

Qua ratione Symbolum constet.

Symbolum, quod competentes accipiunt, hac ratione Patres constare dixerunt. Dicunt enim, quòd cum audissent Apostoli a Domino, ut irent docere gentes prædicantes regnum Dei, et baptizarent eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; accepto Spiritu sancto post ascensionem Domini, quando insedit super eos in similitudinem ignis, et locuti sunt linguis omnium gentium, ut ad cognitionem veritatis nulla illis vel gens, vel loquela esset ignota, sed per eumdem sanctum Spiritum omnibus omnimode loquerentur, corporaliter ab invicem discessuri, hoc inter se unius prædicationis Symbolum ediderunt; quo ubique euntes nihil dissonum, nihil varium nuntiarent, sed unam fidem unitis verbis edicerent, et ex omnibus sacris Scripturis instrumenta colligentes, unum hoc breve fidei ædificium construerent; de quo etiam per Prophetam dictum fuerat: *quia verbum breviatum faciet Dominus super terram.* Itaque adhuc in unum positi, sancto Spiritu pleni, breve hoc prædicationis indicium conferendo inter se quid unusquisque sentiret, sibimet ediderunt, atque dandam hanc regulam credentibus statuerunt; ut quia multi futuri erant, qui se esse Christi Apostolos simularent,

Ex Isid. de Offic. Eccl. cap. 24.

Isai. 10. 22.

Digitized by Google

rent, et Christum non doctrina sana et integra prædicarent; ideo per hoc indicium agnosceretur, quòd Christum veraciter nuntiaret, qui eum secundùm hanc apostolicam regulam nuntiasset.

CAPUT XXXIII.

De Symboli nomine, et quid symbolum sit.

Ex cod. ubi suprà. Symboli nomen ex Græco, conlatio vel indicium vertitur in Latinum, quòd sit fœdus et cognitio fidei, in quo et sciatur quid creditur, et quod creditur, nullatenus violetur. Indicium ergo est propter cognitionem: conlatio propter inter multos unitæ diffinitionis communitatem. Nam indicium quòd rem ignotam indicet, conlatio quòd sit communis loquelæ definitio. Hinc et in civilibus bellis, quia et armorum habitus, et sonus vocis, et mos unus, et institutio bellandi similis est; ne quælibet doli subreptio fiat, suis militibus unusquisque dux discreta symbola ponit, quæ Latinè vel signa vel indicia dicuntur, ut occurrens fortè, de quo dubium sit, quam aciem sequatur, prodito symbolo, an adversarius sit, an proprius, agnoscatur. Ad hoc autem sancti Patres hoc non membranis, sed memoriæ commendare iusserunt; ut non hoc lectio teneat, quæ ad ipsos etiam infideles solet idipsum aliquando deferre; sed ex ipsius sanctæ apostolicæ definitionis traditione commendatum semper maneat fidelibus tenacitate memoriæ. Pro soliditate itaque initiandæ fidei bene discessuri ab invicem Apostoli hoc unanimitatis indicium posuerunt. Quod symbolum est signum vel indicium per quod agnoscitur Deus; quod ideo credentes accipiunt, ut sciant qualiter certamen fidei contra diabolum præparent; in quo cum pauca sint verba, continentur omnia sacramenta. In quo ideo ab Apostolis breviatim collecta sunt ex omnibus Scripturis, ut quia multi credentes vel litteras nescirent, vel scientes occupati impedimento sæculi, Scripturas eis legere non liceret, hoc corde et memoria retinentes, sufficientem sibi haberent scientiam salutarem.

CAPUT XXXIV.

Quòd quinta feria ante Pascha reddendum est Symbolum.

Hoc Symbolum, quod competentes in die unctionis accipiunt, aut per se, si maiores ætate sunt, aut per ora gestantium, si parvuli sunt, quinta feria ante Pascha sacerdoti recitant atque reddunt; ut eorum probata fide, meritò perveniant ad vicinum resurrectionis dominicæ sacramentum per fontis sacri baptismum.

CAPUT XXXV.

Quòd catholica fides brevitate Symboli teneatur.

Est autem catholica fides in Symbolo nota fidelibus, memoriæque mandata, quantâ res passa est brevitate sermonis; ut incipientibus atque lactentibus eis qui in Christo renati sunt, nondum Scripturarum divinarum diligentissi- Ex Aug. de Fide, et Symbol. cap. 1.

Digitized by Google

ma et spiritali tractatione atque cognitione roboratis, paucis verbis credendum constitueretur, quod multis verbis exponendum esset proficientibus, et ad divinam doctrinam certa humilitatis atque charitatis firmitate surgentibus.

CAPUT XXXVI.

Initium Symboli, et quid sit credulitas.

Est ergo tenor Symboli iste, et hic causarum ordo quæ continentur in illo: CREDO IN DEUM PATREM OMNIPOTENTEM. Quid est *credo?* Credulitatem facio, id est, vera esse confiteor quæ incognita audio. Credulitas autem dicta, quòd crescat animus ad invisa et incognita continenda.

CAPUT XXXVII.

Quòd in Deo solo, non in rebus, sed de rebus adhibenda sit fides.

In Symbolo firmitas, et quædam est separatio unius fidei, qua ostenditur in Deum solum, et Deo credere, non in quibuscumque ceteris rebus: id est in Deum habere fidem, non autem in rebus, sed rerum habere fidem. Credendum ergo est in Deum, et non in aliam rem; quia fides in Deum, sicut et unus Deus, singulari est specie habenda et retinenda; ceteris rebus adponenda, non superponenda est fides. Credimus ergo in Deum. Credimus et sanctam eius Ecclesiam esse. Non autem credimus in Ecclesiam sicut in Deum; quia Ecclesia non est Deus. Credimus autem singulariter in Deum. Credimus et sequenter Ecclesiam eius esse. Ita quoque et deinceps credimus quæcumque rectæ fidei regula nobis credere commendarit. Patrem tantundem Filii sui secundùm divinam generationem, iuxta quod ad eum dicit: *Ex utero ante luciferum genui te.* Psalm. 109. 3.

CAPUT XXXVIII.

Quòd ideo sit Deus omnipotens, quia omnia fecit.

Omnipotentem, quia solus omnia potuit, qui omnia fecit: Ex Aug. de Fide, et Symbol. cap. 2. qui ita credendus est esse omnipotens, ut omnia quæ sunt visibilia et invisibilia, ex nihilo fecerit. Non enim aliquid esse potest, cuius creator non esset, cum omnipotens esset: quia etsi aliquid fecit ex aliquo, sicut hominem ex limo, non utique fecit ex eo quod ipse non fecerat; quia terram, unde limus est, ex nihilo fecerat. Et si ipsum cælum et terram, id est mundum, et omnia quæ in eo sunt, ex aliqua materia fecerat, sicut scriptum est: *qui fecit mundum ex materia invisa*, vel Sap. 11. 18. etiam *informi*, nullo modo credendum est illam materiam de qua factus est mundus, quamvis informem, quamvis invisam, quocumque modo esset, per se ipsam esse potuisse, tamquam coæternam et coævam Deo; sed quemlibet modum suum quem habebat, ut quoquo modo esset, et distinctarum rerum formas posset accipere, non habebat nisi ab omnipotente Deo, cuius beneficio est res non solùm quæcumque formata, sed etiam quæcum-

Digitized by Google

cumque formabilis. Inter formatum autem et formabile hoc interest, quòd formatum iam accepit formam, formabile autem potest accipere. Sed qui præstat rebus formam, ipse præstat etiam posse formari; quoniam de illo et in illo est omnium speciosissima species incommutabilis, et ipse unus est qui cuilibet rei, non solùm ut pulchra sit, sed etiam ut pulchra esse possit, attribuit. Quapropter rectissimè creditur omnia Deum fecisse de nihilo; quia etiamsi de aliqua materia factus est mundus, eadem ipsa materia de nihilo facta est, ut ordinatissimo Dei munere prima capacitas formarum fieret, ac deinde formarentur quæcumque formata sunt. Qui Pater, quantum ad generationem divinitatis pertinet, tantundem Filii sui pater est. Qui Filius cooperator eius, quoniam per ipsum omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil, et verbum, et veritas, et virtus, et sapientia est ipsius.

CAPUT XXXIX.

Quòd Filius neque de nihilo, neque de aliqua est materia factus, sed tantundem a Patre ineffabiliter genitus.

Ex eod. tract. de Symb. cap. 3. et 4.

Hinc sequitur: CREDIMUS ET IN IESUM CHRISTUM FILIUM DEI UNICUM, Deum et DOMINUM NOSTRUM: non separatum a Deo patre, sed et in se Deum, et cum Patre unum Deum. Itaque Deus quum Verbum genuit, id quod est ipse, genuit; neque de nihilo, neque de aliqua iam facta condita que materia, sed de se ipso id quod est ipse. Unde idem Deus Pater, qui verissimè se indicare animis cognituris et voluit et potuit, hoc ad se ipsum indicandum genuit, quod est ipse qui genuit, id est, Verbum Deum, per quod se cognoscere fecit. Quod Verbum virtus etiam eius, et sapientia dicitur, quia per ipsum operatus est, et disposuit omnia; de quo propterea dicitur: *Adtingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Quamobrem unigenitus Filius Dei neque factus est a Patre, quia sicut dicit Evangelista: *Omnia per ipsum facta sunt*; neque ex tempore genitus, quoniam sempiternè Deus sapiens sempiternam habet secum sapientiam suam. Neque impar est Patri, id est, in aliquo minor, quia et Apostolus dicit: *Qui quum in forma Dei esset constitutus, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Sed quoniam *Verbum caro factum est, et habitabit in nobis*, eadem sapientia quæ de Deo genita est, dignata est etiam in hominibus creari. Quo pertinet illud: *Dominus creavit me in principio viarum suarum.* Viarum enim eius principium caput Ecclesiæ, quod est Christus homine indutus, per quem vivendi exemplum nobis daretur, hoc est, via certa, qua perveniremus ad Deum. Non enim redire potuimus nisi humilitate, qui superbia lapsi sumus. Quapropter secundùm id quòd unigenitus est, non habet fratres; secundùm id autem quòd primogenitus est, fratres vocare dignatus est omnes, qui post eius et per

Sap. 8. 1. — *Ioan. 1. 3.* — *Philip. 2. 6.* — *Ioan. 1.* — *Proverb. 8. 22.* — *Luc. 8. 21. Hebr. 2. 11.*

Digitized by Google

eius primatum in Dei gratiam renascimur per adoptionem filiorum Dei.

CAPUT XL.

Quòd incarnatus Filius de Spiritu sancto et Maria virgine natus est.

Ex Enchir. S. Aug. cap. 38.

QUI NATUS EST DE SPIRITU SANCTO ET MARIA VIRGINE. Bene confitemur, quia Dominus noster Iesus Christus, qui de Deo Deus, natus est de Spiritu sancto, et virgine Maria, utrâque substantia, divina scilicet atque humana, filius est unicus Dei Patris omnipotentis, de quo procedit Spiritus sanctus. Sed quomodo dicimus Christum natum de Spiritu sancto, si non eum genuit Spiritus sanctus? An quia fecit eum? Quia Dominus noster Iesus Christus, in quantum Deus est, *omnia per ipsum facta sunt*; in quantum autem homo est, et ipse factus est, sicut Apostolus dicit: *Factus ex semine David secundùm carnem.* Sed quum illam creaturam, quam Virgo concepit et peperit, quamvis ad solam personam Filii pertinentem, tota Trinitas fecerit, neque enim separabilia sunt opera Trinitatis; cur in ea facienda solus Spiritus sanctus nominandus est? An et quando unus trium in aliquo opere nominatur, universa [a] opera Trinitatis intelligitur? Ita verò est, et exemplis doceri potest. Sed non est in hoc diutius immorandum.

Ioan. 1. 3. — Rom. 1. 3.

[a] Lib. editi D. Aug. *operari Trinitas intelligitur.*

CAPUT XLI.

Quòd Filius, cum dicatur natus de Spiritu sancto, non sit omnino filius Spiritus sancti.

Ex eodem Enchir. cap. 38.

Illud movet, quomodo dictum sit NATUS DE SPIRITU SANCTO, quum filius nullo modo sit Spiritus sancti. Neque enim quia mundum istum fecit Deus, dici eum fas est Dei filium, aut eum natum de Deo, sed factum, vel creatum, vel conditum, vel institutum ab illo, vel si quid huiusmodi rectè possumus dicere. Hic ergo, quum confiteamur natum de Spiritu sancto et virgine Maria, quomodo non sit filius Spiritus sancti, et sit filius virginis Mariæ, quum et de illo et de illa sit natus, explicare difficile est. Procul dubio quippe non sic de illo ut de patre; sic autem de illa ut de matre natus est.

CAPUT XLII.

Quòd non omne quod ex aliqua re nascitur, continuò eiusdem rei filium nuncupari conceditur.

Ex eod. loco cap. 39. et 40.

Non igitur concedendum est quicquid de aliqua re nascitur continuò eiusdem rei filium nuncupandum. Ut enim omittam aliter de homine nasci filium, aliter capillum, pediculum, lumbricum, quorum nihil est filius; ut ergo hæc omittam, quoniam tantæ rei deformiter comparantur, certè qui nascuntur ex aqua et Spiritu sancto, non aquæ filios eos ritè dixerit quispiam, sed planè dicuntur filii Dei patris, et matris Ecclesiæ. Sic ergo de Spiritu

tu sancto natus est Filius Dei Patris, non Spiritus sancti. Nam illud quod de capillo et ceteris diximus, ad hoc tantum valet, ut admoneamur non omne quod de aliquo nascitur, etiam filium eius de quo nascitur, posse dici; sicut non omnes qui dicuntur alicuius filii, consequens est, ut etiam de illo nati esse dicantur, sicut sunt qui adoptantur. Dicuntur etiam filii gehennæ, non ex illa nati, sed in illam præparati, sicut filii regni præparantur in regnum. Quum itaque de aliquo nascatur aliquid etiam non eo modo ut sit filius, nec rursus omnis qui dicitur filius de illo sit natus cuius dicitur filius; profectò modus iste quo natus est Christus de Spiritu sancto non sicut filius, et de Maria virgine sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis præcedentibus meritis ex ipso exordio naturæ suæ quo esse cæpit, Verbo Deo copuletur in tantam personæ unitatem, ut idem ipse esset filius Dei qui filius hominis, et filius hominis qui filius Dei: ac sic in naturæ humanæ susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum posset committere. Quæ gratia propterea per Spiritum fuerat significanda, quia
Ex Aug. de Fide et Symb. cap. 4. §. 8. ipse proprie sic est Deus, ut dicatur etiam Dei donum. Dono enim Dei, hoc est Spiritu sancto, concessa est nobis tanta humilitas tanti Dei, ut totum hominem, id est corpus, animam, et spiritum, suscipere dignaretur in utero virginis, maternum corpus integrum inhabitans, integrum deserens.

CAPUT XLIII.

Quòd utrumque sexum salvaverit Christus vir nascendo de femina.

Ideoque detestandi sunt illi qui *Ex eodem cap. §. 9.* eumdem Dominum nostrum Iesum Christum matrem Mariam negant in terris habuisse, quum illa dispensatio utrumque sexum et masculinum, et femininum honoraverit, et ad curam Dei pertinere monstraverit, [a] non solum quem suscepit, sed illum etiam per quem suscepit, virum gerendo, nascendo de femina.

CAPUT XLIV.

Quòd Virginis partus nihil iniuriæ fecerit Christi divinitati.

Nec nobis fidem istam minuat *Ex eod. loco, §. 10.* cogitatio muliebrium viscerum, ut propterea recusanda videatur talis Domini nostri generatio, quòd eam sordidi sordidam putant. Quia et *stultum Dei sapientius esse hominibus*, et *1. Cor. 1. 25.*

o-

[a] Hunc locum mutilum in Baluziana editione facile curavimus, ac restituimus ex libris editis S. Aug. *de Fide et Symbolo* unde hæc omnia desumpta sunt. Nec tantùm corruptus erat locus in codice MS. sed et capitis sequentis divisio malè a librario excogitata (nec enim capitum sectiones, eorumque tituli rudes, ac sæpissimè semi-barbari a S. Ildephonso profecti sunt). Itaque illius hoc extat initium: *Non solum quem suscepit ** sed tamquam Deum adorant, per cloacarum fœtores &c.* Nos, ut apparet, priora verba ad huius capitis finem, ad quem certè spectant, retulimus: deinde asterisco de lacuna in MS. sita admoniti, initium sequentis fecimus a verbis ipsis, quibus prosequitur Augustinus; eoque sensus manet planus et rectus, totusque locus perfectè restitutus.

Digitized by Google

Tit. 1. 15. *omnia munda mundis*, verissimè Apostolus dicit. Debent igitur intueri, qui hoc putant, solis huius radios, quem certè non tamquam creaturam Dei laudant, sed tamquam Deum adorant, per cloacarum fætores et quæque horribilia usquequaque diffundi, et in his operari secundùm naturam suam, nèc tamen inde aliqua contaminatione sordescere, quum visibilis lux visibilibus sordibus sit naturâ coniunctior; quanto minus igitur poterat pollui verbum Dei non corporeum neque visibile de femineo corpore casto utique, et mundissimo, atque singulariter glorioso, ubi humanam carnem suscepit cum anima et spiritu, quibus intervenientibus habitat maiestas Verbi ab humani corporis fragilitate secretiùs? Unde manifestum est, nullo modo potuisse Verbum Dei maculari humano corpore, quo nec ipsa anima humana maculatur.

CAPUT XLV.

De nomine, et iudicio Pontii Pilati.

Ex S. Isidoro *Etym. lib. 7. cap. 10.* Pilatus, os malleatoris, quia dum Christum ore suo et iustificat et condemnat, more malleatoris utraque ferit; quumque Iudæorum consilium declinaverit, secundùm voluntatem tamen Iudæorum iudicium fieri permisit. Qui accepit aquam, et lavit manus, ut in lavacro manus eius Gentilium opera purgarentur, et ab impietate
Marci 15. 13. Iudæorum, qui clamabant: *Crucifige eum*, nos faceret alienos. Qui iudex contra Deum cogitur ferre sententiam. Ille verò non damnat oblatum, sed arguit offerentes, quodam modo contestans, et dicens: Ego quidem innocentem volui liberare; sed quoniam seditio oritur, ego minister legum sum: vestra vox sanguinem fundit.

CAPUT XLVI.

Quare mortem crucis Christus elegerit.

Hic Iesus, Dominus, et redemptor noster, quum esset omnipotens, tam divitem se in misericordia demonstravit, ut qui vita est vivificans omnia, humiliaret *Philip. 2. 8.* se factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Ideo verò mortem crucis elegit, ut damnationem, quam prævaricatio ligni in paradiso contraxerat, crucis huius patibulum (deleret).

CAPUT XLVII.

De sacramento crucis.

Sacramentum autem crucis ita commendat Paulus quum dicit: *Nonnulla ex S. Isidoro, lib. 1. de Eccl. Offic. cap. 30.* *Ut in charitate radicati et fundati possitis comprehendere cum* *Ephes. 3. 18.* *omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, et profundum;* id est, crucem Domini, cuius latitudo ducitur in transverso ligno quo extenduntur manus, longitudo a terra usque ad ipsam latitudinem, quo et a manibus et infra totum corpus adfigitur, altitudo a latitudine sursum usque ad summum quò adhæret caput, profundum quod terræ infixum absconditur. Quo signo crucis omnis actio christiana describitur. In latitudine itaque bene operari in Christo; in altitudi-

ne

Digitized by Google

ne sperare cælestia sacramenta, non profanare; in profundo radicatos et fundatos in charitate consistere. Est ergo latitudo crucis actio boni operis, quæ per expansionem manuum demonstratur. Est latitudo crucis perseverantia bonæ actionis quæ per tolerantiam longanimitatis servat virtutem passionis. Est altitudo crucis spes futurorum bonorum, per quam sine profanatione *** et radicati sunt immobiles et ad perseverantiam inter passiones, et ad remunerationem propter veram spem.

CAPUT XLVIII.

De sepultura Christi.

Sepultura illa cum creditur, fit recordatio novi monumenti, quod resurrecturo ad vitæ novitatem præberet testimonium, sicut nascituro uterus virginalis. Nam sicut in illo novo monumento nullus alius mortuus sepultus est, nec ante nec postea quicquam mortale conceptum est.

CAPUT XLIX.

Quòd neque deitate, neque carne, sed in anima Christus descenderit in infernum.

DESCENDIT AD INFERNA. Cum Christus tempore mortis suæ secundùm carnem fuerit in sepulcro, secundùm divinitatem fuerit ubique, quia cælum et terram *Hier.* 23. 24.
ipse implet, et est lux quæ in *Ioan.* 1. 5.
tenebris lucet, quamvis eam tenebræ non comprehendant; restat quòd in anima descenderit in inferno, quia iuxta humanam humilitatem. Per carnem itaque in sepulcro, per animam in inferno mortis suæ tempore fuit; per divinitatem verò incommutabilem numquam de paradiso defuit, qui ubique præsens manet semper et mansit. Est autem sensus multò expeditior, et a diversis ambiguitatibus liber, si non secundùm id quod homo erat, sed secundùm id quod Deus erat, Christus dixisse latroni accipiatur: *Hodie mecum eris in paradiso.* *Luc.* 23. 43.
Homo quippe Christus illo die secundùm carnem sepulcro, secundùm animam in inferno futurus erat. Deus verò idem ipse Christus ubique semper est. Est enim virtus et sapientia Dei, de qua scriptum est: *Quòd adtingat a fine usque ad finem fortiter, et disponat omnia suaviter.* *Sap.* 8. 1.
Ubicumque sit ergo paradisus, quisquis beatorum ibi est, cum illo ibi est, qui ubique est.

CAPUT L.

De somno mortis, et gloria resurrectionis Christi.

TERTIA DIE RESURREXIT VIVUS A MORTUIS, iuxta quod dictum est: *Ego dormivi, et quievi, et resurrexi, quoniam Dominus suscitavit me*, id est: Dormivi in cruce somno mortis; quievi in sepulcro tempore triduanæ quietis; surrexi vivus a mortuis in gloria resurrectionis. Et bene tertia die resurrexit, quia totius Trinitatis virtute adsumptus, et mortuus homo, et suscitatus a morte, ipse primogenitus consecuturis fratribus, quos in adoptionem filiorum Dei vocavit, quos *Psalm.* 3. 6.

Digitized by Google

quos comparticipes et coheredes suos esse dignatus est; ut qui erat unigenitus natus ex Deo solus, esset primogenitus ex mortuis inter homines multos, et dignaretur servos vocare fratres dicens: *Ite, dicite fratribus meis, ut eant in Galilæam. Ibi me videbunt.* Math. 28. 10.

CAPUT LI.

De ascensione in cælis corporis Christi. Et non quærendum, ubi sit id ipsum corpus. Quæ cælorum latitudo promissa est fidelibus cunctis.

Ex eod. lib. de Fide, et Symb. cap. 5. §. 13. ASCENDIT IN CÆLUM, SEDET AD DEXTERAM DEI PATRIS OMNIPOTENTIS. Ubi et quomodo sit in cælo Dominicum corpus, curiosissimum et supervacuum est quærere. Tantummodo in cælo esse credendum est. Non enim est fragilitatis nostræ cælorum secreta discutere, sed et nostræ fidei de Domini corporis dignitate sublimia et honesta sentire. Quem beatitudinis locum etiam nobis promisit dicens: *Erunt sicut Angeli in cælis* in illa civitate, quæ est mater omnium nostrûm, Hierusalem æterna in cælestibus. Marci 12. 25.

CAPUT LII.

Quid sit sessio, et dextera Dei.

Ex cap. 7. Credimus etiam quòd sedet ad dexteram Patris. Nec ideo tamen quasi humana forma circumscriptum esse arbitrandum est, ut de illo cogitantibus dextrum et sinistrum latus animo occurrat, aut id ipsum, quòd sedere Pater dicitur, flexis poplitibus fieri putandum est: ne illud incidamus sacrilegium, in quo execratur Apostolus eos, qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis. Roman. 1. 23. Ad dexteram ergo intelligendum est dictum esse, in summa beatitudine, ubi iustitia, pax, Math. 25. 35. et gaudium est; sicut ad sinistram hædi constituuntur, id est, in miseria, propter iniquitatis labores atque cruciatus. Sedere ergo quòd dicitur Deus, non membrorum positionem, sed iudiciariam significat potestatem, qua illa maiestas numquam caret, semper dignis digna distribuendo: quamvis extremo iudicio multò manifestius inter homines unigeniti Filii Dei iudicis vivorum atque mortuorum claritas indubitata fulsura sit, et veritas hominis aperta visura.

CAPUT LIII.

Quid accipiendum est, vivis et mortuis, quos iudicare venturus est Christus.

INDE VENTURUS IUDICARE VIVOS ET MORTUOS. Ex eodem de Fid. et Symb. cap. 8. Istis nominibus sive iusti, et peccatores significantur, sive quos tunc ante mortem in terris inventurus est, appellati sunt vivi, mortui verò qui in eius adventu resurrecturi sunt. Hæc dispensatio temporalis non tantùm est sicut illa generatio secundùm Deum, sed etiam fuit, et erit. Nam sicut Dominus noster in terris, et nunc est in cælo, et erit in claritate venturus iudex vivorum atque mortuorum. Ita enim veniet, sicut ascendit secundùm auctoritatem, quæ Apostolorum Actibus continetur, id est, in eadem Act. 1. 11.

dem

dem veritate carnis, et immutabilitate assumpti hominis. Ex hac itaque temporali dispensatione loquitur in Apocalypsi, ubi scriptum est: *Hæc dicit qui est, et qui fuit, et qui futurus est.* De quibus vivis et mortuis iudicandis non inconveniens alia quorumdam sententia est, quæ ita dicit: Quòd autem dicitur iudicare vivos et mortuos, non quòd alii vivi, alii mortui ad iudicium veniant, sed quòd animam simul iudicabit et corpora; in quibus vivos animas, mortuos corpora nominavit, sicut et ipse Dominus in Evangelio dicit: *Nolite timere eos qui corpus occidere possunt, animæ verò nihil possunt facere. Sed timete potiùs eum, qui potest animam, et corpus perdere in gehennam.*

Apoc. 1. 8.

Matth. 10. 28.

CAPUT LIV.

Quòd interposita dispensatio adsumpti hominis paulò longiùs reddidit commemorationem Spiritus sancti ab ordine Trinitatis.

CREDO IN SANCTUM SPIRITUM. Hæc quæ in superioribus paulò latiùs de Christo sunt tradita, ad incarnationis et passionis eius mysterium pertinent: quæ dum media intercedunt personæ ipsius coapta, sancti Spiritus commemorationem paulò longiùs reddiderunt. Ceterùm si solius divinitatis ratio habeatur, eo modo quo in principio dicitur: CREDO IN DEUM PATREM OMNIPOTENTEM, ET IN IESUM CHRISTUM FILIUM EIUS UNICUM, DOMINUM NOSTRUM, ita iungitur, ET SPIRITUM SANCTUM. Illa verò omnia quæ de Christo memorantur, ad dispensationem carnis, ut diximus, spectant. Igitur in sancti Spiritus commemoratione adimpletur mysterium Trinitatis.

CAPUT LV.

Quòd Spiritus sanctus Deus est ex Patre Filioque procedens.

Spiritus sanctus ideo prædicatur Deus, quia ex Patre Filioque procedit, et substantiam eorum habet. Neque enim aliud de Patre procedere potuit, quàm quod ipse est Pater, id est, Deus.

Caput hoc, et quæ sequuntur usque ad cap. 71. inclusive omnia ex S. Isidoro *Etym. lib. 7. cap. 3.*

CAPUT LVI.

Quare dicatur spiritus.

Spiritus sanctus autem dictus secundùm id quod aliquid refertur spirans. Et spirans utique spiritu spirans est, et ex eo appellatus spiritus est. Proprio autem modo quodam dicitur Spiritus sanctus secundùm quod refertur ad Patrem, et Filium, quòd eorum spiritus sit. Nam et hoc nomen, quod spiritus dicitur, non semper secundùm id est quod refertur ad aliquid, sed secundùm id quod aliquam naturam significat. Omnis enim incorporea natura spiritus in Scripturis sacris appellatur. Unde non tantùm Patri, et Filio, et Spiritui sancto, sed omni rationali creaturæ, et animæ hoc vocabulum congruit.

CAPUT LVII.

Quare dicatur Spiritus sanctus.

Ideo Spiritus Dei sanctus vocatur,

 quia

quia Patris, et Filii sanctitas est. Nam cum sit et Pater spiritus, et Filius spiritus, et Pater sanctus, et Filius sanctus, propriè tamen ipse vocatur Spiritus sanctus, tamquam sanctitas coëssentialis et consubstantialis amborum.

CAPUT LVIII.

Quòd Spiritus sanctus nec genitus dicitur, nec ingenitus, sed procedens tantùm.

Spiritus sanctus ideo non dicitur genitus, ne duo in Trinitate filii suspicentur. Ideo non prædicatur ingenitus, ne duo patres in ipsa Trinitate credantur. Procedens autem dicitur testimonio Domini dicentis: *Multa adhuc habeo, quæ vobis loquar, sed non potestis illa audire modò. Veniet autem Spiritus veritatis, qui a Patre procedet, et de meo accipiet. Ille vobis indicabit omnia.* Hic autem non solum naturâ procedit, sed semper ad peragenda opera Trinitatis indesinenter procedit.

Ioan. 16. 12. 13.

CAPUT LIX.

Quid interest inter nascentem Filium, et procedentem Spiritum sanctum.

Hoc interest inter nascentem Filium, et procedentem Spiritum sanctum, quòd Filius ex uno nascitur, Spiritus sanctus ex utroque procedit. Et ideo dicit Apostolus: *Qui autem spiritum Christi non habet, hic non est eius.*

Rom. 8. 9.

CAPUT LX.

Quòd Spiritus sanctus ex opere Angelus dicatur.

Spiritus sanctus ex opere etiam Angelus intelligitur. Dictum est enim de illo: *Et quæ ventura sunt adnuntiabit vobis.* Et utique Angelus græcè et latinè Nuntius interpretatur. Unde et duo Angeli apparuerunt Loth, in quibus Dominus singulariter appellatur: quos intelligimus Filium, et Spiritum sanctum; nam Pater numquam legitur missus.

Ioann. 16. 13.

Genes. 19. 1.

CAPUT LXI.

Quare Spiritus sanctus paraclitus vocetur.

Spiritus sanctus quòd dicitur paraclitus, a consolatione dicitur. Paraclisis enim latinè consolatio appellatur. Christus enim eum Apostolis lugentibus misit, postquam ab eorum oculis ipse in cælum ascendit. Consolator enim tristibus mittitur secundùm illam eiusdem Domini sententiam: *Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur.* Ipse etiam dixit: *Tunc lugebunt filii sponsi, quum ab eis ablatus fuerit sponsus.* Item paraclitus pro eo quòd consolationem præstat animabus, quæ gaudium temporale amittunt. Alii paraclitum latinè oratorem, vel advocatum interpretantur. Ipse enim Spiritus sanctus dicit, ipse docet, per ipsum datur sermo sapientiæ, ab ipso sancta Scriptura inspirata est.

Math. 5. 4.

Math. 9. 15.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LXII.

Quare Spiritus sanctus septiformis dictus.

Spiritus sanctus ideo septiformis nuncupatur propter dona, quæ de unita eius plenitudine particulatim quique, ut digni sunt, consequi promerentur. Ipse enim
Ioan. 11. 2. spiritus sapientiæ, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiæ, et pietatis, spiritus timoris Dei.

CAPUT LXIII.

Quòd ad Trinitatem referatur spiritus rectus, spiritus sanctus, et spiritus principalis.

Spiritus autem principalis in Psalmo quinquagesimo legitur; ubi quia tertiò spiritus repetitur, nonnulli Trinitatem intellexerunt, ideo quia scriptum est:
Ioan. 4. 24. *Deus spiritus est.* Quod enim non est corpus, et tamen est, videtur restare, ut spiritus sit. Intelligunt ergo ibi nonnulli Trinitatem significari; in spiritu principali Patrem, in spiritu recto Filium, in spiritu sancto Spiritum sanctum.

CAPUT LXIV.

Quare Spiritus sanctus donum dicitur.

Sanctus spiritus ideo donum dicitur eo quòd datur. A dando enim donum est nuncupatum. Notissimum est enim Dominum Iesum Christum, quum post resurrectionem a mortuis ascendisset in cælum, dedisse Spiritum sanctum, quo credentes impleti linguis omnium gentium loquebantur. In tantùm autem donum Dei est, in quantum datur eis qui per eum diligunt Deum. Apud se autem Deus est. Apud nos autem donum est. Sed sempiternè Spiritus sanctus donum est, distribuens singulis, prout vult, gratiarum dona. Nam et prophetias quibus vult, impertit, et peccata quibus volet, dimittit. Nam peccata sine Spiritu sancto non donantur.

CAPUT LXV.

Quare Spiritus sanctus charitas, et gratia nuncupetur.

Spiritus sanctus inde propriè charitas nuncupatur, vel quia naturaliter eos, a quibus procedit, coniungit, et se unum cum eis esse ostendit, vel quia in nobis id agit, ut in Deo maneamus, et ipse in nobis. Unde et in donis Dei nihil maius est charitate; et nullum est maius donum Dei, quàm Spiritus sanctus. Ipse est et gratia, quæ, quia non meritis nostris, sed voluntate divina gratìs datur, inde gratia nuncupatur. Sicut autem unicum Dei Verbum propriè vocamus nomine sapientiæ, quum sit universaliter et Spiritus sanctus, et Pater ipsa sapientia; ita Spiritus sanctus propriè nuncupatur vocabulo charitatis, quum sit et Pater, et Filius universaliter charitas.

CAPUT LXVI.

Quare Spiritus sanctus Dei digitus dicatur.

Spiritus sanctus digitus Dei esse in libris Evangelii apertissimè de-

Digitized by Google

claratur. Cum enim unus ex
Luc. 11. 20. Evangelistis dixerit : *In digito Dei eiicio dæmonia ;* alius hoc
Matth. 12. 28. ita dixit : *In spiritu Dei eiicio dæmonia.* Unde et digito Dei
Exod. 31. 18. scripta lex est data die quinquagesimo ab occisione agni. Et die
Actor. 2. 2. quinquagesimo venit Spiritus sanctus a passione Domini nostri Iesu Christi. Ideo autem dicitur digitus, ut eius operatoria virtus cum Patre et Filio significetur.
1. Cor. 12. 11. Unde et Paulus ait : *Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus dividens singulis, prout vult.* Sicut autem per baptismum in Christo morimur, et renascimur; ita Spiritu signamur, quod est digitus Dei, et spiritale signaculum.

CAPUT LXVII.

Quare Spiritus sanctus in columbæ specie venisse testatur.

Spiritus sanctus ideo in columbæ specie venisse scribitur, ut natura eius per avem simplicitatis et innocentiæ declaretur. Unde
Matth. 10. 16. et Dominus, *Estote*, inquit, *simplices sicut columbæ.* Hæc enim avis corporaliter ipso felle caret, habens tantùm innocentiam, et amorem.

CAPUT LXVIII.

Quare Spiritus sanctus ignis nomine appellatur.

Spiritus sanctus ideo nomine ignis appellatur propter quòd in
Actor. 2. 3. Apostolorum Actibus per divisionem linguarum ut ignis apparuit : qui et insedit super unumquemque eorum. Propterea autem diversarum linguarum gratiam Apostolis dedit, ut idonei efficerentur fidelium eruditione populorum. Quòd verò supra singulos sedisse memoratur, id causa est, ut intelligatur per plures non fuisse divisus, sed mansisse in singulis totus, sicut ferè ignibus mos est. Hanc enim habet naturam ignis accensus, ut quanti ad eum, quanti ad crinem purpurei splendoris aspexerint, tantis visum suæ lucis impertiat, tantis ministerium sui muneris tribuat, et ipse nihilominus in sua integritate permaneat.

CAPUT LXIX.

Quare Spiritus sanctus aquæ nomine dicatur.

Spiritus sanctus nomine aquæ appellatur in Evangelio, Domino clamante et dicente : *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui* Ioan. 7. 37.
credit in me, flumina aquæ vivæ fluent de ventre eius. Evangelista autem exposuit unde: *Hoc enim dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*

CAPUT LXX.

Quòd aliud sit aqua sacramenti, aliud aqua Spiritus sancti.

Sed quæ significat spiritum Dei. Aqua enim sacramenti visibilis est. Aqua spiritûs invisibilis est. Ista abluit corpus, et significat quod fit in anima. Per illum autem Spiritum sanctum ipsa anima mundatur, et saginatur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LXXI.

Quare Spiritus sanctus unctio dicatur.

Spiritus sanctus ideo unctio dicitur, Ioanne adtestante Apostolo, quia sicut oleum naturali pondere superfertur omni liquori, ita in principio superferebatur Spiritus sanctus aquis. Unde et Dominus oleo exultationis, hoc est, Spiritu sancto fuisse legitur unctus. Sed et Ioannes Apostolus Spiritum sanctum unctionem vocat dicens: *Et vos*, inquit, *unctionem, quam accepistis ab eo, permaneat in vobis, et necesse non habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio eius docet vos de omni re.* Ipse est enim Spiritus sanctus unctio invisibilis. (1. *Ioan.* 2. 27.)

CAPUT LXXII.

Quòd ideo sancta Ecclesia creditur, quia in illa dilectio proximi demonstratur.

(Ex Aug. *de Fide, et Symb. cap.* 21.) Sanctam ecclesiam catholicam. Hæc fides est de Deo conditore, et de renovatore nostro, de qua usque hactenus est tractatum. Sed quoniam dilectio non tantùm in Deum nobis imperata est, cum dictum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua*, sed etiam in proximum: nam *diliges*, inquit, *proximum tuum, tamquam te ipsum:* nisi autem ista fides congregationem societatemque hominum teneat, in qua fraterna charitas operetur, minus fructuosa est; credimus et sanctam Ecclesiam utique Catholicam. (*Math.* 22. 37. 39.)

CAPUT LXXIII.

De nomine Ecclesiæ Catholicæ.

Ecclesia Græcum est, quod in Latinum vertitur, convocatio, propter quòd omnes ad se vocet. Catholica universalis καθόλȣ, id est, secundùm totum. Non enim sicut conventicula hæreticorum in aliquibus regionum partibus coarctatur, sed per totum terrarum orbem dilatata diffunditur. Quod etiam Apostolus adprobat ad Romanos dicens: *Gratias ago Deo meo pro omnibus vobis, quia fides vestra adnuntiatur in universo mundo.* Hinc et universitas ab una cognominata est, propter quòd in unitatem colligitur. Unde Dominus in Evangelio: *Qui mecum non colligit, spargit*; id est, qui in unitatem meam non colligitur a me divisus, in dispersionis perditione dissipatur. (Ex S. Isidoro *Etym. lib.* 8. *cap.* 1. ex quo et tria sequentia capita desumpta sunt.) (*Rom.* 1. 8.) (*Math.* 12. 30.)

CAPUT LXXIV.

Quare Ecclesiæ, cum una sit, septem scribantur.

Cur autem Ecclesiæ, cum una sit, septem scribantur, nisi ut una catholica septiformi plena spiritu designetur? sicut et de Domino novimus dixisse Salomonem: *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Quæ tamen septem una esse non ambiguntur, dicente Apostolo: *Ecclesia Dei vivi, quæ est columna, et firmamentum veritatis.* (*Prov.* 9. 1.) (1. *Timoth.* 3. 15.)

Digitized by Google

CAPUT LXXV.

Unde inchoavit Ecclesia, vel quare dicatur Sion, vel Hierusalem.

Inchoavit autem Ecclesia a loco, ubi venit de cælo Spiritus sanctus, et implevit uno loco sedentes. Peregrinatione autem præsenti Ecclesia Sion dicitur, eo quòd in huius peregrinationis longitudine posita promissionem rerum cælestium speculatur. Et idcirco Sion, id est, speculatio, nomen accepit. Pro futuræ verò patriæ pace Hierusalem vocatur. Nam Hierusalem pacis visio interpretatur. Ibi enim absorptâ omni adversitate pacem, quæ est Christus, præsenti possidebit obtutu.

CAPUT LXXVI.

Quid distet inter Ecclesiam, et Synagogam.

Synagoga græcè congregatio dicitur. Quod proprium nomen Iudæorum populus tenuit: ipsorum enim propriè Synagoga dici solet; quamvis et Ecclesia dicta sit. Nostram verò Apostoli numquam Synagogam dixerunt, sed semper Ecclesiam; sive discernendi causa, sive quòd inter congregationem, unde Synagoga, et convocationem, unde Ecclesia nomen accepit, distat aliquid: quòd scilicet congregari et pecora solent, quorum et greges propriè dicimus; convocari autem maius est utentium ratione, sicut sunt homines.

CAPUT LXXVII.

Quòd in Ecclesiam sanctam Spiritus sanctus novum, et vetus Testamentum plenissimè inspiravit.

In quam sanctam Ecclesiam Spiritus sanctus in veteri Testamento legem et Prophetas, in novo Evangelium et Apostolos inspiravit. Unde et Paulus dicit: *Omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum.* (2. Tim. 3. 16.) Et ideo quæ sint novi ac veteris instrumenti volumina, quæ secundùm maiorum traditionem per eumdem sanctum Spiritum inspirata creduntur, et Ecclesiis Christi tradita esse noscuntur, competit in hoc loco evidenti numero, sicut ex Patrum monumentis accepimus, designare.

CAPUT LXXVIII.

Quæ auctoritas Scripturarum in Ecclesiis primùm sit sequenda.

In ipsis autem canonicis Scripturis Ecclesiarum Catholicarum illa plurimùm auctoritas est sequenda, inter quas sanè illæ sint, quæ Apostolicas Sedes habere, et epistolas accipere meruerunt. Tenebitur igitur hic modus in Scripturis sanctis canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponantur eis quas quædam non accipiunt. In eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponantur eæ, quas plures gravioresque accipiunt, eis quas pauciores minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem aliæ inveniantur a pluribus, aliæ

(Hoc et duo sequentia cap. *ex lib. 2. de Doctrin. Christian.* S. Aug. *cap. 8. et 9.*)

a gravioribus haberi, quamquam hoc inveniri non possit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.

CAPUT LXXIX.

Qui libri continentur in canone utriusque Testamenti.

Totus autem canon Scripturarum, in quo iam considerationem versandam dicimus, his libris continetur: quinque Moysi, id est, Genesi, Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio; et uno libro Iesu Nave, uno Iudicum, uno libello qui appellatur Ruth, qui magis ad Regnorum principium videtur pertinere; deinde quatuor Regnorum, et duobus Paralipomenon non consequentibus, sed quasi a latere adiunctis simulque pergentibus. Hæc est historia, quæ sibimet adnexa tempora continet, atque ordinem rerum. Sunt aliæ tamquam ex diverso ordine, quæ neque huic ordini, neque inter se convertuntur; sicut est Iob, et Thobias, et Esther, et Iudith, et Machabæorum libri duo, et Esdræ duo, qui magis subsequi videntur ordinatam illam historiam usque ad Regnorum vel Paralipomenon terminatam. Deinde Prophetæ, in quibus David unus liber Psalmorum; Salomonis tres, Proverbia, Cantica Canticorum, et Ecclesiastes. Nam illi duo libri unus qui Sapientia, et alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur; nam Iesus filius Sirac eos conscripsisse constantissimè perhibetur: qui tamen, quoniam in * divina auctoritate recipi meruerunt, inter propheticos numerandi sunt. Reliqui sunt eorum libri, qui propriè Prophetæ appellantur, duodecim Prophetarum libri singuli, qui connexi sibimet, quoniam numquam seiuncti sunt, pro uno habentur. Quorum Prophetarum nomina sunt hæc: Osee, Iohel, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Deinde quatuor Prophetæ sunt maiorum voluminum, Esaias, Hieremias, Daniel, Ezechiel. His quadraginta quatuor libris Testamenti veteris terminatur auctoritas. Novi autem quatuor libris Evangelii secundùm Matthæum, secundùm Marcum, secundùm Lucam, secundùm Ioannem; quatuordecim epistolis Apostoli Pauli, ad Romanos una, ad Corinthios duabus, ad Galatas una, ad Ephesios una, ad Philippenses una, ad Thessalonicenses duabus, ad Colossenses una, ad Timotheum duabus, ad Titum una, ad Philemonem una, ad Hebræos una; Petri duabus, tribus Ioannis, una Iudæ, et una Iacobi; Actibus Apostolorum libro uno, et Apocalypsi Ioannis libro uno.

* *In auctoritatem* lib. editi de Doctr. Christ.

CAPUT LXXX.

Quòd omnes sanctæ auctoritatis libri vel memoriâ tenendi sunt, vel omnino incogniti non habendi.

In his omnibus libris timentes Deum, et pietate mansueti quærunt voluntatem Dei. Cuius operis et laboris prima observatio est, nosse istos libros, et si nondum ad intellectum, legendo tamen

men vel mandare memoriæ, vel omnino incognitos non habere.

CAPUT LXXXI.

De remissione peccatorum.

Ex Aug. *Enchirid.* cap. 64.

REMISSIONEM PECCATORUM. Bene post commemorationem nostræ Ecclesiæ in ordine confessionis ponitur remissio peccatorum. Per hanc enim stat Ecclesia quæ in terris est. Per hanc non perit, quod perierat, et inventum est. Excepto quippe baptismatis munere, quod contra peccatum originale donatúm est, ut quod generatione adtractum est, regeneratione detrahatur; activa quoque peccata, quæcumque corde, ore, opere, cogitatione, sermone commissa invenerit, tollit; hac ergo excepta magna indulgentia, unde incipit hominis renovatio, in qua solvitur omnis reatus et ingeneratus, et additus, ipsa etiam vita cetera iam ratione utentis ætatis, quantalibet præpolleat fœcunditate iustitiæ, sine peccatorum remissione non agitur. Quoniam filii Dei, quandiu mortaliter vivunt, cum morte confligunt. Et quamvis de illis sit veraciter dictum, * *quòd qui spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*; sic tamen spiritu Dei excitantur, et tamquam filii Dei proficiunt ad Deum, ut etiam spiritu suo, maximè adgravante corruptibili corpore, tamquam filii hominis, in quibusdam humanis motibus deficiant ad se ipsos, et ideo peccent. Interest quidem quantum: neque enim quia peccatum est omne crimen, ideo etiam crimen est omne peccatum. Itaque sanctorum hominum vitam, quandiu in hac morte vivitur, inveniri posse dicimus sine crimine. *Peccatum autem si dixerimus, quia non habemus*, ait sanctus Apostolus, *nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est*. Sed neque de ipsis criminibus, quamlibèt magnis, remittendis in sancta Ecclesia Dei misericordia desperanda est agentibus pœnitentiam secundùm modum sui cuiusque peccati.

* *Quotquot* editi libri *Enchir.*

Rom. 8. 14.

1. *Ioan.* 1. 8.

CAPUT LXXXII.

Quòd in actione pœnitentiæ non consideranda est mensura temporis, sed doloris; quòdque non nisi in Ecclesia possunt remitti peccata.

Ex eodem cap. 65. *Enchir.*

In actione autem pœnitentiæ, ubi tale commissum est, ut is qui commisit a Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis quàm doloris. Cor etiam contritum et humiliatum Deus non spernit. Verùm quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, nec in aliorum notitiam per verba vel quæcumque alia signa procedit, cum sit coram illo, cui dicitur, *gemitus meus a te non est absconditus*; rectè constituuntur ab his, qui præsunt Ecclesiis, tempora pœnitentiæ, ut fiat satis Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata; extra eam quippe non remittuntur. Ipsa enim propriè Spiritum sanctum pignus accepit, sine quo non remittuntur ulla peccata, ita ut quibus dimittuntur, vitam consequantur æternam.

Psalm. 50. 19.

Psalm. 37. 10.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LXXXIII.

De evidenti carnis resurrectione.

Ex eod. de Fide, et Symb. cap. 10. §. 23. post medium.

CARNIS RESURRECTIONEM, ET VITAM ÆTERNAM. Hæc visibilis quæ propriè dicitur caro, sine dubitatione credenda est resurgere. Videtur enim Paulus Apostolus eam tamquam digito ostendere, cum dicit: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.* Qui enim dicit *hoc*, in eam quasi digitum intendit. Quod autem visibile est, digito ostenditur, quoniam posset etiam anima corruptibilis dici: nam vitiis morum ipsa corrumpitur. *Et mortale hoc induere immortalitatem* quum legitur, eadem significatur visibilis caro, quia in eam identidem velut digitus intenditur. Potest enim et anima sicut corruptibilis propter morum vitia, ita etiam mortalis dici. *Mors* quippe *animæ est apostatare a Deo.* Quod primum eius peccatum in Paradiso sacris litteris continetur. Resurget igitur corpus secundùm christianam fidem, quæ fallere non potest.

1. Cor. 15. 53.

Eccli. 10. 14.

CAPUT LXXXIV.

Quòd in resurrectione nihil pereat de humana carne; sed quodcumque in quamlibet perditionem dispersum extiterit vel consummatum, totum ad illam animam redeat, quæ hanc, cum viveret, animavit.

Ex Ench. cap. 88.

NON autem perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro. Sed in quamlibet pulverem cineremve solvatur, in quoslibet halitus aurasque diffugiat, in quamcumque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcumque animalium aut etiam hominum cibum cedat, carnemque mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam primitùs, ut homo fieret, cresceret, viveret, animavit.

CAPUT LXXXV.

Quòd omnipotens Deus mirabiliter atque ineffabiliter ex toto, quo caro constat, eam in resurrectione mirabili celeritate restituat. De exemplo quoque statuæ solubilis metalli, qua quomodo resurrectio fieri possit, monstratur.

Ex eod. lib. cap. 89.

IPSA itaque terrena materies, quæ discedente anima fit cadaver, non ita resurrectione reparabitur, ut ea quæ dilabuntur, et in alias atque alias aliarum rerum species formasque vertantur, quamvis ad corpus redeant unde dilapsa sunt, ad easdem quoque corporis partes ubi fuerunt, redire necesse est. Alioquin si capillis capitis reddit quod tam crebra tonsura detraxit, si unguibus quod totiens demsit exsectio, immoderata et indecens cogitantibus, et ideo resurrectionem carnis non credentibus occurrit informitas. Sed quemadmodum si statua cuiuslibet solubilis metalli aut igne liquesceret, aut contereretur in pulverem, aut confunderetur in massam, et eam vellet artifex rursus ex illius materiæ quantitate reparare, nihil interesset ad eius integritatem, quæ particula materiæ cui membro statuæ redderetur, dum tamen totum ex quo con-

Digitized by Google

constituta fuerat, restituta resumeret: ita Deus mirabiliter atque ineffabiliter artifex de toto, quo caro nostra constiterat, eam mirabili et ineffabili celeritate restituet: nec aliquid attinebit ad eius redintegrationem, utrum capilli ad capillos redeant, et ungues ad ungues; an quod eorum perierat mutetur in carnem, et in partes alias corporis revocetur, curante artificis providentia, ne quid indecens fiat.

CAPUT LXXXVI.

De diversitate status, et macie, vel pinguedine corporum humanorum, in qua sancta corpora hoc solum, quod decebit, habebunt.

Ex 90. Enchir. Nec illud est consequens, ut ideo diversa statura sit reviviscentium singulorum, quia fuerat diversa viventium; aut macri cum eadem macie, aut pingues cum eadem pinguedine reviviscant. Sed si hoc est in consilio Creatoris, ut in effigie sua cuiusque proprietas et discernibilis similitudo servetur, in ceteris autem corporis bonis æqualia cuncta reddantur; ita modificabitur illa in unoquoque materies, ut nec aliquid ex ea pereat, et quod alicui defuerit, ille suppleat, qui etiam de nihilo potuit quod voluit operari. Si autem in corporibus resurgentium rationabilis inæqualitas erit, sicut est vocum quibus cantus impletur; hoc fiet cuique de materie corporis sui, quod et hominem reddat angelicis cœtibus, et nihil inconveniens eorum ingerat sensibus. Indecorum quippe aliquid ibi non erit. Sed quicquid futurum est, hoc decebit; quia nec futurum est, si non decebit.

CAPUT LXXXVII.

Quòd sanctorum corpora spiritalia resurgent, non tamen spiritus erunt.

Resurgent igitur sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate: in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit. Propter quod spiritalia dicta sunt, cum proculdubio corpora sint futura, non spiritus. Sed sicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen corpus, non anima est: ita nunc spiritale corpus erit, corpus tamen, non spiritus, erit. Proinde, quantum attinet ad corruptionem, quæ nunc aggravat animam, et vitia quibus caro adversùs spiritum concupiscit, tunc non erit caro, sed corpus: quia et cælestia corpora perhibentur. Propter quod dictum est: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Et tamquam exponens quid dixerit: *Neque corruptio*, inquit, *incorruptionem possidebit.* Quod prius dixit, *caro et sanguis*, hoc postea dixit *corruptio;* et quod prius, *regnum Dei*, hoc posterius, *incorruptionem.* Quantum autem attinet ad substantiam, etiam tunc caro erit; [a] propter quod et post resurrectio-

Ex cap. 91. — 1. Cor. 15. 44. — Sap. 9. 15. — Galat. 5. 17. — 1. Cor. 15. 50.

[a] Baluzius edidit: *Propter ** et post resurrectionem corpus Christi quod appellata est.* Nos emendavimus locum istum ad libros editos D. Augustini.

Digitized by Google

Luc. 24. 39. ctionem corpus Christi caro appellata est. Sed ideo ait Apostolus, 1. Cor. 15. 44. *seminatur corpus animale; surget corpus spiritale;* quoniam tanta erit tunc concordia carnis et spiritus, vivificante spiritu sine sustentaculi alicuius indigentia subditam carnem, ut nihil nobis repugnet ex nobis, sed sicut forìs neminem, ita nec intus nos patiamur ipsos inimicos.

CAPUT LXXXVIII.

Quòd reproborum corpora resurgent quidem, sed cum vitiis et deformitatibus suis perenniter punienda.

Ex cap. 92. Quicumque verò ab illa perditionis massa, quæ facta est per hominem primum, non liberantur per unum mediatorem Dei et hominum, resurgent quidem etiam ipsi, unusquisque cum sua carne; sed ut cum diabolo et eius angelis puniantur. Utrùm sanè ipsi cum vitiis et deformitatibus suorum corporum resurgant, quæcumque in eis vitiosa et deformia membra gestarunt, in requirendo laborare quid opus est? Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa et sempiterna damnatio. Nec moveat, quomodo in eis erit corpus incorruptibile, si dolere poterit. Non est enim vera vita, nisi ubi feliciter vivitur: nec vera incorruptio, nisi ubi salus nullo dolore corrumpitur. Ubi autem infelix mori non sinitur, ut ita dicam, mors ipsa non moritur; et ubi dolor perpetuus non interimit, sed affligit, ipsa corruptio non finitur. Hæc in sanctis Scripturis secunda mors dicitur; nec prima tamen, qua Apoc. 2. 11. et 20. 6. 14. suum corpus anima relinquere cogitur, nec secunda, qua pœnale corpus anima relinquere non permittitur, homini accidisset, si nemo peccasset. Ex cap. 93. eiusdem Enchir.

CAPUT LXXXIX.

Quòd mitior pœna erit soli originali peccato, et minimo actuali.

Mitissima sanè omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum, quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt: et in ceteris quæ addiderunt, tanto quisque ibi tolerabiliorem habebit damnationem, quanto hìc minorem habuit iniquitatem.

CAPUT XC.

Quòd a morte usque ad resurrectionem animæ in abditis receptaculis teneantur vel requie, vel ærumna.

Tempus autem quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis contineri, sicut unaquæque digna est vel requie vel ærumna, pro eo quod sortita est in carne, quum viveret. Ex Enchir. cap. 109.

CAPUT XCI.

Quomodo defunctorum animabus viventium oblationes et eleemosynæ vel prosint, vel minimè prosperentur.

Neque verò negandum est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis Ex cap. 110.

Digitized by Google

sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cum viverent, ut hæc sibi postea possent prodesse, meruerunt. Est enim quidam vivendi modus, nec tam bonus, ut non requirat ista per mortem; nec tam malus, ut non ei prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, ut ista non requirat. Et est rursus talis in malo, ut nec his valeat, cum hæc vita transierit, adiuvari.

CAPUT XCII.

Quòd vita æterna sit gratia Dei, stipendium verò mortis peccatum.

Ex cap.107. Vita æterna, quæ merces est operum bonorum, gratiam Dei
Rom. 6. 23. commendat Apostolus: *Stipendium*, inquit, *peccati mors, gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.* Stipendium operæ militiæ debitum redditur, non donatur: ideo dixit, *stipendium peccati mors*, ut mortem peccato non immeritò inlatam, sed debitam demonstraret. Gratia verò, nisi gratìs est, gratia non est. Intelligendum est igitur, etiam ipsius hominis bona merita esse Dei munera; quibus cum vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur?

CAPUT XCIII.

Quòd in hac vita comparetur, quo possit post hanc vitam quisque vel relevari, vel aggravari.

Quo circa hìc omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari. Ex cap.110.
[a] Nemo autem speret quod hìc neglexit, cum obierit, apud Deum promereri. Non igitur ista, quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt adversa sententiæ, qua dictum est: *Omnes enim adstabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque secundùm ea, quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum;* Rom. 14. 10. 2. Cor. 5. 10.
quia etiam hoc meritum sibi quisque, cum in corpore viveret, comparavit, ut ei possent ista prodesse. Non enim omnibus prosunt: et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore?

CAPUT XCIV.

Quid agant sacrificia et eleemosynæ pro baptizatis defunctis oblata.

Cum ergo sacrificia sive altaris sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt; pro non valde malis propitiationes sunt; pro valde malis, etiamsi nul-

[a] Quàm depravatus esset hoc loco contextus, apparet ex lectione Baluziana, quam excribimus: *Nemo autem speret, quod hîc neglexit, cum obierit Deum. Ista quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt adversa sententiæ, qua dictum est*: Omnes enim adstabimus, &c. Quibus verbis quantus error contineretur, nemo non videt.

Digitized by Google

nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt ut sit plena remissio, aut certè ut tolerabilior fiat ipsa damnatio.

CAPUT XCV.

Quòd post resurrectionem impleto iudicio permanebunt singulæ civitates in Angelis, et hominibus; Christi in gloriam æternam, zabuli in damnationem perpetuam.

Ex cap. 111 Post resurrectionem verò, facto universo impletoque iudicio, suos fines habebunt civitates duæ, una Christi, altera diaboli; una bonorum, altera malorum, utraque tamen et angelorum et hominum. Istis voluntas, illis facultas non poterit esse ulla peccandi, vel ulla conditio moriendi; istis in æterna vita verè feliciterque viventibus, illis infeliciter in æterna morte sine moriendi potestate durantibus; quoniam utrique sine fine. Sed in beatitudine isti alius alio præstabilius, in miseria verò illi alius alio tolerabilius permanebunt.
Ex cap. 113. Manebit ergo sine fine mors illa perpetua damnatorum, id est, alienatio a vita Dei, et omnibus erit ipsa communis, quælibet homines de varietate pœnarum, de dolorum relevatione vel intermissione pro suis humanis moribus suspicentur: sicut manebit communiter omnium vita æterna sanctorum, qualibet honorum distantia concorditer fulgeant. Hæc est fides, quæ paucis verbis tenenda in Symbolo novellis Christianis datur. Quæ pauca verba fidelibus nota sunt, ut credendo subiugantur Deo, subiugati rectè vivant, rectè vivendo cor mundent, corde mundato quod credunt intelligant. *Hæc postrema verba D. Aug. lib. de Fide et Symb.*

CAPUT XCVI.

De reliquis causis ad regulam veræ fidei pertinentibus.

Post apostolicum Symbolum, et ea quæ de Patre, et Filio, atque Spiritu sancto secundùm ineffabilem deitatis naturam, atque etiam secundùm dispensationem temporalem de incarnatione Christi sunt dicta, hæc item fidei sunt congrua pari credulitatis virtute tenenda. *Ex Isid. lib. 2. de Offic. Eccles. cap. 24.* Quòd novi, et veteris Testamenti sit unus Deus: quæ duo Testamenta salubriter divina commendat auctoritas, illud per prophetiam, istud per historiam veraciter persolutum. Quòd neque de Deo, neque de creaturis cum gentilibus, vel hæreticis, aut schismaticis sit aliquid sentiendum in his, quæ a veritatis fide dissentiunt: sed quod utrumque Testamentum per divinum commendat eloquium, hoc solummodo sentiendum. Quòd cælum, et terram, et mare, et omnia quæ sunt in eis, nulla necessitate creaverit Deus: nec omnino ullam esse visibilem atque invisibilem substantiam, quæ aut sit Deus, aut non sit a bono Deo creata: sed Deum summum et incommutabile bonum, creatura verò inferius et mutabiliter bona. Quòd angelorum vel animæ natura non sit pars divinæ substantiæ, sed Dei creatura ex nihilo condita;

et

et quia ad imaginem Dei creata, ideo incorporea. Ipsius verò animæ natura habetur incerta. Quòd pietas morum omnimodo sit tenenda, sine qua fides divini cultus otiosa torpet, et cum qua divini cultus integritas perfecta consistit. Quòd Deus propter se ipsum diligendus sit, proximus verò in Deum, inimicus autem propter Deum; ut a Deo incipiens dilectio, per proximum proficiat, et usque ad inimicum proficiendo perveniat; sicque dum per proximum provecta ad inimicum pervenerit, in Deo plenà consistat. Quòd alter alterius pollui peccato non possit, ubi voluntatis puræ consensio non tenetur. Quòd legitimæ nuptiæ non credendæ sunt esse damnandæ, quamvis ex eis obnoxia originali peccato credatur nasci progenies: Quibus tamen fidelium virginum vel continentium præferenda iure doceatur integritas. Quòd pœnitentiæ remediis non egêre putandum non est pro excessibus quotidianis humanæ fragilitatis, sine quibus in hac vita esse non possumus; ita ut fructuosa pœnitentiæ compunctione universa confiteamur deleri peccata, sicut spiritus Dei docet: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum.* Quòd nullus hominum suis viribus, sed per gratiam divinam, suo capiti, quod est Christus, possit subiungi, atque indisruptæ pacis perseverantia in unitate ipsius Ecclesiæ solidari. Quòd humanæ voluntatis arbitrio nihil boni posse æstimandum est deputari, sed secundùm propositum voluntatis Dei omnem numerum electorum adquiri. Quòd bona temporalia bonis malisque communia a Deo creata, eius dispositione singulis quibusque vel negentur vel tribuantur, providentia dispositionis eius administrante; quorum bonorum in unoquoque fidelium non habitus, sed usus vel improbandus est vel probandus. Quòd certè æterna bona soli possint boni in futuro consequi, quorum bonorum pignore Ecclesiam nunc informatam credimus detineri, habentem hîc spiritûs primitias, in futuro perfectionem; hîc in spe sustentari, illic in re postea satiari; hîc videre per speculum in ænigmate, in futuro autem facie ad faciem, cum fuerit ad speciem perducta per fidem. Quòd bonum donec perficiatur in nobis, ut fruamur plenitudine summi Dei, suavitate fruendum in Deo noverimus et proximis. Et quòd hanc spem resurrectionis debemus habere, ut eadem veritate carnis, qua Dominus resurrexit a mortuis, nos quoque resurrecturos esse credamus in eodem corpore, in quo sumus vel vivimus, non naturam aut sexum mutantes, sed tantùm fragilitatem et vitia deponentes. Quòd Satanas cum angelis suis atque cultoribus æterno sit incendio condemnandus, neque aliquando ad pristinam, id est, angelicam dignitatem, ex qua propria ceciderunt impietate, secundùm quorumdam sacrilegam disputationem, posse reduci. Hæc est traditionis catholicæ vera integritas fidei; de qua si unum ali-

Psalm. 31. 1.

aliquid renuatur, totius fidei robur amittitur.

CAPUT XCVII.

Quòd post Symbolum veniatur ad fontem.

Digestis cunctis his, quæ tam ad unius sanctæ fidei regulam pertinent, quàm illis quæ eidem fidei plena stabilitate cohærentia comprobantur, quibus post catechumenum instrui convenit competentem, venitur ad fontem, quasi ad mare rubrum; ut qui servierant in Ægypto sub Pha-
Exod. 1. 14. raone principe, luto et lateribus palearum levitate confectis, id est, qui hærebant mundo, zabulo imperante in terrenis actibus malarum cogitationum admixtione concretis, duce Christo, quasi duce Moyse, possint ad liberationem sui quantociùs pervenire.

CAPUT XCVIII.

Quòd homo in mundo ita servit principi mundi, sicut Israël servivit in Ægypto Pharaoni.

Itaque sub Ægyptio Rege luto, paleis, et lateribus in eorum ædificiis, qui sua liberatione peribunt, afficitur Israël, sic demum sub principe mundi homo ante baptismum per levitatem immundæ cogitationis cutibus luteis adducitur, formans maceriam nequissimæ actionis; in qua dum conversatur, et libitu malæ utitur voluptatis, et iugo premitur noxiæ servitutis.

CAPUT XCIX.

Quid significent nubes, et columna, quæ præcesserunt populum salvandum.

Iam tunc nocte in columna ignis, Exod. 13. 21. 22.
et per diem in columna nubis Dominus videtur præcedens populum, dux factus itineris. Eadem nubes præcedens Christus est, qui etiam et columna; quia rectitudo, et firmitas, et sustentatio est nostræ infirmitatis, non per diem, sed per noctem lucens,
ut qui non vident videant, et Ioan. 9. 39.
qui vident cæci fiant: id est, ut ignorantia humilis inlustretur, et inflans scientia obscuretur. Item aliter: Christi sacramentum tamquam in die manifestum est in carne velut in nube, in iudicio verò tamquam in terrore nocturno; quia tunc erit magna tribulatio sæculi tamquam ignis, et lucebit iustis, et ardebit iniustis. Item aliter: in igne terror est, in nube visionis lene blandimentum. Dies vita iusti, et nox accipitur vita peccatoris. In die ergo per nubem columna monstrata est, et in nocte per ignem, quia omnipotens Deus et blandus iustis, et terribilis apparebit iniustis. Istos in iudicio veniens per lenitatis mansuetudinem demulcet, illos per iustitiæ districtionem terret. Item aliter: quid est quòd columna nubis in die populum præibat, et splendor ignis non in die sed in nocte radiabat, nisi quia redemptor noster suo conversationis exemplo ducatum se sequentibus præstans, de iustitia sua confitentibus nulla luce claruit, peccatorum suorum tenebras

bras agnoscentibus igne sui amoris infulsit?

CAPUT C.

Quomodo per columnam subsequentem, et præcedentem liberum arbitrium ostenditur regi per gratiam prævenientem, et subsequentem misericordiam Dei.

Attendendum sanè, et quomodo vel in nos vel in his qui renascuntur per nos, liberum arbitrium sine Dei gratia nihil boni possit. Nam ecce salvandum populum columna præcedens dimittit priora post tergum, et stat inter castra Ægyptiorum et castra Israël, obsistendo illis, prosperando istis; significans in eo quòd primùm præcessit, præveniente gratia nolenti homini bene velle esse collatum; in eo quòd a tergo posteriora tuetur, per subsequentem misericordiam adiuvari posse cœpta perficere, et implere postrema servando. Illic columna iter liberationis ostendens præcessit populum, hîc gratia prævenit liberum arbitrium. Illic columna tuetur extrema; hîc misericordia subsequitur infirma. Illic quæsitum est, ut liberarentur qui perire nolunt; hîc datur, ut nolentes bene velint. Illic pavor affertur, dum a tergo hostibus obviatur; hîc subsequens misericordia occurrit, dum infirmitas adiuvatur. Nam nisi et præiens et subsequens liberando populo adiutorium adesset, qui lumen vitæ præstaret, cum ad excidium hostis subsequens inrueret, sicut et hîc agitur; quid baptizandis præcedens fides proderit, nisi liberans a malo subsequens misericordia fidei opus implere concesserit? Bene ergo columnæ lumen liberandum populum, et ne possit interire, præcedit; et sequitur, ne interimi possit: quia gratia Salvatoris liberum hominis arbitrium, ut bene velit, gratè prævenit, et ut bene possit, illi miseranter attribuit.

CAPUT CI.

De congressione itineris, et ingressu rubri maris, quorum significantia tenetur in aquis fontis.

Est salvando Israëli dux Moyses. Factus est redimendo homini dux Iesus. Ille relinquit Ægyptum, iste mundum. Illum insequuntur Ægyptii, hunc insequitur multitudo delicti. Illic (mare) rubore littoris coloratum, unde et dicitur rubrum; hîc est baptismus Christi sanguine consecratus. Illic virgâ vastitas dividitur maris; hîc signo crucis reseratur aditus fontis. Illic ingreditur Israël, hîc tinguitur homo. Illic inter aquas per siccum sine impedimento transitur; hîc per aquas iter salutare peragitur. Illic insequentes Ægyptii cum Pharaone merguntur; hîc peccata cum zabulo necantur, non perditione naturæ, sed potestatis amissione. Nam in quantum zabulus est, constat; in quantum malè potuit, iam non constat. Unum elementum utrisque exitium, atque subsidium est; dum perituros perimit, et eruendos provehit: dum morituros necat,

et

Digitized by Google

et vivituros iuvat: dum exitiosos deiicit, et eximendos edicit. Exultant qui liberati sunt in gloriam liberatoris, et in gratiam liberationis. Post mare et post fontem
Exod. 15. 1. dicitur: *Cantemus Domino, gloriosè enim honorificatus est. Equum et ascensorem proiecit in mare. Adiutor et protector meus Dominus, et factus est mihi in salutem.*

CAPUT CII.

De figura et typo baptismi in nube, et mari a Paulo Apostolo commendatis.

Figura et typum baptismi huius bene Paulus commendans dicit:
1. Cor. 10. 1. *Nolo vos ignorare, fratres, quia omnes patres nostri sub nube fuerunt, et omnes per mare transierunt.* Ut quid per mare transierunt? quasi quæreres ab illo, secutus ait: *Omnes per Moysen baptizati sunt in nube, et in mari.* Si ergo figura maris tantum valuit, species baptismi quantum valebit? Si quod gestum est in figura, traiectum populum ad manna perduxit; quid exhibebit Christus in veritate baptismi sui traiecto per eum populo suo?

CAPUT CIII.

Quòd transitus maris perveniendi ad manna significet, post baptismum venire ad Christi corporis sumptum.

Quò traiicit per baptismum Iesus, cuius figuram tunc gerebat Moyses, qui per mare traiiciebat, nisi ad manna? Quod est manna? *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi.* Ioan. 6. 51. Manna accipiunt fideles iam traiecti per mare rubrum. Quia ergo, ut dictum est, omnes per Moysen baptizati sunt in nube et in mari, et a Domino dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non videbit regnum Dei;* Ioan. 3. 5. bene habuit mare formam aquæ, nubes verò Spiritûs sancti, manna panis vitæ. Quibus sacramentis purificatus, et vivificatus homo valeat in hæreditatem terræ viventium intromitti. Iam fontis figuram mare habuisse patuit. Nunc ipsius sacri fontis mysteria demonstrentur.

CAPUT CIV.

Quòd uno tempore sit et generatio rerum, et regeneratio hominum.

Huic fonti ad novæ regenerationis effectum illud tempus occurrit, quo habere mundus exordium cœpit; ut generatio rerum et regeneratio animarum uno tempore sibimet inhærerent, dum veris tempore fieri utraque patescerent. Primo etenim mense initium mundi exoritur. Similiter in eodem mense fieri Pascha præcipitur. Sic inchoat novitas rerum, sic inchoat novitas animarum. Quæ in mundo per novitatem creata sunt, mortalitatem attingunt. Quæ post vetustatem in morte Christi consepulta resurgunt, ad æternitatem perveniunt. Unde verò concurrit, ut eo tempore videatur in hanc generationem, atque in hos usus ingressus * attribuitur, quo tempore ex * f. attribui.

Digitized by Google

hac generatione in generationem est legitimus transitus. Siquidem verno tempore filii Israël Ægyptum reliquerunt, et per mare transierunt. Hoc tempore Domini nostri Iesu Christi Pascha celebratur. Hoc est animarum transitus a vitiis ad virtutem, a passionibus carnis ad gratiam sobrietatemque mentis, a malitiæ nequitiæque fermento ad veritatem atque sinceritatem. Regeneratis
Exod. 12. 2. itaque dicitur: *Mensis hic vobis initium mensium, primus est vobis in mensibus anni.* Derelinquit enim et deserit, qui abluitur, intelligibilem illum Pharaonem principem istius mundi cum omnibus operibus suis.

CAPUT CV.

Quòd sustinere dicitur mysteriorum sacramentum, donec in superficie miraculum ostendatur aquarum.

Fontis huius, cui divinæ sanctificationis inlabitur virtus, et ex superficie miraculum, et ex mysterio pandamus arcanum. Contemplamur in hoc fonte numero suorum miraculorum insignia, et aspicitur operatio ex divina institutione pavenda. [a] Est enim

[a] Similia huius prodigii (cuius expositionem toto capite sequenti fusiùs persequitur Ildephonsus) pleraque in Ecclesiastica historia occurrunt exempla, aquæ in fontes baptismales cælitùs immissæ, quoties tempus solemniter baptizandi accederet, in nonnullis Ecclesiis cum Orientalibus, tum Occidentalibus. De illis auctor est Sophronius (sive sit Ioannes Moschus verus *Prati spiritualis* scriptor) qui cap. 214. et 215. duo commemorat in eâdem Provincia Lyciæ in diversis tamen locis videri solita huius generis miracula: unum in Soruba vico ad radices montis, in quo sita est Coëanensium civitas: aliud in castello Cedebratis sub monte Æonandro, ubi situm erat baptisterium.

Verùm in Occidente frequentiora fuisse certissimis accipimus monumentis. Vix erit qui ignoret, quæ de parvula Ecclesia in quodam Campaniæ oppidulo *Meltinas* sita narrat Paschasius Lilibæi Episcopus in Epistola ad S. Leonem data, quæ inter eius opera edita legitur. Cuius fontis miraculosa repletio, quamvis quotannis accidere solita, facta est illustrior, ac toto ferè orbe celebris anno 417. Nempe exorta tunc fuerat contentio sub Innocentio Papa super legitima die, qua Pascha celebrandum erat. Occidentales errore supputationis Paschalis ab Orientalibus dissidebant; itaque cum apud hos dies XXII. Aprilis designata esset, apud illos in XXV. Martii indicta erat Paschæ celebratio. Accidit autem, ut in supradicta Ecclesia, cum solemne tempus baptizandi in Paschate appropinquaret iuxta Occidentalium computationem, ad fontem, ut moris erat, Sacerdos accedens illum in sicco repererit, quem quotannis de cælo plenum inveniebant. Quare in diem XXII. Aprilis baptismo dilato, denuò ad baptisterium accedentes fontem non secus ac aliàs uberibus aquis divinitus repletum offenderunt. Qua re error deprehensus, et correctus est. Hæc omnia narrat Paschasius a S. Leone Magno consultus super controversia anno 444. exorta inter Alexandrinos et Occidentales circa legitimam Paschatis celebrationem.

Casiodorus Variant. lect. lib. 8. epist. 33. quam nomine Athalarici Regis ad Severum scripsit, agens de Conventu Leucotheæ simile miraculum de fonte quodam baptismali in Lucania narrat. Refert idem de Gallia sua S. Gregorius Turonensis lib. *de gloria Confessorum*, maximæ apud omnes in rebus præsertim domesticis auctoritatis.

Quod verò ad Hispaniam nostram spectat, æqualibus, quin et maioribus non caruisse prodigiis, auctor est ipse Turonensis, cuius verba exscribere operæpretium erit lib. 1. *de gloria Martyrum*, cap. 24. " Est et illud, inquit, illustre mi-
» raculum de fontibus Hispaniæ, quos
» Lusitania Provincia profert. Piscina
» namque est apud Ossem campum anti-
» quitus exculta, et ex marmore vario in
» modum crucis miro composita opere:
» sed et ædes magnæ claritatis, ac cel-
» situdinis desuper a Christianis constru-
» cta est. Igitur cum dies sacer post cur-
» riculum anni decedentis advenerit, quo
» Dominus confuso proditore mysticam
» Discipulis præbuit cœnam, conveniunt
» in

enim in eo similitudo prophetiæ virtutis, certitudinis tempus, veritatis status, odor ignotus, humor in sicco profluus, sine lapsu fluctus erectus, sine exhauriente citò vacuus, situs ad copiam indeficiens, fluxus renascentis ad vitam aditus, perimendis

» in locum illum cum Pontifice cives iam » odorem sacri præsentientes aromatis. » Tunc data oratione sacerdos ostia Templi iubet simul muniri signaculis adventum virtutis Dominicæ præstolantes. » Die autem tertia (quod est Sabbati) » convenientibus ad baptizandum populis adveniens Episcopus cum civibus » suis, inspectis signaculis ostia reserat » clausa. Ac, mirum dictu! piscinam » quam reliquerat vacuam, reperiunt plenam; sed ita cumulo altiore refertam, » ut solet super ora modiorum triticum » aggregari: videasque huc illucque latices fluctuare, nec partem in adversam » defluere. Tunc cum exorcismo sanctificato, consperso desuper chrismate, omnis populus pro devotione haurit, et » vas plenum domi pro salvatione reportat, agros vineasque aspersione saluberrima tutaturus. Et cum exinde multitudo amphorarum sine collecto numero hauriatur, numquam tamen vel cumulum minuit: licèt ubi infans primus » intinctus fuerit, mox aqua reducitur, » et baptizatis omnibus, lymphis in se reversis, ut initio produntur nescio, ita » et fine clauduntur ignaro." *Et post pauca*: " Denique Theodegisilus huius Rex » regionis cum vidisset hoc miraculum, » quod in his sacratis Deo fontibus gerebatur, cogitavit intra se dicens: Quia » ingenium est Romanorum, (Romanos » autem vocitant homines nostræ Religionis) ut ita accidat, et non est Dei virtus. Veniens verò ad annum sequentem » ostium sigillis suis cum Episcopi sigillo munivit, posuitque custodes in circuitu Templi, si fortè aliquem deprehendere possit fraudis alicuius conscium, per cuius ingenium in fontibus » aqua succederet: similiter et alio fecit » anno. Tertio verò convocata virorum » multitudine fossas in circuitu Basilicæ » fieri iussit, nè fortè locis occultis lymphæ deducerentur in fontem: fueruntque fossæ in profundo vicenum quinum » pedum; in latitudine verò quindenum. » Sed nihil abditum potuit reperiri. Tamen vitæ finem faciens, et credo pro » huius inquisitionis temeritate, anni sequentis diem, quo hoc mysterium celebrabatur, videre non meruit, eò quòd » arcanum virtutis divinæ investigare præsumpsit."

Hæc de Hispaniæ fontibus Gregorius: cuius testimonio quamvis communiter Historici acquiescunt, ita ut nullus ferè sit qui de eo, quod in præsenti miraculo præcipuum est, amplius dubitet, in circumstantiarum tamen expositione maiorem diligentiam in Turonensi desiderant. Non dubitavit de facto Em. Baronius; minus verò cl. Pagius, cui certum erat in Hispania, et Gallia similia prodigia olim visa fuisse. Nihilominus ad ann. 417. in quo hæc Turonensis verba producit Baronius, non potuit ille non animadvertere, Turonensis narrationem in plerisque circumstantiis falsam esse. *Theodegisilus enim*, ait, *annum tantùm unum, et menses septem regnavit; sed non in Lusitania, quæ Suevis Regibus parebat: et præterea* Ossetum *oppidum est agri Hispalensis, quod parebat Theodegisilo Gothorum Regi. Quare Turonensis res extra Gallias gestas parùm accuratè scripsit.*

His fortè rationibus aliisque permoto credimus doctissimo Ioanni Marianæ venisse in mentem suspicari, totam hanc historiam de fontibus miraculosis, Theudiselique incredulitate commentitiam esse. Itaque post illam enarratam hæc adiicit lib. 5. de Rebus Hispaniæ agens de hoc ipso Theudiselo: *Paschasius Episcopus litteris ad Leonem magnum, ut Isidorus est auctor, simile prodigium in Sicilia contigisse testatus est: et fortassis errante fama, quod in una provincia contigit, alii tribuebatur. Isidorum miramur rei in Hispania tam illustris, cum fermè in suam ætatem inciderit, et de Sicilia retulerit, nullam mentionem fecisse.*

Interea nos a communi Historicorum calculo non recedimus: quod si aliquando licuit, nunc verò post editum Ildephonsi testimonium nobis nefas esset. Namque Ildephonsus etsi apertè de Hispania non loquatur, tamen in his omnibus, quæ caput huius historiæ efficiunt, Turonensis narrationem mirè confirmat. Adeo ut nostro iudicio de uno eodemque fonte uterque sit loquutus: neuter verò de fonte aliquo extra Hispaniam sito. Tanta est amborum in describendo fonte consensio: tanta fontis, quem describunt, a ceteris aliarum Provinciarum differentia. Itaque inverosimile est, ne dicamus impossibile id quod suspicabatur Ioann. Mariana, errante fama, quod in Sicilia accidisset falso rumore fuisse de Hispania nostra ad aures Turonensis perlatum.

In

Digitized by Google

dis delictis interitus, abrenuntiatio impietatis, confessio divinæ et unicæ Trinitatis, in libertatem iustitiæ æterna memoria, in opere peccati perennis oblivio, in remunerationem gloriæ perpetua plenitudo. Habet itaque similitudinem prophetiæ virtutis, quia quinta feria Paschæ odorem denuntiat, quod post triduum pascha-

In reliquis enim fontibus, quos Historia commemorat, nihil ferè aliud mirabile est præter miraculosum accessum, et recessum aquarum: in nostris cælestem aquæ adventum, et dicessum mille alia non minus admiranda circumstant. Fatetur de suis Gregorius ab Hispanicis superari: de ceteris satis erit testimonia superius laudata percurrere. In illis nihil de suavissimo odore legitur triduo ante Pascha efflante, atque futuri miraculi certo prænuntio: nihil de illa exorbitanti exuberantia aquarum, quæ tamen labia fontis cumulo superantes divinitus sustentarentur, atque hinc inde fluctuantes non defluerent. Nihil de illa cælesti copia, e qua cum penè infinita mensura esset detracta sive ad adstantium sitim extinguendam, sive ad suarum domuum sanctificationem, et tutamen, non ideo minueretur, nedum exhauriretur, &c. Quæ omnia de nostris fontibus a Gregorio, et Ildephonso commemorantur; et quod notabilius est, eodem signorum ordine minimè invariato. Quod, nisi gravantur lectores, utriusque inter se facta collatione, facilè ita esse deprehendent. Demus ergo quòd non contigerit id in Lusitania, sed in Bœtica; (quamvis propter Provinciarum confinia facilis sit, et condonandus error) neque negemus, quæ narrat Turonensis de incredulo Principe, ea a Theudiselo, seu Theodegisilo fieri non potuisse: (fortè Theudim eius in Regno multos annos prædecessorem, nec minus impium dicere voluit) dummodo id nobis pro comperto sit, Hispaniam nostram tantorum miraculorum fuisse theatrum.

Hoc unum tantùm quærendum restat; quænam illa Ecclesia particularis fuerit, quæ apud nos huiuscemodi prodigii spectatrix extiterit? De quo nihil certi habemus; et in re obscura nostrum iudicium nolumus temerè proferre. Apud *Ossem*, seu *Ossetum* dicit Gregorius: verùm quominus illud indubitanter asserere audeamus, prohibet nos S. Isidori silentium non levis in hac re momenti, quippe qui propè illum locum Hispali enutritus ac educatus omnem ibi vitam exegerit. Erit absdubio qui hoc et sequenti capite huius libri perlecto, sine ulla hæsitatione pronuntiet, locum miraculi certissimè deprehendi posse ex plurimis verbis, in quibus Ildephonsus videtur quasi oculatus testis populum præsentem alloqui. Quem verò populum, dicet, alium præter Toletanum verosimiliùs alloqueretur Ecclesiæ Toletanæ Episcopus? Certè non longè ab hac coniectura fuit Erud. Martene, qui Ildephonsum huiusmodi miraculi putavit fuisse spectatorem, iisdem verbis innixus.

Nos verò cum exploratum habeamus, ut iam sæpius monuimus lectores, hoc opus a S. Doctore ex sententiis, Homiliis, sermonibus, aliisque tractatibus SS. Patrum fuisse compactum, non temerè suspicamur in his duobus capitibus fragmentum contineri alicuius orationis habitæ ab Episcopo proprio ad populum frequentem in eo ipso loco, ubi miraculum quotannis apparebat, ad excitandam fidelium admirationem, animosque commovendos ad persolvendas debitas Deo gratiarum actiones. Quisnam verò Præsul ille fuerit, post summam adhibitam diligentiam nequicquam quæsivimus.

At dicet fortasse alius: Quin tantis in tenebris probabiliter Ildephonso adtribuitur, quem constat non solum aliorum Patrum sententias recitasse, sed plurima etiam de suo ad illorum illustrationem, et confirmationem intexuisse? Nihil certè id prohibet; et nostrum iudicium est, nullum esse argumentum, quod contrarium certò evincat. Deinde fatemur stylum, qui Gothos redolet, ab Ildephonso non esse alienum, nec supra fœcundissimi sui ingenii vires vividam illam totius miraculi descriptionem: quare coniectura hac non improbabili Toletanæ Ecclesiæ gloriæ ultrò lubentissimèque inservimus. Silent certè Toletanarum rerum Scriptores: sed unde scimus, omnia esse litteris commendata? Et licèt fuerint, quot quantaque ad posterorum notitiam non pervenerunt? Quot hisce postremis sæculis sunt e tenebris, in quibus iacebant, eruta: quorum pars sors obtulit, pars diligentia invenit? Non longe abierimus. Hic ipse, quem edimus, Ildephonsi liber quot sæcula latuit?

Verumtamen, quidquid de hoc sentiendum sit, hoc certè in dubium revocari non potest; quicumque huius fragmenti auctor fuerit, inter Patres illorum temporum disertissimos, et eloquentissimos meritò esse annumerandum.

Digitized by Google

schali sabbato visione præsentat. Habet certitudinis tempus, quia ad testimonium dominicæ resurrectionis nullo eventu variatur erroris. Habet veritatis statum, quia individuum cum festo paschali servat eventum. Habet odorem ignotum, quia dissimilem gratiæ flagrantiam manat odorum. Habet humorem in sicco profluentem, quia inter ariditatem saxorum sine ullo inlapsu exundantia invenitur aquarum. Habet sine lapsu fluctum erectum, quia cum nullius motionis sed tantùm suæ quietis se moveat undis, oram non transgreditur limitis. Habet sine exhauriente citò vacuum situm, quia sicut sine cognitione ubertas inruit, ita sine evacuatione siccitas occurrit. Habet in copiam indeficientem fluxum, quia potui repositione quæ è liquore diviti persistente, plus ablatio tollit, quàm capacitas retentat. Habet renascendi ad vitam aditum, quia congressi illum morte dempta transferuntur in vitam. Habet perimendorum delictorum interitum, quia illic demersus ex vetustate peccati purificatus homo consurgit in gratiam novitatis. Habet abrenuntiationem impietatis, quia nemo illum aggreditur, nisi qui abrenuntiaverit diabolo, et angelis, eiusque operibus cunctis. Habet confessionem divinæ et unicæ Trinitatis, quia omnis qui eum aggreditur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizatur. Habet in libertate iustitiæ æternam memoriam, quia is qui tinguitur, liberatus a servitute peccati transit in libertatem gloriæ filiorum Dei. Habet in opere peccati perennem oblivionem, quia obliviscens pristinæ conversationis, quæ retro est, extendit se per beatam spem ad æternorum munera præmiorum. Habet in remuneratione gloriæ perpetuam plenitudinem, quia liberatus homo a corruptione laborum, exultationis iubilo laudabit Deum in sæcula sæculorum.

CAPUT CVI.

De descriptione efficientiarum aquæ fontis. De patentis admiratione miraculi.

Verùm ut evidentius rei species demonstretur, pleniori affatu est actio exsequenda. Ecce videmus locum fontis constructum arentibus saxis, marmorisque obductum crustulis siccis, quem ita construentis industria iuncturis tabularum gypso, et calce, cera quoque, et marmoris pulvere compsit et solidavit, ut nullo pateat vel accessu vel spiramine pervium, nullo dirivationis alicuius humore susceptum. Et unde post totius anni recursus annales hodierna gloria visionis? Unde post annuam siccitatem viror repens? Unde inter saxa latices? Unde inter marmora aquæ? Unde in sicco flumina? Unde in arenti lapide exundantia lymphæ? Non aditus rivuli, non imber pluviæ patet, non minimum ros, non madens nebula supervenit; laquearia tectorum integra sistunt, fores clausi inventi sunt, signacula salva reperta sunt, nullus infidelis ad inludendum fidei acces-

cessit, nullus fidelis ad providendum fidei introvit, nullus prorsus, qui tantum miraculum vel simularet vel impediret, accessit. Attendatur ergo auctor ille ineffabilis, et opera eius admirabilis. Atque ita ex effectibus operationis ipsius cognosci poterit virtus operis eius.

Nudiustertius miraculi huius aër nuntius fuit. Et quia sera claustrorum aspectum oculis negavit, virtus odorationem odoratui patefecit. Longè, inquam, longè procul odor exiit, et futuræ visioni fidem dedit. Ecce ventum est in præsenti et patenti obtutu; omnes illic admirantes infigimus visus, aspicimus fontem affatim aquis exuberantem, quem noveramus arentem. Videmus exultantes gurgites aura nulla commotos. In cumulum aquæ subriguntur, et transgressus
* f. *limitis*. * luminis nullus aspicitur. Nullo tacta flatu elata movetur; et tumore motionis, dum non transgreditur oram, continet exæstuantem in exaggeratione procellam. Videas inlidi undas, versare globos, rotare fluctus, et situ loci cum statu elementi luctante, alteri cedere nescit alter. Tenent incognitum saxa liquorem, et gratulantur sua sterilitate genitum, quem aliena fœcunditate nesciunt infusum. Compellunt marmora continere quod acceperunt. Sed lex illa vetat obsistere, cur non ad mensuram tenet capacitas quod ad copiam inflexit ubertas. Item aquæ transiliunt æquitatem, sed conglobatæ non transeunt limitem. Suis motibus modò insultat in verticem, modò relabitur ad quietem, modò crispantem efficit superficiem, modò crispantis varietatis planitiem reddit æqualem. Comminatur egressum, nec tamen deserit situm. Omni tempestate quiescit, sola quiete movetur. Omni perturbationis commotione carens, suæ tantùm admirationis motibus arridet et plaudit. In augmento miraculi non satis est quòd arentium situm lapidum aquæ in pulvere nascentes, nisi tanta constet ubertas, ut considerari nequeat statu constante, quanta vasorum millia referta fidelium populorum auferat fides. Præeunte fidei amore violenter aggreditur, certatim incumbitur, ubertim aufertur, et obviante sibi itu vel reditu, ab innumerositate concurrentium, dum pietas vincit, fides iniuriam non sentit. Insistente pressura, inliduntur vascula, et tam indite haustus liquor effunditur, ut in lutum pavimenta vertantur. Exempto unicuique remedio, quo vel quisque bibit, vel per latitudinem orbis terræ asportata et reponenda servatur ubertas. Cuius abundantiæ admiratio immensa, * mensuræ consideratio nulla est. Hoc solum potest intelligi quòd plus potuit auferri quàm inveniri. Color huius luce clarior lymphæ, aëre purior. Sapor cunctis aquæ saporibus ignotus, et gratior. Virtus placida, species decora, novitas admiranda, vetustas tanta diuturnitate durabilis, ut annis exempta nullo vitio sit corrupta. Ceterarum porro aquarum sola novitas grata est, et illa iucundior, quæ odore nullo respirat. Nam

* Emendavimus *mensuræ*, quod est in Bal.

Nam quamvis nitidis tenta vasis, si reposita manè, a primùm exhausto limpore fit crassior, concepto fœtoris olfatu, cuius grassedo pinguescet in fæcem, sed post humorem redit in terram. Hæc autem numquam limporis, numquam odoris, numquam saporis gratia caret. Sic in admiratione nova, in creatione antiqua, in usibus salutis probatur assidua. Iam quia defertur in miraculo, et hoc mirum est, quòd nequit stare semper in miraculi statu, sed quia mirabiliter venit, nonnisi mirabiliter abscedit. Nam sicut nullus est in accedendo infusionis aditus, ita nullus in recedendo meatus. Ex incognito plenus inventus, ex incognito vacuus aspicitur locus. Ubi elapsa, sicut et unde inlapsa sit aqua, non invenitur. Quid ergo, nisi quia omnipotentia Dei, quæ hanc mirabiliter infusit, mirabiliter exhaurit? Ex toto prima, media, et extrema constitutis in miro, dum in sicco nascitur, dum fluctuatè latet nec labitur, dum sine evacuatione siccatur. Nam stat plenus fontis loculus. Et postquam a Sacerdote extiterit benedictus, sustinet omnes concurrentium conventus, quatumve ex illo corporaliter bibatur, quantum ex impetu convenientium humi vertatur, quantum in diversas terras religioni convenientibus vasculis asportata servetur, nulla æstimatione colligitur. Stat certè tam indeficiens haurientibus, ut plus ablato * quàm capuit, nesciat minorari. At ubi baptizans infantulum Sacerdos immerserit, mox quies est; sicque visibiliter redit in nullo, quæ invisibiliter crevit ex nullo. Hæc sunt in isto speciali propter aquæ novitatem fonte mirabili. In illo autem mirabiliter universali, et singulariter generali, cum quo et iste unus est qui significatus est, propheta dicente: *Erit in die illa fons patens domui David et habitantibus in Hierusalem in ablutionem peccatorum et menstruatæ.* Qui ideo patens quia nulli clausus. Quare omnes in eo renascimur, per quem et peccatorum delicta purgantur, et menstruatæ sordes, hoc est, immundæ animæ salutari lavacro abluuntur: qui ita unus est ad regenerationis gratiam, sicut et una fides, et una Ecclesia Dei vivi, quæ significatur per domum David. Hæc ex ordine sacramenta complentur. Zach. 13. 1.

* *Quam* edimus pro *quam*, quod Bal. ed.

CAPUT CVII.

Quare et unde fons in Quadragesima clauditur, et in Pascha reseratur.

Hic fons, quia plenus est mysteriis humanæ salutis, bene sub dispositione Pontificali signatus clauditur, et signatur ut reseretur. Clauditur autem diebus Quadragesimæ, aperitur tempore Paschæ. Quòd Quadragesima obsignatur, ostendit, excepto gravissimæ necessitatis obventu, his diebus per totum orbem fieri baptismum omnimode non licere. Quòd verò in Pascha per sanctificationem Pontificis aperitur, demonstrat Dominicæ patere mysterium resurrectionis, in quo ad vitam factus est aditus homini,

Digitized by Google

ni, ut per baptismum consepultus in morte Christi, resurgat cum eo in gloria Dei. Et sicut hoc est ubique cohibere baptismum, quod in loco claudere fontem, ita quoque est aperire fontem; dare baptizandi licentiam generalem. Clauditur autem fons signaculo annuli, aperitur verò benedictione Sacerdotis, et mysteriis sacramenti. [a]

CAPUT CVIII.

De tempore et loco baptizandi.

Quam baptismi celebritatem duobus tantùm temporibus, Pascha et Pentecosten, apud legitimorum Sedes Episcoporum coram ipsis fieri, et apostolica et paterna sanxit antiquitas. In subiacentibus autem vicinis Episcopis Ecclesiis id effici non debere, ne dum passim per diversa loca conventus dividitur populorum, vel non sit quibus conferatur gratia doctrinarum, vel minoretur sublimitas veneranda Pontificum. Per Parochiarum autem Ecclesias longè positas convenienter licet ut fiat; ne dum prolixa itineris longitudo distenditur, desiderabilis et citò perficienda gratia differatur. Extra hæc duo tempora propter solam necessitatem mortis omni tempore liberè conceditur baptizare.

CAPUT CIX.

De expositione mysteriorum fontis.

Accedit deinde Sacerdos ad fontem; et sicut Moyses ibat in nomine Domini, ita iste Deum exorans aquis officia sanctificationis infundit. Moyses illic virga Exod. 14. 21.
percussit aquas, et salutare patuit iter. Sacerdos hìc signaculo ligni crucis contingit aquas, et reseratur ad salutem ingressus. Alioquin nisi Moyses virga percuteret aquas, non pateret inter fluctus aditus libertatis. Et nunc nisi nomine, et cruce ligni Christi fontis aquæ tangantur, nullum salvationis remedium obtinetur. Exorcismum apponit, ne quid illic

[a] Hæc antiqua Ecclesiæ consuetudo claudendi in Quadragesima fontes, seu baptisteria, ea annulo Episcopali obsignando, nec ante Pascham aperiendi, nisi gravi urgente necessitate, cum in aliquibus nostrarum Ecclesiarum neglecta esset, aliquot post Ildephonsum annis instaurata est, nempe anno 694. in Concilio Toletano XVII. ex Episcopis Hispaniæ et Galliarum congregato, in cuius canone 2. sancitum fuit, ut a cunctis Pontificibus in suis Ecclesiis custodiretur. Illud verò animadversione dignum est in canone prædicto, quòd cum in eo Patres Concilii mysticam huiusmodi ritus significationem primo loco exponere voluissent, totidem fere verbis usi sunt, quibus hoc capite loquitur S. Ildephonsus: unde apparet Ildephonsi librum Patres in condendo canone præ oculis habuisse, multumque illius doctrinæ tribuisse. Libet initium canonis referre: "Licèt in initio Quadragesimæ » baptizandi generaliter claudatur mysterium, tamen ecclesiasticæ consuetudinis ordo deposcit, et necesse est, ut » ostia Baptisterii in eodem die Pontificali » manu annulo assignata claudantur, et » usque in Cœnæ Domini solemnitatem » nullatenus reserentur; ob id videlicèt, » ut et per signaculum Pontificum (excepto gravissimæ necessitatis obventu) » in his diebus monstretur, per totum » orbem non licere fieri baptismum, et » sanctificationem; iterùm Episcopali ad » eam observatione reserata, signetur Dominicæ patere mysterium Resurrectionis, in quo ad vitam factus est aditus » homini: ut quia per baptismum consepultus est in morte Christi, resurgat » cum eo in gloria Dei."

Digitized by Google

illic lateat ex contagione sinistræ partis admixtum. Oleum infundit, ut sacramento illi, quo in exordio creationis super aquas Dei spiritus ferebatur, sanctificationis infusione particeps approbetur. Benedictionem profert, ut eum abolere maledictum potentem efficiat.

CAPUT CX.

De gradibus fontis.

Ex S. Isidoro *lib. 2. de Offic. Eccl. cap. 25.* ex quo sequentia usque ad cap. 121. desumpta sunt, etsi fusiùs ab Ildephonso explanata.

Hic fons origo est omnium gloriarum. Qui habet septem gradus; tres in descensum propter tria quibus renuntiatio fit, id est, in quibus renuntiatur diabolo, et angelis eius, et operibus eius, et imperiis eius. Tres alii in ascensum propter tria, quæ confitemur, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, qui est unus in Trinitate Deus. Septimus verò iste est qui et quartus, id est, similis filio hominis, extinguens fornacem ignis, stabilimentum pedum, fundamentum aquæ, in quo plenitudo divinitatis habitat corporaliter. Per tria itaque baptizandus descendit, quando tribus abrenuntiavit. Relinquendo enim diabolicam altitudinem, descendit ad baptismi Christi humilitatem. Atque ita in quarto gradu solidamentum inveniens, ex his, quibus abrenuntiavit, liberatus stat. Dehinc ascendit per Trinitatis confessionem. Et ipse est septimus ad summam liberationis, qui fuit quartus ad requiem libertatis.

CAPUT CXI.

De duabus pactionibus abrenuntiationis, et credulitatis.

Duæ autem sunt pactiones. Prima, in qua diabolo renuntiatur, cum dicitur: *Abrenuntio tibi, diabole, et angelis tuis, operibus tuis, et imperiis tuis:* ne iam serviat ei vel terrenis corporis passionibus, vel depravatæ mentis erroribus, qui dimersa omni malitia vice plumbi, bonis operibus dextra lævaque munitus, sæculi huius freta inoffenso studeat vestigio pertransire. Secunda, in qua creditur Deo in nomine Trinitatis, ut tenens virtutem eius dilectionis permaneat cum illo in laudibus eius sæculis sempiternis.

CAPUT CXII.

Quòd in nomine Trinitatis detur baptismum, et quòd in baptismo quæcumque persona Trinitatis omissa sit, nihil baptismi celebritas agat; quòdque Christi baptismum in Trinitate extiterit actum.

Dein secundùm præceptum Domini dicentis: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, subinferente Sacerdote, *ut habeas vitam æternam*, tingitur homo aquis: ac tunc ostenditur ei firma promissio, quam Dominus dixit: *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Quòd si omissa qualibet Trinitatis personâ baptismum conferatur, omnino nihil egisse baptismi solemnitas deputetur,

Matth. 28. 19.

Ioan. 6. 47.

Digitized by Google

nisi tota Trinitas veraciter invocetur. Nam et baptismus Domini, quando a Ioanne baptizabatur, in Trinitatis veritate celebratus agnoscitur. Cum enim
Matth. 3. 17. diceretur a Deo: *Hic est filius meus*, ecce Pater in voce, Filius in corporis veritate, Spiritus sanctus in specie columbæ.

CAPUT CXIII.

Quòd baptismum et originale et actuale peccatum tollat, et quòd non nisi renatus habeat vitam æternam: et quare vel abrenuntiationem vel confessionem alii propter alios profitentur.

Maioribus autem et perfectis ætate baptismus vel ad purgationem originalis noxæ, vel ad abolitionem actualis proficit culpæ; ut uno beneficio salutari deleatur simul originale, et actuale peccatum. Parvulis verò ad hoc solum valet, ut delictum, quod ab Adam generatio traxit, hac regeneratione solvatur: qui si antequam regenerentur, è sæculo transierint, in regno Dei hæredes Christi non erunt, dicente Do-
Ioan. 3. 3. mino: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non videbit regnum Dei.* Denique iidem parvuli ideo, alio profitente, vel abrenuntiant zabulo, vel credunt Deo, quia per se loqui non possunt, sicut ægri, muti, et surdi aliis profitentibus propter eos ipsi .... baptizantur.

CAPUT CXIV.

De his qui de fonte baptizatos excipiunt, et quid cum eis agere debeant.

Illi sanè, qui ex utero matris Ecclesiæ, id est, ex lavacri fonte per Spiritum sanctum genitos in adoptionem filiorum religioso amore excipiunt, et ante quàm baptizantur, et postquam baptizati fuerint, non solùm exemplis, sed etiam verbis eos admonere prorsùs oportet. Et sicut uterque sexus ex eodem fonte renascitur, sic uterque sexus renatos excipiens doctrinæ salutaris usum habere debet. Qui etiam cognoscant se fideiiussores existere. Pro ipsis enim respondent, quòd abrenuntient diabolo, angelis, et operibus eius, affirmantes credere eos in nomine Trinitatis. Ideoque tam illi qui excipiunt, quàm qui excipiuntur ab eis, pactum, quod cum Deo in sacramento baptismatis pepigerunt, omni custodire vigilantiâ debent; ut dum servant quod in regeneratione præceptum est, accipiant quod in remuneratione promissum est.

CAPUT CXV.

Quòd pro spe futuræ beatitudinis regeneratio detur; non ut temporalis mortis pœna tollatur.

Licèt verò per beneficium regenerationis delictum solvatur originis, manet tamen pœna mortis in eos, quos a reatu solvit gratia Salvatoris; ut noverit homo pro spe futuræ beatitudinis regenerationem accipere: non ut pœ-

Digitized by Google

pœna temporalis mortis possit evadere; quia etsi æternæ gloriæ vitam gratia contulit, temporalis mortis pœnam inlata sententia non resolvit.

CAPUT CXVI.

Quòd solis Sacerdotibus liceat dare baptismum, excepta necessitate periculi.

Sanè dare baptismum non Diaconibus, non Clericis, non quibuscumque licere nisi Sacerdotibus solis, dicente Domino discipulis tantùm: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Et item ad discipulos: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Patet ergo solis Sacerdotibus dare baptisma esse permissum. Cuius rei ministerium absque Episcopo, vel Presbytero, nec Diaconibus est concessum, nisi, illis longè positis, ultima necessitas vel languoris, vel periculi cogat. Quod clericis, et fidelibus laicis fieri utcumque conceditur, ut nullus è sæculo sine vitali remedio transiisse videatur.

Ioan. 20. 21. Matth. 28. 19.

CAPUT CXVII.

Quid significat, quòd infans aquis immergitur ad similitudinem mortis Christi. De simpla quoque, et trina baptismatis mersione.

Quòd aquis infans mergitur, in Christi morte baptizatur, dicente Paulo: *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte.* Item quòd infans ab aquis educitur, resurgi cum Christo monstratur, subsequente eodem Apostolo: *Ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus.* Quòd autem semel mergitur, in unius Deitatis nomine tingitur. Si autem tertiò mergatur, trium dierum sepulturæ Domini numerus demonstratur. Unde in una fide nihil contrarium habet consuetudo diversa. Sed quia hæretici in hoc numero mersionis unitatem solent scindere Deitatis, a Deo potiùs est quòd Ecclesia Dei unius usum observat tantummodo tinctionis.

Rom. 6. 3. 4. Ibi 4. 5.

CAPUT CXVIII.

De non iterando baptismo.

Semel acceptum baptismum nullatenus iterare ex quacumque causa licere. Nam sicut unus Deus, et una fides, ita unum est et baptisma. Et sicut idem narrat Apostolus, *scientes quòd Christus resurgens a mortuis iam non moritur: mors illi ultra non dominabitur;* ita nec baptismus unquam aliquatenus repetetur. Item cum duæ sint nativitates, una de terra, alia de cælo, una de carne, alia de spiritu, una de mortalitate, alia de æternitate, una de masculo et femina, alia de Deo et de Ecclesia, ipsæ duæ singulæ sint; nec illa potest repeti, nec illa. Proinde sicut iam natus de

Rom. 6. 9.

Digitized by Google

Adam non potest iterum generari de Adam, ita natum de Christo non potest iterum generare Christus: quia sicut non potest repeti matris uterus, sic nec Ecclesiæ baptismus.

CAPUT CXIX.

Quòd primum baptisma aquæ sit, secundum sanguinis.

Tria sunt genera baptismi. Primum baptismum est aquæ et spiritus, de quo huc usque disputatum est, quo per regenerationem originalia peccata delentur. Secundum est, quo per martyrium quisque suo sanguine baptizatur. Eodem certè baptismo et Christus est baptizatus, ut credentibus in se, sicut in aliis sic et in hoc daret exemplum. Dicit enim
Marc. 10. 38. discipulis suis filiis Zebedæi: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? et baptizari baptismo, quo ego baptizabor?* id est: Potestis bibere calicem amaritudinis passionis; et baptizari effusione vestri cruoris, sicut ego tolerabo ignominiam crucis, et emittam undam sanguinis profluentis? Aqua ergo, et sanguis est gemina baptismatis figura. Nam uno ex lavacro regeneramur, altero ex sanguine consecramur.

CAPUT CXX.

Quòd tertium baptismum pœnitentiæ sit in alluvio lacrymarum.

Tertium est alluvium lacrymarum, quod fit in pœnitentia peccatorum: laboriosè quidem actum, sed per copiosam Redemptoris pietatem ad indulgentiam certum. Sic Maria illa in civita- Luc. 7. 38.
te peccatrix ad pedes Domini sedens, quod voluptatibus in se sordidavit, lacrymis lavit. O plenum pietate baptismum! copiosa redemptoris indulgentiâ exundantem, qui tam veternosum aggerem criminum tam citatim fluenti alluvione delevit! Intuere quisquis ille * peccatores; imò intuemini omnes homines, quia omnis homo peccator est, et huius baptismi perpende potentiam. Sic ubertim supra peccatricem fons lacrymarum erupit, ut ad pedes peccata remittentis Domini perveniret. Sic ab imo cordis se in cumulum fluctus lamentationis erexit, ut cælestis Domini vestigia inrigaret. Sic amaritudo vim detulit afflictionis, ut dulcedinem adipisceretur pietatis. Hinc et ille per singulas noctes stratum suum Psalm. 6. 7.
lacrymis rigat. Hinc Ninivitæ, dum se lamentationis imbre per- Ion. 3.
fundunt, ultionis incendia extinxerunt. Sed gratiæ huius copiam ille gratissimus miserator supra miseros agit, qui et peccatoribus pœnitentiam dat, et peccatis veniam præparat; qui peccatum pœnitentiâ punit, et pœnitentiæ fructum attribuit; qui ad se per gratiam convertendo venire iubet impium, et per misericordiam exsultando a se facit abire iustificatum.

* f. legendum peccator es.

CAPUT CXXI.

Quòd nec in hæreticos licet iterare baptismum.

Quicumque hæretici diversum schisma sequentes, si in Patris, et

et Filii, et Spiritus sancti attestatione approbantur suscepisse baptismum, non erunt iterum baptizandi: sed chrismate solo, et manus impositione purgandi. Baptismus enim non est hominis, ut iteretur per hominem; sed Christi, ut permaneat per Christum. Nam sicut unus est, et non alius Deus, sicut una in Deo, et non alia fides, ita unum Christi et non aliud baptismum. Quod si ex homine esset, iterari posset: quia verò ex Christo incommutabiliter datum est, iterari non potest. Deus enim solus est qui baptizat, ut fieri possint Filii Dei et qui baptizantur ab eo. Ideoque non interest, an fidelis an hæreticus det baptismum. Tantum est, ne baptizari cupiens incuriâ christianorum ad hæreticos deducatur. Sed etsi in hoc incuriæ negligentia habeat culpam, baptismus iterari numquam poterit habere licentiam. Quod sacramentum tam sanctum est et beatum, ut nec sceleratissimo ministrante pollui possit. Nam habet et baptismum Christi hæreticus. Sed nihil illi prosperat, qui hoc extra unitatem fidei acceptum portat. Iam quando Ecclesiam introierit, mox baptismum, quod forìs habuerat ad exitium, prosperum habere incipit ad salutem. Unde quod acceptum est, fidei reverentiâ probatur. Proinde quum accesserit, non mutari convenit, sed agnosci. Nam quia signum est regis Dei mei, non sacrilegium fit quum desertor corrigitur, et signum Domini non mutatur.

CAPUT CXXII.

Quòd post baptismum gloriæ cantico decantato ad unctionem provehendus est homo.

Postquam in similitudine mortis Christi aquis immersus homo rursus fuerit ad spem resurrectionis ab aquis eductus, ob liberationem sui gratulationis cantico decantato, provehitur ad sancti chrismatis tactum, ut unguatur spiritu Dei, et sit atque vocetur ex Christi unctione et nomine Christianus.

CAPUT CXXIII.

De unguento chrismatis, et institutione eius.

Chrismatis unguentum in * Levitico iubente Domino primum Moses et composuit, et effecit. Levit. 8. 2. 12. 13. Quæ unctio primùm in Aaron et filios eius in testimonium sacerdotii et sanctitatis insigne ab eodem Mose habetur inlapsa. Deinde in honorem gloriæ Reges eodem chrismate ungebantur. Unde pro illis dicitur: *Nolite tangere Christos meos.* In Sacerdotibus autem et Regibus erat hæc mystica unctio tantùm, qua Christus Rex et Sacerdos futurus figurabatur. Christi enim nomen a chrismate ducitur, quia chrisma unctio vocatur. Postquam verò Dominus noster Iesus Christus, Rex verus, et Sacerdos æternus, a Deo Patre, cælesti et mystico est delibutus unguento, iuxta quod dicitur ad eum: *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis;* non iam soli Pontifices et Reges, sed omnis Ecclesia sancti unguenti chri-

* In edit. Baluzii *Exodo* mendosè.

Ex S. Isidoro 2. de Offic. cap. 26.

Psalm. 104. 15.

Psalm. 44. 8.

chrismate consecratur, propter quòd æterni Regis et Sacerdotis est sanctissimum membrum. Quia ergo genus electum, et regale sacerdotium sumus, ideo post lavacrum aquæ unguimur chrismate, ut Christiani Christi vocemur ex nomine.

CAPUT CXXIV.

Quòd per visibilem unctionem corporis invisibiliter Spiritus sanctus operetur animæ unctionem.

Sancto itaque hoc chrismate extrinsecùs unguitur homo, et intrinsecus inlabitur sancti Spiritus virtus; ut totus homo lavacro purgatus, totus ex spiritus unctione pinguescat; accipiente anima virtutem ex eadem sancti Spiritus unctione, ut cognoscat Deum habitatorem suum, ut diligat quem in se recepit, ut sit cum illo semper, ut regatur ab illo, et faciat voluntatem eius, ut non contristet eum, quoniam in ipso signatus est homo in die redemptionis suæ, ut sit in membris Christi cum Christo unum, dum vegetatur, ac regitur spiritu Christi.

CAPUT CXXV.

Quòd non Christo, sed hominibus datur spiritus ad mensuram.

Hanc unctionem commendat
1. Ioan. 2. Ioannes dicens: *Ut sciatis, quia unctionem habetis, et nos unctionem quam accepimus ab eo, permaneat in nobis.* Unctionis huius sacramentum est virtus ipsa invisibilis, unctio invisibilis Spiritus sanctus: unctio invisibilis charitas illa est, quæ in quocumque fuerit, tamquam radix vitæ illi erit, quamvis ardente persecutionis sole arescere non potest. Omne quod radicatum est in charitate, nutritur, et calore adversitatis numquam arescit. Spiritus sanctus Christo non datus est ad
mensuram, quia in ipso habitat Colos. 2. 9.
omnis plenitudo divinitatis corporaliter. In hominibus autem
datur ad mensuram discretionis 1. Corinth. 12.
et gratiæ; ut quia multa membra Christi unum corpus efficiunt per multarum operationum munera, et in omnes unus spiritus dominetur, et in singulos idem diversorum donorum gratia ope-
retur, dicente Paulo: *Alii datur* 1. Corinth. 12.
sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ in eodem spiritu, alii fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetiæ, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.

CAPUT CXXVI.

De discretione, qua sanctus Spiritus ad mensuram datur hominibus.

Fit autem hæc discretio donorum, dum omnipotens Deus interni iudicii secreto moderamine sic cuncta moderatur, ut cum per impensam gratiam unum-
quemque sublevat, * et iam per * f. etiam.
disparem alteri alterum subdat, et meliorem quisque dono alio eum qui sibi subiicitur, attendat; ac licèt se præire ex aliis sentiat, eidem tamen quem superat, se in aliis postponat. Sic cuncta mode-

Digitized by Google

deratur, et dum singula quæque sunt omnium, interposita quadam charitatis necessitudine fiant omnia singulorum; et unusquisque sic quod non accipit, in altero possideat, ut ipse alteri possidendum, quod accepit, humiliter impendat.

CAPUT CXXVII.

De spiritu septiformi interpretatio sancti Gregorii Papæ.

Est autem hic spiritus septiformis, dicente Esaia: *Et requiescet super eum spiritus Domini; spiritus sapientiæ, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiæ, et pietatis; et replevit eum spiritus timoris Domini.* Quos scilicet gradus, ut sanctus Gregorius refert de cælestibus loquens, descendendo magis quàm ascendendo Propheta numeravit; videlicet sapientiam, intellectum, consilium, fortitudinem, scientiam, pietatem, timorem. Et cum scriptum sit: *Initium sapientiæ timor Domini*, constat proculdubio, quia a timore ad sapientiam ascenditur, non autem a sapientia ad timorem reditur; quia nimirùm perfectam habet sapientia charitatem, et scriptum est: *Perfecta charitas foràs mittit timorem.* Propheta ergo, qui de cælestibus ad ima loquebatur, cœpit magis a sapientia, et descendit ad timorem. Sed nos, quia a terrenis ad cælestia tendimus, eosdem gradus ascendendo numeremus, ut a timore ad sapientiam pervenire valeamus. In mente etenim nostra primus ascensionis gradus est timor Domini, secundus pietas, tertius scientia, quartus fortitudo, quintus consilium, sextus intellectus, septimus sapientia. Est enim timor Domini in mente. Sed qualis iste timor est, si cum eo pietas non est? Qui enim misereri proximo ignorat, qui compati eius tribulationi dissimulat, huius timor ante omnipotentis Dei oculos nullus est, qui non sublevatur ad pietatem: Sed sæpe pietas per inordinatam misericordiam errare solet, si fortassè pepercerit quæ parcenda non sunt. Peccata enim, quæ feriri gehennæ ignibus possunt, disciplinæ sunt verbere corrigenda. Sed inordinata pietas, cum temporaliter parcit, ad æternum supplicium pertrahit. Ut ergo vera et ordinata sit pietas, ad gradum est alium sublevanda, id est, ad scientiam; ut sciat vel quid ex misericordia puniat, vel quid ex misericordia dimittat. Sed quid, si sciat quid agere quisque debeat, virtutem verò agendi non habeat? Scientia ergo nostra crescat ad fortitudinem, ut cum videt quid agendum sit, hoc agere per mentis fortitudinem possit; ne timore trepidet, et pavore conlapsa non valeat bona defendere, quæ sentit. Sed sæpe fortitudo, si improvida fuerit, et minùs contra vitia circumspecta, ipsa sui præsumptione in cassùm ruit. Ascendat ergo ad consilium, ut providendo præmuniat omne quod agere fortiter potest. Sed esse consilium non potest, si intellectus deest: quia qui non intelligit malum, quod agentem gravat, quomodo potest bonum soli-

Isai. 11. 2.

Ex lib. 1. Moral. cap. 15.

Eccli. 1. 16.

1. Ioan. 4. 18.

lidare, quod adiuvat? Itaque a consilio ascendamus ad intellectum. Sed quid, si intellectus magno quidem acumine vigilet, et moderari se nesciat per maturitatem? Ab intellectu ergo ascendatur ad sapientiam, ut hoc quod acutè intellectus invenit, sapientia maturè disponat. Quia igitur per timorem surgimus ad pietatem, per pietatem ad scientiam ducimur, per scientiam ad fortitudinem roboramur, per fortitudinem ad consilium tendimus, per consilium ad intellectum proficimus, per intellectum ad maturitatem sapientiæ venimus, septem gradibus ad portam ascendimus, per quam nobis aditus vitæ spiritalis aperitur.

CAPUT CXXVIII.

De impositione manus.

Manus impositionis ipsa veritas, quæ per se viam ad se vitam vocat, per se dedit exemplum. Nam
Marci 10. 13. dicente Marco: *Cum offerrent ei parvulos, ut illos tangeret, ille complexans eos, et imponens manus super eos, benedicebat illos.* Cuius rei actio hæc est, ut cum verbis benedicitur, spiritus infundatur; cum manibus tangitur, spiritalis virtutis operatio designetur. Ita manus impositionis forma in sacris Officiis ex hac divina imitatione processit, ut omnis parvulus, id est, fide et spiritali obedientia humilis, per Sacerdotem a Deo percipiat virtutem sanctificationis. Benedicit itaque Iesus ex potestate divinitatis; imponit manus, ut adsumpta humanitas operetur effectum salutis. Benedicit ore Iesus, et manibus tangit; quia ex eo quòd Verbum est, sanctificat: ex eo quòd caro factum est, sanctificationis potentiam administrat. Benedicit, et manus imponit Iesus; quia quod Deitatis virtus significat, redimentis humanitas complet. Idem unus Iesus ex Divinitate iustificandos vocat, ex humanitate vocatos firmat. Nihil de opere salvationis illi deest, quando Divinitas humanitati connexa imperat, et humanitas in Divinitatem adsumpta virtutem format. Unus Christus Deus et homo hoc agit, dum invisibili naturæ cuncta deferunt servitutem, et visibilis natura invisibilis virtutis exequitur potestatem. Salubriter ergo ad exemplum Christi a Sacerdote fidelibus cum benedictione manus imponitur, quia illi est potestas auctoritate divina conlata, ut in benedictione oris eius spiritus infusio prodeat, et in manus impositione tactus spiritalis gratiæ convalescat.

CAPUT CXXIX.

Rursum de impositione manus, et de Spiritu sancto.

Post baptismum opportunè datur cum manus impositione Spiritus sanctus. Ita enim in Apostolorum actis Apostolus fecisse monstratur. Nam sic dicit: *Factum est autem, cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus, veniret Ephesum, et inveniret quosdam discipulos, et dixit ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi ad eum:*

Ex S. Isidoro 2. de Offic. cap. 27.

Actor. 19. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

eum: Sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus. Ille verò ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Ioannis baptismate. Dixit autem Paulus: Ioannes baptizavit baptismate pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, Iesum. His autem auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu: et cum imposuisset illis manus Paulus, continuò venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant. Item aliàs: *Cum audissent autem Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepit Samaria verbum Dei, miserunt ad illos Petrum, et Ioannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.*

Actor. 8. 14.

CAPUT CXXX.

Spiritus sanctus datur a Deo.

Spiritum sanctum, sicut verum est quia ex divino munere accipere possumus, ita ex nostra potestate dare non possumus. Ut tamen detur, eiusdem gratiæ largitorem Dominum invocamus, quò in ministerio nostræ obsecrationis conferatur gratia divinæ virtutis; Deo tota cooperante, cum et nos orare facit, et is qui benedicitur sanctificationem percipit, et ille plenitudinem sanctificationis infundit.

CAPUT CXXXI.

De Chrismate.

Hoc autem a quo potissimùm fiat, sicut sanctus Papa Innocentius attestatur, sic dicit non ab alio, quàm ab Episcopo fieri licere. Nam Presbyteri, licèt sint Sacerdotes, Pontificatûs tamen apicem non habent. Hoc autem solis Pontificibus deberi, ut vel consignent, vel Paraclitum Spiritum tradant; quòd non solùm consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verùm et superior illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit, Petrum et Ioannem esse directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum sanctum. Nam Presbyteris seu extra Episcopum, sive præsente Episcopo, cum baptizant, chrismate baptizatos unguere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paraclitum.

Ex S. Isidoro supr.

Inn. *Epist. ad Decent. Vid. c.* Manus *de Consecrat. d. 5.*

CAPUT CXXXII.

Quomodo docendus est baptizatus, ut discat orare.

Post lavationem fontis, post vitæ novitatem, post Spiritus unctionem docendus est homo verbis veritatis orare; ut is, qui in veteri homine erat filius iræ, iam in cælesti regeneratione patrem invocet pietate. Nec in multiloquio, quo non poterit effugere peccatum, prosecutionem exeret, sed in affectu sanctæ intentionis orationem effundet, habens regulam doctrinæ Domini, cuius

Quæ in sequentibus cap. de Oratione Dominica scribit, reperiuntur in S. Aug. Epist. ad Probam, quæ est 130.

Proverb. 10. 19.

Digitized by Google

virtutem si orando expedibiliter tenet, in delectando copiosiùs auget, dicente Psalmo: *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.* Ac per hoc sancta intentio sicut non est obtendenda, si perdurare non potest, ita si perduraverit, non citò est rumpenda. Absit enim ab oratione multa locutio; sed non desit multa precatio, si fervens perseveret intentio. Nam multum loqui, est in orando rem necessariam superfluis agere verbis. Multum autem precari, est ad eum quem precamur, diuturna et pia cordis excitatione pulsare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quàm sermonibus agitur: plus fletu quàm effectu. Ponit autem lacrymas nostras in conspectu suo, et gemitus noster non est absconditus ab eo, qui omnia per Verbum condidit, et humana verba non quærit. Nobis ergo verba necessaria sunt, quibus commoneamur, et inspiciamus quid petamus; non quibus Deum seu docendum, seu flectendum esse credimus.

Psalm. 36. 4. Psalm. 55. 9. Psalm. 37. 10.

CAPUT CXXXIII.

De Oratione Dominica.

Quum ergo dicimus: *Pater noster, qui es in cælis*, cognoscimus ordine Creatorem, veneramur iure Dominum, invocamus pietate Patrem. Nec iam sub servitutis metu tabescimus, quando de pietate paterna confidimus. Ad totam tamen Trinitatem orationis huius verba dirigimus; quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso et nos et omnia sumus. Fatendum itaque est, ubique esse Deum per Divinitatis præsentiam, sed non ubique per habitationis gratiam. Propter hanc enim habitationem, ubi proculdubio gratia dilectionis eius agnoscitur, non dicimus: *Pater noster, qui es ubique*, cum hoc verum sit; sed *Pater noster, qui es in cælis*, ut templum eius potiùs in oratione commemoremus, quod et nos ipsi esse debemus, et in quantum sumus, in tantum ad eius societatem, et adoptionis familiam pertinemus. Si enim populus Dei nondum factus æqualis Angelis eius, adhuc in ista peregrinatione dicitur templum eius; quantò magis est templum eius in cælis, ubi est populus Angelorum, quibus aggregandi et coæquandi sumus, cùm finita peregrinatione, quod promissum est sumpserimus. Item cum dicimus: *Sanctificetur nomen tuum*, nos admonemus desiderare, ut nomen eius, quod semper sanctum est, etiam apud homines sanctum habeatur, hoc est, non contemnatur; quod non Deo, sed hominibus prodest. Et in eo, quod dicimus: *Adveniat regnum tuum*, quod seu velimus, seu nolimus utique veniet, desiderium nostrum ad illud regnum excitamus; ut nobis veniat, atque in eo regnare mereamur. Cum dicimus: *Fiat voluntas tua sicut in cælo, sic et in terra*, nobis ab illo precamur ipsam obedientiam, ut sic in nobis fiat voluntas eius, quemadmodum fit in cælestibus Angelis eius. Cum dicimus: *Panem no-*

Rom. 11. 36.

Digitized by Google

nostrum quotidianum da nobis hodie, per id quod dicitur *hodie*, significatur hoc tempore; ubi vel sufficientiam illam petimus a parte qua excellit, id est, nomine panis totum significantes; vel Sacramentum fidelium, quod in hoc tempore necessarium est, non tamen ad huius temporis, sed ad illam æternam felicitatem adsequendam. Cum dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, nos admonemus et quid petamus, et quid faciamus, ut accipere mereamur. Cum dicimus: *Nè nos inferas in tentationem*, nos admonemus hoc petere, ne deserti eius adiutorio alicui tentationi vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti. Cum dicimus: *Libera nos a malo*, nos admonemus cogitare, nondum nos esse in eo bono, ubi nullum patimur malum. Et hoc quidem ultimum, quod in oratione Dominica positum est, tam latè patet, ut homo christianus in qualibet tribulatione constitutus in hoc gemitus edat, in hoc lacrymas fundat, hinc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc terminet orationem. His enim verbis res ipsas memoriæ nostræ commendari oportebat.

CAPUT CXXXIV.

De oratione non longa.

Nam quælibet alia verba dicamus, quæ affectus orantis vel præcedendo format ut clareat, vel consequendo attendit ut crescat, nihil aliud dicimus, quàm quod in ista Dominica oratione positum est, si rectè et congruentèr oramus. Quisquis autem id dicit, quod ad istam Evangelicam precem pertinere non possit, etiamsi non inlicitè orat, carnalitèr orat. Quod nescio quemadmodum non dicatur inlicitè, quandoquidem spiritu renatos non nisi spiritaliter decet orare.

CAPUT CXXXV.

De omni petitione quod petit, qui orationem Dominicam orat.

Qui enim dicit, verbi gratiâ, *Clarificare in omnibus gentibus, sicut clarificatus es in nobis, et Prophetæ tui fideles inveniantur*; Eccli. 36. 18. quid aliud dicit, quàm *sanctificetur nomen tuum?* Qui dicit: *Deus virtutum converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus*, Psalm. 79. 4. quid aliud dicit quàm *veniat regnum tuum?* Qui dicit: *Itinera mea dirige secundùm verbum tuum, et non dominetur mihi omnis iniquitas*, Psalm. 118. 133. quid aliud dicit quàm *fiat voluntas tua in cælo, et in terra?* Qui dicit: *paupertatem, et divitias ne dederis mihi*, Prov. 30. 9. quid aliud dicit quàm *panem nostrum quotidianum da nobis hodie?* Qui dicit: *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis eius*, Psalm. 131. 1. aut *Domine, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala*, Psalm. 7. 4. quid aliud dicit quàm *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris?* Qui dicit: *Aufer a me concupiscentias ventris, et desiderium concubitûs ne appre-* Eccli. 23. 6.

 hen-

hendat me, quid aliud dicit quàm *ne nos inferas in tentationem?* Qui dicit: *Erue me de inimicis meis, et ab insurgentibus super me libera me*, quid aliud dicit quàm *libera nos a malo?* Et si per omnia præceptionum sanctarum verba discurrat, quantum æstimo, nihil inveniet, quod non ista Dominica contineat et concludat oratio. Unde liberum est aliis atque aliis verbis, eadem tamen in orando dicere; sed non esse liberum alia dicere. Hæc et pro nobis, et pro nostris, et pro alienis, atque ipsis inimicis sine fluctu dubitationis oranda sunt; quamvis alius pro isto, alius pro illo, sicut se habent propinquitates, vel longinquitates necessitudinum, in corde orantis oriatur, aut excellat affectus.

Psalm. 58. 2.

CAPUT CXXXVI.

De veritate corporis Christi in Eucharistia.

Post regenerationem nativitatis spiritalis, post gratiam cælestis unctionis, post doctrinam Dominicæ orationis, post invocationem divinæ Paternitatis, convenit iam pervenire ad participationem cælestis refectionis. Eorum enim est dicere: *Pater noster, qui es in cælis*, qui iam Patre tali regenerati sunt ex aqua et spiritu, ut confidenter petant dicentes: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Hîc ergo quia panis vivus Christus est, qui de cælo descendit, et vitam dat mundo, benè in hac oratione Dominica panem nostrum hunc ipsum Christum dari nobis quotidie petimus; ut qui in Christo manemus et vivimus, a sanctificatione et corpore eius non recedamus. Quid enim tam vult Deus, quàm ut quotidie Christus habitet in nobis, qui est panis vitæ, et panis e cælo? Hunc panem significavit manna illud, quod qui liberati sunt, post maris rubri transitum manducaverunt. Nam sicut illic, postquam mare transitum est, panem cæli, id est manna, comederunt, ita hîc post fontem, qui figuram maris habuit, comedimus carnem Christi, et bibimus sanguinem eius qui dixit: *Caro mea verè est cibus, et sanguis meus verè est potus.* Hinc Paulus dicit: *Omnes in Moysem baptizati sunt in nube, et in mari; et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt:* spiritalem utique, quia figura mannæ illius veritas fuit corporis Christi, quod nunc comedimus. Et ideo spiritaliter eadem esca est, corporaliter autem altera: quia illi manna manducaverunt, nos aliud manducamus. Adiungit autem: *Et omnes eumdem potum spiritalem biberunt.* Aliud illi, aliud nos; sed specie visibili, quod tamen hoc idem significaret virtute spiritali. Quomodo enim eumdem potum? *Bibebant*, inquit, *de spiritali sequente petra: petra autem erat Christus* in verbo, et in carne. Et quomodo biberunt? percussa est petra de virga. Bis gemina percussio duo ligna crucis significat. Percussa illic petra de virga, fluxit aqua, et biberunt. Suspenso hîc Christo crucis ligno, ma-

Ioan. 6. 51.

Ioan. 6. 56.

1. ad Cor. 10. 1.

Ex S. Aug. tract. 16. in cap. 6. Ioan.

Digitized by Google

manavit aqua et sanguis: et hæc bibimus, ut vitam æternam habeamus. Quod autem idem Dominus ait: *Qui manducat carnem meam, et bibit meum sanguinem, ipse in me manet, et ego in illo*, exposuit quid dixisset. Hoc enim est manducare illam escam, et illum bibere potum, in Christo manere, et illum manentem in se habere. Ac per hoc qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, proculdubio nec manducat eius carnem, nec bibit eius sanguinem; etiamsi tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducet, et bibat. *Ioan. 6. 57.*

CAPUT CXXXVII.

Quòd est corpus Christi intelligere, vel sanguis.

Quod ergo videtis, panis est; et calix, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant. Quod autem fides vestra postulat instruenda, panis corpus est Christi, calix sanguis Christi. Breviter quidem hoc dictum est, quod fidei fortè sufficiat. Sed fides instructionem desiderat: dicit enim Propheta: *Nisi credideritis, non intelligetis.* *Isaiæ 7. 9.* Potestis ergo dicere mihi: Præcepisti, ut credamus: expone, ut intelligamus. Potest enim in animo cuiusquam cogitatio talis oboriri: Dominus noster Iesus Christus novimus unde acceperit carnem de Virgine Maria. Infans lactatus est, nutritus est, crevit, ad iuvenilem ætatem perductus est, a Iudæis persecutionem passus est, ligno suspensus est, in ligno interfectus est, sepultus est, tertia die resurrexit, quo die voluit in cælum ascendit, illuc levavit corpus suum, inde est venturus, ut iudicet vivos et mortuos, ibi est modò sedens ad dexteram Patris. Quomodo est panis corpus eius, vel quod habet calix, quomodo est sanguis eius? Ista, fratres, ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet spiritalem. Corpus ergo Christi si vis intelligere, Apostolum audi dicentem fidelibus: *Vos estis corpus Christi, et membra.* *1. Corinth. 12. 27.* Si ergo estis corpus Christi et membra, mysterium in mensa Domini positum est: mysterium vestrum accepistis ad id quod estis: *amen* respondistis, et respondendo subscribitis. Audis ergo corpus Christi, et respondes *amen*: esto membrum corporis Christi, ut verum sit *amen*. Quare ergo in pane nihil hîc de nostro adferamus, ipsum Apostolum identidem audiamus. Cum ergo de isto sacramento loqueretur, ait: *Unus panis, unum corpus multi sumus.* *1. Corinth. 10.* Intelligite, et gaudete. Unitas, pietas, veritas carnis, unus panis, unum corpus multi.

CAPUT CXXXVIII.

Sicut de pane, sic et de vino.

Recolite enim, quia panis non fit de uno grano, sed de multis. Quando indicta est nobis abstinentia carnalis, et cœpistis relinquere conversationem gentilitatis, ut abstineretis a peccatis, mundantes vos in ieiuniis, remo-

tis

Digitized by Google

tis aliquandiu coniugibus, spectaculis, et lautioribus escis, atque ita exorcizabamini, amota vetustæ conversationis inutili palea, quam tunc molebamini: quando abiecistis paleam immundæ operationis, tunc venistis in candorem novæ confessionis. Quando baptizati estis, quasi consparsi estis. Quando Spiritus sancti ignem accepistis, quasi cocti estis. Estote quod videtis, et accipite quod estis. Hoc Apostolus de pane dixit. Iam de calice quid intelligeremus, etiam non dictum satis ostendit. Sicut enim ut sit species visibilis panis, multa grana in unum consparguntur, tamquam illud fiat, quod de fidelibus ait Scriptura sancta: *Erat illis anima una, et cor unum in Domino;* sic et de vino. Fratres recolite, unde fit vinum. Grana multa pendent ad botrum, sed liquor granorum in unitatem infunditur. Ita Dominus Christus ut significaret nos ad se pertinere, voluit mysterium pacis et unitatis nostræ in sua mensa consecrari. Qui accipit mysterium unitatis, et non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se.

Act. 4. 32.

CAPUT CXXXIX.

De ædificatione hominis per pœnitentiam, et lacrymas.

Præmissis ex toto sacramentis expletis, erit aliquibus diebus renatus homo indesinenter Ecclesiæ conventui et choris adhærens, indutus vestibus albis; agens et signum et festa sanctæ celebritatis, in qua liberatus a vetustate primi hominis, et solutus a reatu damnatæ conditionis, intret in conspectu Domini in exultatione, et inter electos suos in lætitia deducatur; memor deinceps vitiatæ naturæ, cuius etsi damnationem evasit, fragilitatem penitùs non amisit. Maneat in timore Domini, faciens voluntatem eius, diligens Deum, et delectans in illo; atque quia sine peccato esse non potest, et peccare caveat, et pœnitentiæ affectu insistens fletibus, deleri peccata semper studeat; donec divinæ bonitatis larga miseratio, sicut originale peccatum delevit in lavacro, actuale quoque deleat in lamento. Atque ita in spe futuræ beatitudinis securus solvens conditionem mortis quiescat in pace, et resurgat ex omni parte renatus, in incorruptione sua et in Redemptoris laudibus permansurus.

CAPUT CXL.

Oratio propter albas tollendas.

Domine Iesu Christe, redemptor mundi, quem verum hominem veraciter ex homine natum, Deus Pater suum Filium esse signavit, confirma in hanc familiam tuam, quòd tuo nomine signata, atque sacro liquore mundata, tuoque spiritu plena existit, etiam tuo iam corpore, et sanguine satiatam se gaudeat, atque redemptam; ut hæc sacramenta, quæ in novitatem vitæ perceperunt, ita ad usum salutis indesinenter obtineant, ut ad remunerationem beatitudinis ex hoc securi accedant.

CA-

Digitized by Google

CAPUT CXLI.

Item Benedictio.

Dominus Iesus Christus, qui vos lavit aqua sui lateris, et redemit effusione cruoris, ipse in vos confirmet gratiam adeptæ redemptionis. Per quem renati estis ex aqua et Spiritu sancto, ipse vos cælesti consociet regno. Qui dedit vobis initia sanctæ fidei, ipse conferat et perfectionem operis, et plenitudinem caritatis. Amen.

CAPUT CXLII.

Sermo dicendus ad infantes die tertia post Pascha propter albas tollendas.

Sermo ad vos est, modò nati infantes, parvuli in Christo, nova proles Ecclesiæ, gratia patris, fœcunditas matris, germen pium, examen novellum, fons nutriti honoris, et fructus laboris, gaudium, et corona mea. Omnes, qui statis in Domino, Apostolicis
Rom.13.12.13.14. verbis vos alloquor: *Ecce nox præcessit, et dies appropinquavit. Abiicite opera tenebrarum, et induite vos arma lucis; sicut in die honestè ambulate; non in comessationibus et ebrietatibus; non in cubilibus, et impudicitiis, non in contentione, et æmulatione; sed induite Dominum Iesum Christum, et carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis*, ut et vitâ induatis
Galat.3.27.28. quem sacramento induistis. *Quotquot ergo in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus, et Græcus, non est servus, et liber, non est masculus, et femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Iesu.* Hoc enim habent ipsa viscera sacramenti. Sacramentum est enim vitæ novæ, quæ in hoc tempore incipit a remissione præteritorum omnium peccatorum; perficietur autem in resurrectione mortuorum. Consepulti estis Christo per baptismum in morte; ut quemadmodum Christus surrexit a mortuis, sic et vos in novitate vitæ ambuletis. Ambulatis autem nunc per fidem, quandiu in hoc mortali corpore peregrinamini. Sed via vobis certa ipse, ad quam intenditis, factus est Christus Iesus secundùm hominem, quod pro nobis fieri dignatus est. Servabit enim multam dulcedinem timentibus se, aperturus et perfecturus eam sperantibus in se, cum id quod in spe cepimus, etiam luce
acceperimus. *Scimus, quia cum* 1.Ioan.3.2.
apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Hoc in Evangelio ipse pro-
misit. *Qui diligit me*, inquit, Ioan.14.21.
mandata mea custodit; et qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et ostendam me ipsum illi. Utique videbant eum quibus loquebatur; sed in forma servi, qua maior est Pater, non forma Dei, qua æqualis est Patri. Hanc ostendebat timentibus, illam servabat sperantibus in se. Ipse ergo vos inluminet qui redemit, ipse custodiat qui inluminavit, ut et in hac peregrinatione tutos ab omni malo defendat, et in futura remuneratione sibi glorificandos exhibeat; præstante gloriosa Trinitate, Deo nostro, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

IN-

Digitized by Google

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

DE ITINERE DESERTI,

QUO PERGITUR POST BAPTISMUM.

INCIPIUNT CAPITULA.

Digitized by Google

Digitized by Google

EXPLICIUNT CAPITULA.

CAPUT I.

De exordio hominis ad reparationem per Christum.

Ab exordio conditionis suæ per dispositionem ordinis cælestis doctrinæ præcedenti opere ostensus est homo pervenisse usque ad gratiam regenerationis divinæ. Nunc per subsequentiam operis innuitur, qualiter post baptismum ad mansionem æternæ vitæ, veluti post transitum maris usque ad terram repromissionis, per custodiam divinorum præceptorum properat pervenire; quô pateat eventum eius triformi rerum actione constare.

CAPUT II.

De reparatione hominis.

Primùm quando beatus conditus corruit deceptus. Secundò quando Mediatoris morte extitit reparatus. Tertiò quando in redemptionis munere erit perenniter gloriosus. Primò certè post exordium boni vitiata natura per deceptionem inimici venit usque ad interitum mali. Sequenter reparata natura per sanguinem Mediatoris inducitur ad gloriam regni. Sic destructum est diaboli regnum, quod valuit usque ad Redemptoris adventum. Sic factum est regnum Christi in electis eius, et permanet in æternum: quod erit tertium, et ultimum in gloria sine fine mansurum. Et primò quidem conditus beatus homo: item secundò renatus beatior homo: media eius pessima, tam omni infelicitate sordentia, quàm et iusta ultione damnata.

CAPUT III.

De morte Salvatoris, et regeneratione vitali.

Initio igitur beata eius conditio fuit:

fuit : sequens ex deceptione serpentis casus malè longèque perstitit : deinde per Salvatoris mortem reparatio grata succurrit. Quia ergo beatum exordium, succedente deceptione, non substitit, satis miseranter regeneratio vitalis accessit, ut vitiata nativitas ad interitum, haberet unde renasceretur ad lucrum.

CAPUT IV.

De Ecclesia in Christo sociata.

Sed ut esset uterus, quo homo in mortem natus ad vitam posset esse renatus, Verbum Dei incarnatum est. Atque ideo per vetustæ legis præconium olim præscitam ex gentibus advocavit Ecclesiam, quam pro ea moriens lavacro aquæ mundavit, sibique sponsam æterno fœdere consecravit. Cui in Evangelii exhibitione per redemptionis sacramentum participium sui corporis et sanguinis præbens, hanc sibi coniugem fecit, et communionis unitate coniunxit.

CAPUT V.

De adoptione filiorum Dei.

Ex hac per verbum fidei, et fœcunditatem Spiritus sancti innumeros quotidie renatos creat, quos in adoptionem gratiæ filios amplectens coheredes sibi in beatitudine æternitatis adsciscit, in huius mortalitatis ærumna docens eos de lege sua, et præcepto lu-
Psalm. 18. 9. cido inluminans oculos animæ, ut eruditos corde inducat in hereditatem iustitiæ. Quod viæ rectæ iter, per quod liberati ad possessionem regni deductione salutari ducuntur, nosse in promptu est, et loci exhibitione probabile patet.

CAPUT VI.

De liberatione post baptismum.

Itaque post liberationem Ægyptiæ servitutis, post egressionem Ægyptiæ mansionis, post insecutionem Ægyptii exercitus, post transitum sævientis maris, post interitum Pharaonis, post excidium Ægyptiæ multitudinis, post gratulationem salvationis Israëlitarum, post canticum gloriæ Dei; id est, postquam reliquimus mundum, postquam conversi sumus ad Deum, post insecutionem dæmonum, post mersionem baptismatis, post privationem diabolicæ potestatis, post dimersionem peccatorum, post exultationem indultæ salutis, post gloriam et divinæ laudationis hymnum, considerandum est quò ducimur, et per quà ducimur, reminiscentes nos attrahi et vocari per solam gratiam Conditoris ad terram repromissionis, scilicet terram viventium regionis, in qua erimus coheredes Christi, et filii regni.

CAPUT VII.

De baptizatis instruendis in sana doctrina.

Videamus certè iam nunc quomodo illa sapientia summi Dei susceptos ex aqua filios paternis doctrinis imbuat, et maternis miserationibus foveat, ut alios nescios instruat, alios teneros amplectatur.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Quòd est aqua amara, et dulcis.

Iam post transitum maris venitur ad aquas Mara. Qui locus ex amaritudine aquarum nomen accepit. Sic denique post baptismum venimus ad cognitionem legis. Et quia nisi prius cognitio habeatur historiæ, non potest spiritus intelligentia nosse, ideo ante venitur ad scientiam præcepti. Sed cum prægustatur superficies eius, quia littera occidit, amara tædet. Unde nec cursus præceptorum eius aliquid in refectione saporat, quia ad perfectionem nihil adduxit. Ordinatè igitur litteram occidentem addiscimus. Sed accepta fide intelligentiæ spiritalis, et ligno crucis passionis immixto, vertitur in dulcedinem fidei; et quicquid illa favente amarum fuit, piè intelligendo dulcescit.

Exod. 15. 23.

Hebr. 7. 19.

CAPUT IX.

De duodecim Apostolis, et septuaginta Discipulis.

Ibid. 27. Inde venitur ad duodecim fontes aquarum dulcium, et septuaginta palmarum, quæ nobis ostendunt duodecim Apostolos, et septuaginta Discipulos ordinis secundi, de quibus Dominus binos ante faciem suam legitur præmisisse. Ex quibus fontibus et palmis doctrinam potamus, et dulces fructus victoriæ sumimus. Unde et Elim, quod est nomen mansionis eius, vertitur in *arietes fortes*. Ipsi namque sunt gregum robusti principes, et duces ovium, id est, doctores gentium. Debitè itaque venitur ad gratiam Evangelii, quæ nobis per Christi discipulos et suavitatem regni cælestis attribuit, et victoriam de nequitiis spiritalibus concedit.

Luc. 10. 1.

CAPUT X.

Quòd celeri compendio per iter Evangelii veniatur ad regnum.

Omnis dehinc quæ sequitur diversitas mansionum singillatim digeretur ostensione mysteriorum. Sed quia iam a sanctis Patribus digesta tenetur, Evangelicæ gratiæ nobis est advocatio exequenda; in qua invenimus præstantiorem viam celeriori salutis compendio præparatam: quæ non nobis quadraginta annorum spatio inter pericula, hostiumque discrimina hereditatis adsumendæ requiem differat; sed in eo, qui ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et ego vos reficiam: tollite iugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris*, velox et facile remedium Salvatoris accommodet.

Matth. 11. 28. 29. 30.

CAPUT XI.

De attendenda actione liberationis humanæ.

Attendamus iam actionem liberationis nostræ. Et ita demum consideremus viam itineris tendentem ad beatitudinem mansionis. Dicit ipsa veritas: *Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis*. Ecce iam vera libertas, quia vocati ad gratiam Redemptoris, quasi Ægypto, et Pha-

Ioan. 8. 36.

Digitized by Google

Pharaone relicto, Zabuli, et peccatorum admisimus servitutem. Transivimus more baptismatis, in cuius sacramento cuncta commoda nostræ salutis cum nobilitate libertatis accepimus. Venimus ad discursum vitæ præsentis, et proficiente ætate percipiendæ scientiæ operam damus: sic per cognitionem legis amaritudinem occidentis litteræ attentamus. Cuius legis idem, qui et Evangeliorum, unus auctor est Deus.

CAPUT XII.

Quòd non immoratur in lege, si spiritaliter intelligitur.

Quam tamen legem spiritaliter intelligendo, non immoratur in amaritudine eius, sed citò properamus ad doctrinæ aquas, et victoriæ palmas, ubi per Apostolos ubertate doctrinarum cælestium satiamur, et spiritalis gloriæ triumphis attollimur.

CAPUT XIII.

De inlucescente Evangelii lumine.

Luc. 1. 79. Inlucescat nobis sedentibus in tenebris, et umbra mortis lumen Evangelicum, quod inluminat o-
Ioan. 1. 9. mnem hominem venientem in hunc mundum; quod iam non nobis occidat inter occursus tentationum, sed luceat semper conlatione miserationum inlapsum.

CAPUT XIV.

De præparativa Incarnationis, quæ perducit nos usque ad incommutabilem veritatem Deitatis.

Efficitur nobis via per susceptionem carnis, qui consistit vita per vigorem æternitatis; perducens nos usque ad dulcedinem perennis et incommutabilis veritatis.

CAPUT XV.

Quòd in eremo sanctæ vitæ delectatio non invenitur voluptatis immundæ.

Contemplemur iam hoc prosperabile iter, quod a sanctis agitur in deserto, et cum illis pari eorum imitatione ducamur. De his dicitur, qui post transitum maris rubri per deserta pergentes secundùm veram promissionem Dei se venire confidebant ad repromissionis terram. Cumque omnis populus ex sanctorum multitudine et sceleratorum unitate concretus pariter protectione Dei incederet, Scriptura tamen sacra ex meliori parte sanctorum, de quibus dicitur: *Oculi Domini su-* Psalm. 33. 16.
per iustos, tacitis iniquis, solam narrat actionem beatitudinis. Ingrediamur ergo et nos cum his iustis, de quibus dicitur: *Iter fe-* Sap. 11. 2.
cerunt per deserta, quæ non habitabantur, illa certè, quæ habitationes non habeant voluptatum, ubi non sint mansiones corruptionum, ubi non terrena felicitas ad interitum mulcens, ubi nullæ oblectationes quæ ad terram viventium properantes præpediunt viatores: qui *in locis se-* Ibid.
cretis fecerunt casas, quia mentis requiem in contemplationis abdito posuerunt, non incauta obstinatione sese hostibus obiectantes, sed salutari provisione expedibilium se consiliorum secreto tutantes; ubi non eos vana gloria ad

Digitized by Google

ad perniciem ostentaret, sed unde vera humilitas ad interitum
Ibid. 3. superborum educeret: qui *steterunt contra hostes*, quia inflexibilem vigorem animi contra tentationum impetus erexerunt, nulla præsentis vitæ mollitia delibuti, in acie spiritalis belli numquam deflexi ab statu sanctæ intentionis ante impetum aëriæ po-
Ibid. testatis: atque ideo *de inimicis se vindicaverunt*, quia per arma iustitiæ muniti a dextris et sinistris, non sunt gloriâ prosperitatis elati, non adversitatis pondere pressi. Inde vindicaverunt se, quoniam expugnationem inimicorum, sui salvationem obtinuerunt; et unde adversitas vitiorum depulsa interiit, inde convulsa salus san-
Ibid. 4. ctorum militum stetit. Qui *sitierunt, et invocaverunt Deum*, quia igne charitatis ardentes sitienter invocabant quem veraciter amabant. Magna in illos sitis amoris efferbuit, quam invocatio Dei remuneratione refectionis infusit. Quantò enim fervens amor in Dei dilectione extitit, tantò calor gratiæ solatium in refrigerio
Ibid. occurrit. Unde et *data est illis de petra altissima aqua*; quia quod in se ardore dilectionis erexerunt, tota ad fluenta altissimæ petræ, id est, spiritalis gratiæ pervenerunt, et omnem bonorum desideriorum sitim perventa felicitate potarunt. Quibus et
Ibidem. *fuit requies de lapide duro*, id est forti; quia quicquid fluidum fuit ignis charitatis exurit, quicquid fragile amoris incendium roboravit, quicquid bene desiderabile beata his æternitas solidavit.

CAPUT XVI.

De congressione eremi sanctæ vitæ.

Ita denique aggredimur desertum sanctæ vitæ, in quo desiccatis omnium carnalium voluptatum humoribus, nihil inveniemus quod sit per contrarium pulchrum oculis, aspectuque delectabile, in quo cum arbitrii manus extenderimus, cogitationumque fuerit palato gustatum, in antiquam perniciem retrahat ad æternam munditiem iam renatos. Non erit illic in quo oculorum visio aspectu lascivo vagetur, cum indesinenter dixerimus: *Oculi no-* Psalm. 122. 2.
stri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Non erunt aures lethalibus susurris avium immundarum inlectæ, quæ cordis quietem aut malè inquietando perturbent, aut malè demulcendo in torporem oblectent, cum meditatum fuerit:
Ego dormiam, et cor meum vi- Cant. 5. 2.
gilet. Non erit odoratus spiramentis fluxæ delectationis infectus, cum amore sponsi ardentes dixerimus ad eum: *In odo-* Ibid. 1. 3.
rem unguentorum tuorum curremus. Non erit gustus antiquæ putredinis acore corruptus, cum guttur gratiæ saporatum erupe-
rit: *Quàm dulcia faucibus meis* Psalm. 118. 103.
eloquia tua super mel ori meo! Non lingua scurrile mendum detrahendumque coniiciet, cum refectionem gratiæ sentiens dixerit:
Repletum est gaudio os meum, Psalm. 125. 2.
et lingua mea exultatione. Non cor fluxu cogitationis elanguet, cum fuerit omni custodia conservatum. Non tactus sordentis ope-

operationis immunditiem attrectabit, cum verè depromptum
Psalm. 25. 1. fuerit: *Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine.* Non gressus animi luti gurgite cohærebunt, cum intentio solida dixe-
Psalm. 39. 3. rit: *Statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos.* Non corpus aëris blanditiis licenter appetet refoveri, dum
Psalm. 22. 1. constanter adstruxerit: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit.* Non incommoditatis licentiosa remedia quærentur, cum attentè
Psalm. 26. 1. dictum fuerit: *Dominus inluminatio mea, et salus mea.* Non indigentiæ refectio appetitu lautiori vitiosa quæret, cum vera
Prov. 10. 3. confidentia adclamarit: *Non occidit Deus fame animam iusti.* Non mœstitia beatitudinem extinguens animam deiiciet, cum hilaritas mentis eruperit in iubi-
Psalm. 83. 3. lo exultationis: *Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Non prosperitatis attentabitur oblectatio mulcens, cum sola delectatio in Deum fuerit
Psalm. 15. 5. tota voluntate dicentis: *Dominus pars hereditatis meæ.* Postremùm nihil de mundi solatiis affectabit qui cum Paulo dixerit:
Galat. 6. 14. *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini mei Iesu-Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Omnis quoque interioris hominis voluptuosus humor, et arvina putridæ operationis, tumorque turgidæ mentis uno et salutari purgabuntur ac desiccabuntur antidoto, cum dicentis Domini fuerit præ-
Luc. 9. 23. ceptum impletum: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum sibi, et tollat crucem suam, et sequatur me.*

CAPUT XVII.

De signis, et ducatu deserti.

O! quàm beatus populus tale gradiens per desertum, in quo Redemptorem suum habens ducem, hunc solum sequitur, hunc attendit, tollens crucem vel Domini sui, vel suam; quæ tunc erit Domini sui, cum in eius fide omnem aëriæ potestatis expugnaverit triumphando; tunc autem sua, cum ad imitamentum passionis Domini sui carnem suam cum vitiis adfixerit clavis timoris. Ita imperterritus vastitatem eremi pertransibit, quia lux illi præveniens gratia miserantis, dux eius ipse Redemptor, signum victoriæ gloria crucis, protectio iugis subsequens misericordia redimentis.

CAPUT XVIII.

Quòd sol iustitiæ, qui lumen infundit, ipse humorem voluptatis exhaurit.

Ecce sol iustitiæ, qui inluxit nobis, ut in lumine suo recto itinere gradiamur, ipse in calore suo omnem fluxum humoremque sauciæ voluptatis exhausit; ut qui iam quò rectò gradiamur agnovimus, nullo corruptionis fluidæ tactu tardemur. Sic itaque austeritatem diligant deserti, qui amœnitatem desiderant vitæ. Sic delectentur in afflictione carnis, quorum anima Dominum magnificat, et in Deo salutari suo spi- Luc. 1. 47.
ritus exultat. Sic tota eremus vitæ

Digitized by Google

tæ præsentis mundi destituta solatiis, spe futuræ consolationis amabitur, quoniam ad patriam beatorum non meliùs, non celeriùs itur quàm per angustias passionum, dicente Paulo: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom. 8. 18.

CAPUT XIX.

Quòd per solam gratiam Dei possit homo salvari.

Iam quia salutaris eremus iustitiæ inlustrata lumine, et acta calore patuit, nunc in labore viatoribus, sed in refectione æternis civibus iter præbens; videamus delitias, quas illis in ea dux eorum per conlatum sancti Spiritus pignus in solatium administrat; ut omnis homo suæ impossibilitatis consideratione commonitus, destitutum se propriis meritis agnoscens, in Deo solo spem ponat, qui et velle præparat, et posse donat; qui non merentibus gratuitò dat merita, quibus restituat dona; qui primò misericordiam tribuens dat substantiam bonorum operum, et post largitur munera præmiorum; qui facit in sua servitute unde placeat sibi serviens, quem postea muneretur ad regnum vocans.

CAPUT XX.

De attendendo refrigerio æternitatis propter donum consolationis præsentis.

Tunc proinde acutissima quisque, in quantum valet, mentis acie admiranter spectet, quod illic refrigerium æternitatis dabit, quando tam multum hic temporis solatium tribuit: quid illic exultationis erit in munere, si tantum hic consolationis datur in pignore: quæ nobis gloria de perventione, si tanta exultatio in spe: quæ nobis iucunditas æternæ amabilitatis amplexu habere et aspicere Redemptorem, si tanta salus est habuisse redemptionem.

CAPUT XXI.

De affectibus, quibus beatitudo desideratur æterna.

O Domine! da illum ignem, quem misisti veniens in terra, et quem vis ut ardeat. Luc. 12. 49. Da ardere charitatis igne, da lucere obedientiæ splendore, da fervere dilectionis amore, da inter pericula interitum non habere, da de periculis feliciter exire, da ad tuam dulcedinem festinare, da ad tuam visionem tranquillè venire, da tuæ visionis manifestatione perenniter satiari, da te in sæculorum æternitate sine fine laudare. Sollicitis certè mentibus iam illud est considerare, quòd istud est promereri: illud expectare, quòd istud habere: illud evidentissimè percipere, quòd istud veraciter percepisse.

CAPUT XXII.

De descriptione voluptatum, quarum humor non invenitur in sancto deserto.

Extinguendorum iam spiritalium morborum virus, quod nullo voluptatum madente humore in

in hoc deserto vel oboriri poterit, vel fluere, bene singulis speciebus quodammodo insipienti ægroto, cuius ægritudo quantò ignota inde deterior, sapiens ille Apostolicus sermo describit: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, invidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes, et his similia, quæ prædico vobis, sicut et prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur.* (Galat. 5. 19. 20. 21.)

CAPUT XXIII.

De dapibus spiritalibus mentis stomacho præparatis.

Reiectis exhinc nauseis talium humorum, et ventre mentis sordenti putredine liberato, tranquillo et apto iam in appetitum salutis stomacho præparato, idem Apostolicus sermo opulentam virtutum dapem apparatu piæ administrationis apponit consequenter, et dicit: *Fructus spiritus est caritas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, patientia, mansuetudo, modestia, continentia, castitas: adversus huiusmodi non est lex. Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis. Si vivimus spiritu, spiritu et ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* (Ibid. v. 22. usq. ad 26.)

CAPUT XXIV.

Quòd multis charismatum donis nos in hac peregrinatione reficiat Christus.

Sunt quoque et præcedentia charismatum dona, quibus pariter cum his sanctus Spiritus in hac peregrinatione nos reficit, quem dedit nobis Christus in pignore pietatis, ut deficientes non habeat in via, quos reficiendos deducat in patriam.

CAPUT XXV.

De Sacramento luminis.

Lumen scilicet cognitionis suæ, de quo dicimus ad Patrem, *et in lumine tuo videbimus lumen:* (Psalm. 35. 10.) quoniam in cognitione Christi, qui lumen est, videbimus lumen, Patrem luminis genitorem. Et ita verè est, quia qui habet Filium habet et Patrem, et quia nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. (Matth. 11. 27.) Vel quia etiam dedit nobis sanctæ intelligentiæ lumen, in quo possimus mandata illius perscrutari, et fructum perscrutationis eius adiutorio invenire.

CAPUT XXVI.

De Sacramento olei.

Oleum sanctificationis, quo unctionem accipimus lætitiæ spiritalis, de quo dicente Propheta: *Computrescet iugum a facie olei,* (Isai. 10. 27.) cum infusionem eius accepimus, iugum peccati, quod animæ collum pressit, putrefactum evanuit.

Digitized by Google

CAPUT XXVII.

De Sacramento panis.

Panem cælestis mannæ, quem in sui corporis veritate signavit
Ioan. 6. 33. dicens: *Hic est panis, qui de cælo descendit, et vitam dat mundo.*

CAPUT XXVIII.

De Sacramento aquæ.

Aquam vitæ, quæ ex percussura virgæ fluxit e petra, præbens significantiam, quòd duorum lignorum crucis formæ corpus Christi suspensum vitale nobis poculum emanaret, quod et in aqua lavationem baptismatis ostenderet, et in sanguine remissionem peccatorum efficeret. Inest quoque illic viror ramorum, quæ consideratione sui umbram anxiùs ferunt, doctrinæ foliis scientiam parant, pomis refectionem intelligentiæ administrant, viriditatis aspectu æternitatem commendant.

CAPUT XXIX.

De significantia virgæ.

Ibi virga carnis Christi, quæ post siccitatem mortis floruit: quia postquam de radice Jesse in passione succissa est, vivaciùs mortificata reviruit, habens eadem caro in virga super omnia regnandi potentiam, et in flore pulchritudinis resurrectionis, et redemptorum universitatis gloriam demonstratam.

CAPUT XXX.

De significantia floris, et lilii.

Ibi flos campi, et lilium con- Cant. 2. 1.
vallium: quia idem Christus de surculo virginalis corporis exortus mundi decus enituit, et humilitatis virginum gratia præfulsit.

CAPUT XXXI.

De significantia vitis.

Illic vitis illa evangelica proprio Ioan. 15. 1.
veritatis testimonio ostensa, quæ toto mundo patens se vitam in se credentibus præbet, et in se credentes ad æternitatem vitæ in se palmites habet; cuius uvæ sanguis pretium mundi est, redemptio fidelium, abolitio delicti, et præmium regni.

CAPUT XXXII.

De significantia malogranati.

Ibi malogranatum illud nobilitatis Ecclesiæ, quod in granis fidelium adstricta unitate diversum est: quod meritorum mansione divisum, et fidei est unitate compactum: quod Christi sanguis titulo rubet, et durabilis beata æternitate subsistit.

CAPUT XXXIII.

De significantia ficus.

Necnon et ficus, legisque primitivos grossos Judæorum abiiciens, ad dulcedinem Evangelii tempore gratiæ credentes subsequenter adduxit.

Digitized by Google

CAPUT XXXIV.

Quòd gentilitas, vel infructuosa anima desertum dicantur.

In hoc deserto et verbis, et mysteriis propheticis commendata inveniuntur stagna, et rivi aquarum, quæ sive ad gentilitatem, sive ad infœcundam animam referatur, illa est quæ per inutilitatem sine fructu fatiscens in pulvere consistit, ac postea sanctæ prædicationis fluenta, et doctrinarum rivos erumpit. Cui etiam solitudini adhuc danda ex magno munere promittuntur.

CAPUT XXXV.

De significantia cedri.

Ex D. Greg. *lib.* 1. *in Evang. Hom.* 20. §. 13. ex quo loco capita sex quæ sequuntur, desumpta sunt.

Cedrus illa magni odoris, quæ in sanctis virtutes, et signa in operatione exhibens cum Paulo dicit: *Christo bonus odor sumus Deo*, tanto ad æternitatis memoriam laudabilior, quantò et a putredine corruptionis gratior invenitur et purior.

2. *Corinth.* 2. 15.

CAPUT XXXVI.

De significantia spinæ.

Spina doctrinæ spiritalis, quæ dum de peccatis ac virtutibus disputat, atque modò æterna supplicia minatur, modò cæleste gaudium promittit, ita cor audientium pungit, ut dolore compunctionis perforata mentem per oculos quasi quemdam animæ sanguinem lacrymas elicere cogat.

CAPUT XXXVII.

De significantia myrti.

Myrtus temperantiæ virtutem habens, ita ut dissoluta membra restringat. Hæc dum afflictis proximis compassione miserationis vel opem defert, vel consolationis eloquium impendit, ad spem salutis reparat, quod pressuris inlisum dissolutè atteri potuerat.

CAPUT XXXVIII.

De significantia olivæ.

Oliva miserationis, quia et Græcè ἔλεος misericordia dicitur, cuius liquor ante conspectum Dei acceptabiliter satis fructu miserationis elucet.

CAPUT XXXIX.

De significantia abietis.

Abies contemplationis, quæ intra sanctam Ecclesiam in terrenis corporibus posita iam cælestia contemplatur: et licèt sit ortus eius ex terra, iam tamen contemplando verticem montis tollit in æthera.

CAPUT XL.

De significantia ulmi.

Ulmus potentiæ sæcularis, quæ terrenis curis inserviens, licêt nullum fructum inferat virtutis spiritalis, sanctos tamen viros donis spiritalibus plenos sua largitate sustentans, quasi vitem cum fructibus condigna portat.

CAPUT XLI.

De significantia buxi.

Buxus viriditatis perennis, quæ cum nec altitudinem habeat, nec fructum ex ætatis infirmitate afferat, parentum tamen fidelium credulitatem sequens fidei semper viriditate perpetua hilarescit.

CAPUT XLII.

De significantia pini.

Pinus, quæ in altum sancta intentione sustollitur per acumen foliorum, doctrinæ verbis mentes excitans auditorum, nullius temporis adversitate æterni desiderii viriditate nudatur, pomum intelligentiæ in abditis servans, quod nisi magna discentis intentio quodam bonorum studiorum malleo penetraverit, otiosis facilè non patescit. Cum autem in sumptum intelligentiæ fuerit exemptum, et fauces in eloquio saporat, et stomachum mentis in virtutis intellectu confirmat, proferens resinam in sudore tolerantiæ de corporis passione, quæ proximorum iniecta vulneribus, et ulcus in salute curat, et olfactu in opinione bona conflagrat.

CAPUT XLIII.

De significantia cedri, et cupressi.

Cedrus pariter et cupressus, de
Cant. 1. 16. quibus dicitur: *Tecta domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cupressina*, hæc innuunt, geminam videlicet dilectionem Dei et proximi, quæ in sanctis, qui sunt habitaculum Dei, per sanctum Spiritum desuper concessa monstratur, ut in Ecclesiæ sublimitate aliud dilectio Dei constet in protectionis virtute, aliud dilectio proximi hæreat in decore.

CAPUT XLIV.

De significantia calami.

Ibi calamus doctrinæ spiritalis aqua nutritus, usque adeò gratiam obtinens dignitatis, ut in verbo Dei proficiens et ipse scriptor, velut doctor, aut prædicator fiat.

CAPUT XLV.

De significantia iunci.

Ibi iuncus eadem doctrinæ gratia educatus, qui licèt ad hoc provehi non valeat, ut calamus scribens, id est, doctor prædicans fiat, quia tamen obedientiæ virtutem servat, et iuri discendo proficit, et viriditatem usque ad remunerationem servat.

CAPUT XLVI.

De significantia lilii, rosæ, et violæ.

Est quoque candidum lilium flos virginum, rosæ purpurantis sanguinis Martyrum, violæ gratia continentium.

CAPUT XLVII.

De significantia hyssopi.

Hyssopus verborum Dei vim purgatoriam habens, quæ adspersa tumori mentis omne quod in illa turget, præcepti austeritate arescere facit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XLVIII.

De significantia sinapis.

Matth. 13. 31. Ibi sinapis illa regno cælorum similis, semine, vi, culmoque sublimis, cuius in seminibus adeò diminutio spectabilis, quia incrementorum spe cùm proceritate superet olera, quædam transgreditur et arbusta. Satio eius humilis, maturitas excelsa. Forma seminis indesecabilis. Integrum tantùm nihil redolet, attritum odore saporeque intolerabile. Culmo procera adeò ut sit avibus cæli habitatio fida. Innuit fidem, quæ cælorum est regnum, quod despicabiliter seritur in humilitate docentis. Quæ cum sola attenditur, contemptibilis vilisque putatur. Iam si consideretur attentè, primò non recipit sectionem, quia non habet hæresum scissuram. Secundò lene palpatu, quia iugum Christi suave, et onus est leve. Tertiò intentione tractatuque spiritus confricata ingens odore, ingensque sapore perflagrat, ita ut cogitans de illa
Eccles. 7. 24. rectè dicat: *Quæsivi sapientiam, et ipsa longè recessit;* quia cum sollicitè de illa tractatur, impenetrabilium secretorum vigor aspicitur. Succrescit quoque robore sui, attingens præmia futurorum, quæ adipiscuntur animæ fidelium, quasi cæli aves in ramis virtutum eius habitationis soliditatem habentes.

CAPUT XLIX.

De significantia montis, quòd est Christus.

Ibi aspicitur mons ille solus supra verticem omnium montium
elevatus, qui ex lapide sine ma- Dan. 2. 35.
nibus abscisso crevit, omnemque orbem terræ replevit: id est, cum Verbum caro factum sine opere coniugali ex veritate humanitatis genitum, replevit orbem, quoniam super omnia regnum eius excrevit. Omnes quoque montes celsitudine transiit, quia super angelicam excellentiam sublimatus in paterna sede consedit.

CAPUT L.

De significantia Sion, quòd est Ecclesia.

Ibi eminens mons Sion, qui in huius eremi, peregrinationis scilicet vitæ præsentis longitudine positus est, ut in eo promissionem speculemur cælestium rerum. Unde et Sion speculatio dicitur.

CAPUT LI.

De significantia Libani.

Ibi Libanus non ille, cuius succiditur saltus ad interitum super-
borum, sed de quo dicitur: *Odor* Isai. 60. 13.
Libani ad te veniet, sanctarum videlicet animarum coram te delectabilis operatio redolebit.

CAPUT LII.

De significantia lapidum.

Ibi lapides vivi Petri ore notati, nulla vitiorum mollitie cæsioni subiecti, sed caritatis ardore ad æternitatis officium solidati, de
quibus dicitur: *Accedentes ad* 1. Petr. 2. 4. 5.
Dominum lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum, et honori-

rificatum, et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini domus spiritalis, sacerdotium sanctum, offerentes spiritales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum.

CAPUT LIII.

De avium spiritalium solatio.

Quin etiam distincta pulchritudine montium ac nemorum, quæ et viriditatis, et fructuum consolationem perventuris ad æternam requiem exhibent in ostensione virtutum, adsunt quoque et bonarum avium considerationes perspicuæ, quæ viatorem Dei vel dulci melos refovent, vel gratiæ aspectu iucundant, manentes in solatium viatori, angoremque itineris protectionis comitatu solantes.

CAPUT LIV.

De significantia columbæ.

Columba scilicet in Evangelica simplicitate innocentiæ pollens, quæ cum carnis fel non habeat, iræ quoque et indignationis amaritudine caret: in cuius specie
Math. 3. 16. supra Christum Spiritus Patris venit, et cui iubet idem suos discipulos similes esse, dum dicit:
Math. 10. 16. *Estote simplices sicut columbæ;* servare præcipiens mansuetudinis simplicitatisque virtutem, ira, et indignatione, simulque malitia discedente.

CAPUT LV.

De significantia pelicani.

Pelicanus unicæ solitudinis, videlicet idem Christus virginalis generationis singulari utero editus, qui insolitè generatus solus virgineæ solitudinis est habitatione retentus.

CAPUT LVI.

De significantia nocticoracis.

Nocticorax domicilii ruinosi idem Dominus, qui inter ingruentia passionis tenebrosa perfidiæ caligine persequentium corda contemnere non apposuit, dum pro eis et inter supplicia Patrem oravit, habitans inter eos usque ad exitum passionis, et victoriam mortis.

CAPUT LVII.

De significantia passeris.

Passer unicus ædificii cælestis ipse utique Christus, qui postquam in ruinosi populi tenebrosis operibus passionem sustulit, in libertate resurrectionis sedem cælestis gloriæ repetivit.

CAPUT LVIII.

De significantia aquilæ.

Aquila protectionis divinæ, quæ
dicit: *Suscepi vos tamquam pul-* Exod. 19. 3.
los, tamquam sub alas aquilæ, et applicavi vos ad me, et expansis manuum alis in cruce credentes suscipiendo protexit, atque post occasum mortis corporeæ, ascensionis volatu cælos ascendit: in Ioanne quoque cælestis eminentiæ avolans ad Patrem pervenit, et quid de Verbo Dei cognoverit, mundo denuntiat.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LIX.

De significantia fulicis.

Fulis, cuius domus est petra, quæ domus passerum dux est. Christus enim petra, qui est requies, quiescendi soliditas fixa, sanctis omnibus dux est ad æternæ introitum vitæ.

CAPUT LX.

De significantia turturis.

Turtur ecclesiastica, quæ nidum sibi de lignis crucis construens reponit in eo sub calore fidei credentes quosque parvulos coalendos, donec educati in fidei mansione possint ad hoc pervenire, ut similitudinem passionis valeant tollere crucem Christi, et eumdem Dominum sequi.

CAPUT LXI.

De significantia hirundinis.

Hirundo illa perspicax, linguaque nitenti sono opportunè importunè prædicans, pigros excitat, quæ libertate contemplationis vividæ volans nulli rapacissimæ dæmoniosæ avi præda cognoscitur; industria sancti operis nidum construens mentis, ubi dum cogitationum pullos in proximorum amabili societate, velut in hominum domo fovet, post ad volatum perfectæ virtutis opus dirigit actionis.

CAPUT LXII.

De significantia gallinæ.

Gallina Evangelica Domini est similitudine et ore prolata: gratum mansuetudine genus, progenie lucrosum, et in fœtibus pium, studiosè filios fovens, studiosiùs educàns. Non enim in fœtu variatur ut perdix, non fovenda relinquit ut phasis; sed suis strenua genitis cum portaverit escam, sedula voce parvulos adsciscit, quos secum indivisè trahens nec frigoris, nec famis sinit ærumna terreri. Per huius speciem pietatem suam Dominus præferens infideli plebi loquebatur dicens: *Hierusalem, Hierusalem, quotiens volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alis suis, et noluisti. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta;* unde quia non erit sub alis protectionis Dei. . . . . . Matth. 23. 37. 38.

CAPUT LXIII.

De significantia phœnicis.

CAPUT LXIV.

De significantia serpentis utriusque.

. . . . ad Redemptoris visionem erecta constiterit: quoniam cum exaltationem eius in cruce conspicimus, tunc in defensionem nostram super aspidem peccati, Psalm. 90. 13. et basiliscum mortis eum ambulasse, leonem quoque diabolum, atque draconem Antichristum conculcasse sentimus. Hæc certè cuncta per victoriam passionis eius superata sunt, et extincta cunctis nobis, qui passionis eius conformes effecti nos mundo, nobisque mundum agnoscimus crucifixum.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LXV.

Item significantia serpentis.

Est quoque et alius connexus eidem suo capiti serpens, qui dum ad vitam in specus foramine fidei caput abscondit, corpus in mortis passione concedit, exuens se tunica conversationis vetustæ, ut ambulare possit in novitate vitæ.

CAPUT LXVI.

De significantia utriusque leonis.

Sæviat licèt leo, qui circuiens
1. Petr. 5. 8. quærit quem devoret, nobiscum tamen semper ille est ex tribu
Apoc. 5. 5. Iuda victor leo, qui tam libenter nos de illo defendit, quàm illum ipse potentialiter vicit.

CAPUT LXVII.

De significantia lupi, et ovis.

Ingruat licèt lupus, qui mortis faucibus anhelat semper in prædam, adest nobiscum pro nobis contra illum obsistens ei ovis illa
Isai. 53. 7. non aperiens os suum ad occisionem ducta, vestiens ac muniens nos contra impietatis iacula et frigus lanis miserationis, et calore caritatis, et in expugnatione pugnantis.

CAPUT LXVIII.

De significantia agni.

Stat et agnus ipse immaculatus, qui quoniam non habet peccati maculam, inde lupi, et leonis
Psalm. 57. 7. huius molas confringens, non sinit corpus suum attingi morsibus eius. Effuso namque sanguine suo extinguens vigorem, quo ille devorare animarum vitam, quasi bibere sanguinem, solitus erat, dum innoxius immolatus in mortem occubuit, illius voracitatem pariter et rabiem extinxit, sanguinis sui effusione sitim occisorum sanguinis non inrigans, sed extinguens; non humidans, sed necans; non temperans, sed absorbens; ut cum ille noxium animarum sanguinem insatiabiliter hauriret, iste innoxium effundens, devorantem et haurientem pariter exhauriret.

CAPUT LXIX.

De significantia cervi.

Est et cervus viam præceptorum Dei fidei rectitudine currens, qui non habet vulpis hæreticæ flexum, de quo dicitur: *Rectus cursus cervi, vulpeculæ autem flexuosus.* Qui asperitate linguæ serpentem perimit, quia invectione doctrinæ in audientium cordibus peccati vigorem occidit; qui desiderat ad Psalm. 41. 1.
fontes aquarum, ut perveniens ad Deum vivum, visionis eius æterno refrigerio animetur.

CAPUT LXX.

De significantia hinnulorum capreæ.

Capreæ quoque duorum populorum hinnuli, qui se per humi- Cant. 4. 5.
litatem quidem veraciter peccatores agnoscunt, sed per caritatem currentibus nihil sibi de impedimento temporalitatis obviare persentiunt. Nam contemplationis

nis ardua petentes, liberè in sublimibus amoris saltibus conscendunt. Qui cum ad compassionem proximorum deiicere se videntur, nullo præcipitationis lapsu læduntur, quia piæ virtutis cornibus se excipiunt, ne in periculis proximi labantur.

CAPUT LXXI.

De significantia equi.

Est et equus, non ille qui in sui confidentia superbum suscipit ascensorem, cum quo præcipitatur Exod. 15. 1. in mare; sed ille speciosus in certamine, qui contra aërias potestates impigro nos exercitio fert, et in nomine Domini nostri magnificatos a periculis eruit.

CAPUT LXXII.

De felicitate sancti deserti.

O beatum desertum! in quo non pedibus corporis, sed cordis motibus itur: in quo non rei ambitio, sed consideratio quæritur; ubi gradiens animus non lassatur, quia nec crurum poplite iter expletur; ubi non desideratur quando refectio mittetur, sed quando refectionis perfectio inveniatur; ubi quodlibet aliud non est, quàm quod præmium erit; ubi concordia sensuum ita perseverantiæ statu ad laboris finem anhelat, ut nulla hanc actio laboriosa præpediat; ubi nulla fit oblivio futuri, quamvis multa sit pressura imminens de præsenti; ubi iam de remuneratione aliquid gustatur, quando in pondere passionis constantia immota tenetur; quam non fœcundat voluptatum humor, sed caritatis calor; cuius viriditas non voluptuosis humoribus infusa, sed ferventibus sanctæ custodiæ studiis est nutrita; cuius durabilitas non otiorum interiectionibus, sed iugi intentione servatur; ubi odor bonæ actionis nullo dissipatur flatu violentiæ sæcularis; ubi gratus aspectus nullo impeditur hebetudinis obiectu; ubi sanctus labor non fastidit tolerantiam operis; ubi omnis sancta actio iocunditas, ubi otiositas execrabilis et nulla. Non est sic ardua, ut sit et pavenda. Sic autem innoxia libertatem grata nescit inquinamentis admixta. Grata pariter est, et arcta: grata desideriis præmiorum, arcta prohibitione peccaminum. Quicumque æterna amat in hac avidus currit. Quicumque temporalibus hæret, hanc compeditus nec aggredi pertimescat. Ibi certitudo salutis adversa amat, otii verò tranquilla prosperitas enervat. Ibi fortis dilectio ut mors; quia quem Cant. 8. 6. divinitatis amor afflaverit, actio mundialis mortificatum habet. Omnis illic viator caritate vulneratus currit, et ad præmiùm vulneris ardenter agitur stimulis caritatis. Terreno constituta sinu, cælesti delectatur adnisu. Mortali vegetata tempore, mortali potitur amore: et inde ad immortalitatis gloriam liberè tendit, unde mortificationem corporis veraciter adsumit. Pervia illa est sacrorum vestigiis animorum. Omnis illam futurus bonæ patriæ civis sexu congreditur, ætate appetit, tempore intrat, opere agit, intentione urget, amore complectitur. Maiores natu cum Mosen,

Digitized by Google

et Aaron per instantiam servitutis sanctæ nitent internæ gloriæ claritate. Iuvenes per exercitium operis bella tentationum subigunt spiritalibus armis. Mulieres cum Maria in tympano attenuatæ carnis divinæ gloriæ personant hymnis, instructæ usibus virtutis, ut per virorum fortium viam sit illis liberum ambulare. Quæ ideo non refugiunt tentationum incursus hostilium, quia vigore animi cohærent societati sanctorum; et inde non separantur duri itineris labore, quia pares sunt intentionis sanctæ congressione. Non queruntur de imbecillitate propria, quia per mollitiem corporis operationem exerunt virtutis. Delicatum sibi nihil ex mollitie deputant, quando et corpora suscipiendis persecutorum gladiis parant. Nihil tenerum de sexu sentiunt, quando totum ad victoriam gloriæ duruit, quod molle oblectabiliter fuit. Non erit de cuiuscumque proposito vel honore, sexu vel ordine, persona vel genere, quem non in peregrinatione mortalitatis huius eremi sanctæ istius mansio vel tutandum suscipiens teneat, vel itinere salutari ad mansionem æternæ beatitudinis mittat. Instat enim illic omnium capacitas ordinum, nullius rei a se reiecta conditione; quæ in eam rationabiliter vegetatur, sapienter vivit, in Dei dilectione consistit, et ad laudationem æternitatis divinæ pertendit. Nam cum sit in Pontificibus exemplum beatè vivendi et celsitudo gloriæ cælestis, in Sacerdotibus beatæ vitæ gravitas honesta, in ministris sancta vita obedientiaque subministrata, in reliquò religionis corpore venustas morum, et ordinum custodia distinctorum: virginibus incorruptionis gloria, continentibus solatiorum expectatio, pœnitentibus indulta remissio, divitibus et in usu divitiarum liberalitas prompta, et in inlicitis usibus licentia abscissa, egenis consolatio vitalis, potestatibus et in excellentia honoris humilitas vera, et in excessu pietatis aggravatio cohibenda, coniugibus et in prole honesta libertas, et in libitu dempta voluptas; omnes hic situs ad salutem suscipit, omnes hoc iter ad vitam mittit. Tantum est, ut qui religionis huius plagam ingressus fuerit, innocentiæ hæreat, caritate ardeat, et ad manifestationem gloriæ Dei illa perenniter satiandus anhelet: quoniam omnis eius viator quantò sapiens fixusque fuerit in ordine proprio, tantò certus erit in præmio expectando; et quantò ardentior in operando quod bonum est, tantò fidus in percipiendo quod præmium est.

CAPUT LXXIII.

Sperandum in solo Deo.

Descripto eremi discursu, et attentata illic spiritali refectione, exhaustoque omnium vitiorum humore, tunc plena tranquillitas pergentibus erit, quando tota spes in auctorem omnium bonorum Deum fixa persistiterit.

CA-

CAPUT LXXIV.

Quòd nemo salvari possit nisi et præcedenti et subsequenti misericordia Dei.

Quamvis mari baptismatis abluti, quamvis libertati contraditi cantemus canticum gloriæ Dei, nequimus per spatia præsentis vitæ duci ad possessionem quietis æternæ, nisi, donec mortaliter vivimus, et lumen nos columnæ præcedat, et protectio nobis obumbret; quo inter omnium mundi huius tentationum occursus et lumen gratiæ Dei præveniens provehat ignorantes, et nubes misericordiæ subsequentis protegat atque roboret imbecilles.

CAPUT LXXV.

De subsequenti narratione coniecta.

Porro quoniam bonorum operum quædam sunt potentialia instrumenta, sine quibus omnis homo nec Creatori restitui, nec Redemptori omnimodè valeat copulari; brevi sunt orsu notanda, ut vis dictorum suis artibus tenta solidum decorumque operis corpus efficiat enitenti iunctura.

CAPUT LXXVI.

Repetitio quorumdam præteritorum.

Reparati hominis exordia ex vetustate vitæ ad Dei cognitionem venientis in exorcismo verbi, in denunciatione præcepti, in unctione olei, in acceptione Symboli, in sacramento baptismi, in chrismate Spiritus sancti, in participio corporis et sanguinis Christi, patenti et competenti ordine textu præcedentis operis sunt expleta. Quæ cuncta ex auditu fidei incipiunt, per fidei expectationem consistunt, in fidei dilectione complentur.

CAPUT LXXVII.

Quid sit fides.

Fides id ipsum est, quo fieri credimus id quod nondum videre valemus. Nam cum videt quis, non opus est, ut quærat rei fidem, cui detulit visionem. Si autem videri nondum potest, necesse est deferat fidem, et fieri posse confirmet quod videre minimè valet. Ex Isid. *Etym. lib.* 8 *cap.* 2. *n.* 4.

CAPUT LXXVIII.

Unde dicta fides.

Ex hoc ergo dicta fides, quod fiat illud quod inter utrosque placitum est, id est, inter Deum et hominem; ut in præsenti credatur in Deum, et in futuro credatur satiari dulcedine Dei, quam repromisit diligentibus se.

CAPUT LXXIX.

Quòd fides et malarum rerum, et bonarum.

Fides porro est non solùm in Deum. Nam est et malarum rerum, et bonarum; quia et bona creduntur, et mala: et hoc fide bona, non mala.

Digitized by Google

CAPUT LXXX.

Quòd fides et præteritarum rerum sit, et præsentium, et futurarum.

Est etiam fides et præteritarum rerum, et præsentium, et futurarum. Credimus enim mortuum Christum, quod præteriit; credimus sedere ad dexteram Patris, quod nunc est. Credimus venturum ad iudicandum, quod futurum est.

CAPUT LXXXI.

Quòd fides et suarum rerum sit et alienarum.

Item fides et suarum rerum est, et alienarum. Nam et se quisque credit aliquando esse cœpisse, nec fuisse utique sempiternum, quia cœpit; esse autem æternum, quia non desinit. Nec solum de aliis hominibus multa, quæ ad religionem pertinent, verùm etiam de angelis credimus.

CAPUT LXXXII.

Quòd fides et opus connexa salvent hominem, discissa non salvent.

Ex Isid. *Diff. lib.* 2. *n.* 35. Perfectæ fidei accessus operum magna virtutis adfinitate connectitur, quoniam si neutro sibi hæreant, sunt utroque confusa, *Iac.* 2. 20. dicente Apostolo: *Vis autem scire, ó homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster nonnè ex operibus iustificatus est of-* *Genes.* 22. 9. *ferens Isaac filium suum super altare? Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, et ex operibus fides consummata est, et suppleta est Scriptura dicens: Credidit Abraham Deo,* *Genes.* 15. 6. *et reputatum est illi ad iusti-* *Rom.* 4. 3. *tiam, et amicus Dei appellatus est? Vides, quoniam ex operibus iustificatur homo, et non ex fide tantùm?* Quid ergo, quia divisione sui destruuntur utraque, nisi ut connexione sui construantur utraque, quo iusta Abraham fides opera commendet, et iuxta Apostolum fidem operatio vivificet? Porro revelante nobis Evangelio, hæreditatem æternæ vitæ nonnisi fides Christi commendat, dicente ipso: *Hæc est* *Ioan.* 17. 3. *vita æterna, ut credant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum filium tuum.* Credentibus deinde adsignat idem Dominus fidei opera cohærere debere, nec extra operum dignitatem fide sola posse salvari, ipso dicente: *Non omnis* *Matth.* 7. 21. *qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* Ad statum ergo salutis fides et opus cohærentia manebunt, quia ad interitum salvationis malè diffidentia comprobantur.

CAPUT LXXXIII.

De comparationibus rerum fidei operique coniectis.

Sicut enim qualitas alicuius formatæ rei non in sola pulchritudine metalli consistit, nisi huic manus operantis dispositionis ordine decorem imprimat venustatis, ita fides nullius operibus compta

pta

pta non solum invenitur indecora, sed etiam mortua : ita certè lucerna fidei, nisi bonorum operum habeat nutrimenta, citatim videtur extincta. Sic corporalis vita hominis, nisi ciborum competentia vegetetur, in labem morientis inducitur. Ita deniquè nisi vegetet hoc vitalis spiritus, erit mortuum corpus. Sic plantatio nemoris, nisi coalescat rivulis humoris, continuò extinguitur uredine siccitatis. Consequens ergo est, ut præcedentem fidem sequantur opera, quoniam nec ædificium operum sine fidei fundamento, sine instructura operis inanescit. Est ergo homini tunc magna felicitas, quando fides illa, quæ per dilectionem operatur, ipsius dilectionis operatione munitur, ut si diligit qui credit, operis exhibitione probetur.

CAPUT LXXXIV.

Quòd spes non nisi bonarum et futurarum rerum.

Spes nonnisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, et ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur. Unde Apostolus: *Spes quæ videtur non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus.* (Rom. 8. 24.)

CAPUT LXXXV.

Quòd ex fide nascatur spes.

Ex illa ergo fidei confessione, quæ breviter Symbolo continetur, et carnaliter cogitata lac parvulorum est, spiritaliter autem considerata atque tractata cibus est fortium, nascitur spes bona fidelium, cui sancta caritas comitatur.

CAPUT LXXXVI.

Unde dicta spes.

Spes inde dicta, quòd sit properandi pes. Per hanc enim progredimur, et patienter sustinemus dilationem promissorum bonorum in huius sæculi tentationibus constituti, donec in patientia nostra possidentes animas nostras, per adiutorium divinum a malo liberati perveniamus ad beatitudinem repromissam, in qua vivemus in omni bono. (Ex Isid. Etym. lib. 8. cap. 2. n. 5.)

CAPUT LXXXVII.

Quòd spei contraria desperatio sit.

Spei porro contraria est desperatio. Ad progrediendum, et sustinendum pes animi deest. Dum enim quisque iniquus peccatum amat, nec tentationem suffert, nec vitæ coronam sperat. (Ex Isid. ibid.)

CAPUT LXXXVIII.

De sententia Pauli, qua fidem, spem, et caritatem decenter contexta demonstrat.

Huius fidei accessum, et spei statum ad remunerationem beatitudinis pertendentem competentibus et verbis et rebus Paulus commendat, cum dicit: *Iustificati ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem et accessum habemus in gratia ista, in qua stamus, et gloria-* (Rom. 5. 1. usq. ad 5)

riamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solùm autem, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem. Spes autem non confundit, quia caritas Dei diffussa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Totus iste locus ita quodam articulo instruendi compactus est et concretus, ut tota ipsa principaliter tria, quæ sunt fides, spes, et caritas, initio, statu, et complemento sui sint vel texendo completa, vel complendo contexta.

CAPUT LXXXIX.

Expositio eiusdem sententiæ Pauli.

Initium itaque salutis humanæ ex fide esse proposuit, dicens: *Iustificati ex fide pacem habeamus ad Deum;* et acsi quæreretur, per quid fieri posset ipsius pacis effectus, adiungit, *per Dominum nostrum Iesum Christum.* Et quid in hoc agit ipse Dominus noster Iesus Christus? sequitur: *Per ipsum habeamus accessum in gratia ista, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Ecce prædixit initium fidei, quæ cum fuerit in Christo, erit iustificatio credenti. Post iustificationem erit pax ad Deum, ad quam ordinatè venitur per gratiam Dei, in qua iam omnis qui credit, stat contra omnia adversa immobilis, et gloriatur in spe filiorum Dei. Et ex hoc inchoant solida esse media, cuius fidelia extiterant prima. Primò namque per fidem iustificatus, quia iustus ex fide vivit. Deinde per iustificationem Deo pacificatus, quia pacifici filii Dei vocabuntur. Et hæc fiunt non per aliam fidem, nisi per eam, quæ est in Christo Iesu, per quem accessum habemus in gratia eiusdem fidei, in qua stamus, et gloriamur, quæ præparatur a Deo in bona voluntate credenti, in qua dictum est: *Credens stat solidatus in petra, qui est Christus, et gloriatur sperans promissam sibi hæreditatem filiorum Dei.* Et hoc medium eius, in quo sustinet luctamen adversitatis, et certamina passionis; quoniam cum homo excruciatus vel occultis tentationibus, vel apertæ persecutionis obiectibus, veræ fidei solidatus spe invisibilia expectat, ea quæ nondum videntur, ventura confidit, ea quæ in futurum retributio adducet, iam in præsenti expectatione firma complectitur, nec dubitat ut quandoque percipiat, qui ut verè percipiat, iam evidenter sperat. Unde adiungit: *Non solùm autem, sed et gloriamur in tribulationibus.* Quid hoc est, *non solùm?* Ergo est et aliud, in quo gloriatio est? Illud videlicet quòd gloriatur in accepta fide, cuius mercedem sperat, retributionem æternæ vitæ. Gloriatur autem et in alio lucro, id est, in tribulationibus, quas sustinere facit: *Scientes quòd tribulatio patientiam operatur.* Hinc dicitur: *Patientia vobis necessaria est;* quia nisi patientia tribulationem temperet, dum pressura tribulationis vim patientiæ ex-

Galat. 3. 11.
Matth. 5. 9.
Hebr. 10. 36.

Digitized by Google

extinguit, negotium certaminis non ad probationem extendit, sed mox ad reprobationem elidit. Iam patientia, quam tribulatio operata fuerit, extenditur ad probationem, ut hoc quod toleratur, si ad æternitatis amorem tendit, verè probetur; ne in sinu tolerantiæ lateat murmur vocis iniquæ, et quod stabat sub fasce pressuræ solidum, dilabatur in murmuris fluxum; sicque probitatis dignitate careat quod in reprobatione murmuris venit. Iam probatio fidelis inventa venit ad bonorum spem, quæ tanta dulcedine conditoris anhelat, ut cu-
Philip. 1. 23. piat corpore dissolvi, et esse cum Christo; tanta sui soliditate robusta, ut confundi non possit. Salus itaque illa, quæ per fidem cœpit, quæ iustificationem invenit, quæ ad pacem Dei pervenit, quæ in Christo solidata accessum gratiæ reperit, in qua firmissimè stans veraciter gloriatur, quam tribulatio exercitavit, quam probatio idoneam reddidit, spes deinde sine confusione ad remunerationis æternitatem inducit, et hæc non aliter, nisi quia
1. Cor. 13. 13. illa ultima et quæ maior est horum caritas Dei diffusa est in
Rom. 5. 5. cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Hoc spei tempore, quod est medium inter fidem et caritatem, numquam autem a fide et caritate seiunctum, fit exercitium operum bonorum, ut fidem opera commendent, ne mortua sine operibus habeatur; ut spes indesinenter opus exerceat, perducens intentionem usque ad perseverantiæ salutem, tolerans quidquid adversum, aut ex tentatione aut ex passione concurrerit. Et ita cuncta æquo animo sustinet, ut inter angustias dolorum et præsenti lætitia glorietur, et in futuræ gloriæ expectatione lætetur.

CAPUT XC.

De caritate, et nomine eius.

De caritatis bono quantum quisque dicere poterit, cum satis Paulum dixisse sufficiat? qui prosequens virtutes eius tanta numerositate complexus est, quanta et ubertate fructus eius opimos esse pensavit. Nomen caritatis Ex Isid. *Etym. lib. 8. cap. 2. n. 5.*
Græcum est: quod latinè dilectio dicitur. Hæc a duobus incipit, vel ab homine et Deo, vel coram Deo ab homine et proximo. In uno enim experimentum dilectionis minimè patet, quia cui se, vel quid sibi quisque connectat, singularitas non habet. Hæc primùm a Deo ad homines venit, dicente Ioanne: *Non quia* 1. Ioan. 4. 10.
nos diliximus Deum, sed quia Deus prior dilexit nos, dans nobis pignus spiritus, ut diligamus eum in operibus pietatis. Dehinc ut demonstretur dilectio Dei, ostenditur dilectio proximi. Nam denuntiante Apostolo, *si* Ibid. v. 20.
proximum, quem videmus, non diligimus, quomodo Deum, quem non videmus, diligere poterimus? Testimonium ergo dilectionis Dei est dilectio proximi. Et tunc verè diligi probabitur Deus, quando in Deum amicus, propter Deum dilectus convincitur inimicus. Hæc ubi vera consistit, intercidi nescit; quia interruptionem non habet quod per-

Digitized by Google

permanebit in æternitatis hereditate: tantum effectu suæ operationis idonea, ut non quærens
1.Cor. 13. 5. quæ sua sunt, sese periculis ingerat proximorum, atque quicquid lucrandum adsciverit, aut propriæ prosperitatis communione refoveat, aut susceptæ adversitatis expugnatione defendat: robustis exercitiis invida, dum semper avida proximi salutis aut quod lucraverit non amittit, aut quod lucrare nequiverit compassione simplici dolet, numquam bonitatis vacuata mercede.

EXPLICIT LIBER DE PROGRESSU SPIRITALIS DESERTI.

MONITUM.

De Ildephonsi epistolis iam superiùs monuimus, omnes præter has duas ad Quiricum missas periisse, cum magna eius doctrinæ iactura. Et enim satis multas scripsisse nobis indicio est, quòd in iustam unius voluminis molem excreverint, secundam suorum operum partem conficientis, ut auctor est S. Iulianus. Quod ad hasce attinet quas edimus, Quirici epistolæ maximam continent divini illius operis DE VIRGINITATE S. MARIÆ *commendationem; quod tantus vir non solum summa animi voluptate, atque spiritali fructu perlegerit, verùm (quod miraculi speciem præsefert) corpus eius effractum, atque infirmum iucundissima libri lectione ita fuit erectum, et confirmatum, ut continuò ad sua munia obeunda aptum sese præstiterit; et ipse qui choro iamdiù aberat infirmitatibus detentus, exinde divinis laudibus integris viribus interesse potuerit. In nostri verò Ildephonsi responsionibus maxima omni ex parte animi humilitas summa cum sapientia coniuncta elucet; qua viri æquissimi laudes a se omnino avertens, in unum Deum omnium bonorum auctorem refundendas esse demonstrat. Secuti sumus Florezii editionem, qui tom.v. Hispan. Sac. Ildephonsi epistolas, tom.verò* XXIX. *eas iterum cum Quirici epistolis emendatiores nobis post Acherium exhibuit.*

QUIRICI EPISCOPI BARCINONENSIS

EPISTOLA

AD ILDEPHONSUM EPISCOPUM TOLETANUM.

Ei gratias agit de libro ad se misso DE VIRGINITATE S. MARIÆ, quem mirificè laudat, fructum referens, quem ex eius lectione perceperat.

1 *Cum a vobis remeans ad ovilis crediti loca redissem, ita laboris magnitudine fessus, et vi lassitudinis resolutus degebam*

bam in cellula mea, ut nulla valetudo sineret vel ad sacrum officium properare: tandem cùm tractatu mentis quærerem quod adiumentum meo labori prodesset, illico memoratus sum vestri muneris: quod cùm ardua intentione percurrerem, ac mentis acie defixa, universa quæ in morem pigmentorum redolentia extabant, saporare conarer; ita diffugit a me quidquid languidum, quidquid detritum, quidquid erat adversa valetudine anxium, ut in robur plenæ incolumitatis exurgens, valenter ad gremium piæ et sanctæ matris Ecclesiæ cucurrerim, atque unigenito Domino et Redemptori nostro Iesu Christo Dei filio gratias retulerim, quòd ita vobis inspirationis suæ flatu vivifico in arcano pectoris insufflaverit, sanctique Spiritus unctione ad universa de se dicenda instruxerit, et quàm decenter novi ac veteris Instrumenti series Incarnationis, seu Nativitatis Dominicæ mysteria continebat, tam evidenter vos earumdem Scripturarum vestem expandere fecerit, atque, ut ita dicam, ea quæ opaca videbantur pro sui quantitate mysterii, luce clariùs manifesta ac nota pusillis et magnis effecerit: ita ut ex hoc hebetescat Iovinianus, dissipetur Helvidius, simulque et incredulus ac mente perfidus decidat Iudæus.

2 *Gaudeo in hoc dono gratiæ vobis a Deo distributæ, quòd ipse qui ad Virginem Mariam Gabrielem in plenitudine temporum nuntiaturum miserat, quòd Spiritus Sanctus superveniret in illam, ac virtus Altissimi obumbraret eam, oris vestri introitum tangens, et cordis vestri stratum præmuniens, tam lucidè universa de tanto mysterio dicere fecerit, quàm veraciter adimplevit. Cuius rei gratiâ benedicimus Dominum, quòd memor promissorum suorum dignatur esse nobiscum in hoc novissimo tempore sæculorum, et quidquid imbecillitas nostrarum mentium, ac socordia animorum in sacris Scripturæ paginis scrutari tam sufficienter aggravata curis exterioribus non valebat, gratiæ suæ ubertate donante, per vos plenissimè instructi de Incarnationis ac Nativitatis Christi mysterio sumimus. Gratias agimus sanctæ Trinitati, quæ Deus est, quia formavit hominem in Virginis utero, quem tamen pro nostra redemptione suscepit sola Filii persona.*

3 *Item gratias agimus sanctitati vestræ, quòd ipse Dei unicus, qui incarnatus in Virginis utero extitit, ad vos veniens, ac penes vos faciens mansionem, famis nostræ inediam per vos verbi sui ubertate refecit, gratiæ suæ puritate stabilivit, veritatis suæ dono locupletavit. Sit tibi Domino meo bonum mercedis repositum coram Christo Domino nostro, et Angelis eius; sis lætus ex fructu operis boni inter æternæ felicitatis gaudia permansura, quia lætos nos cælestis oraculi participatione fecisti.*

4 *Ecce, etsi non ut volui,*

tamen ut potui, sanctitati vestræ hæc non temeritatis ausu sed humilitatis affectu suggerere curavi. Quod etsi ruralis intelligentia non ita nitidum aut saporum formare valuit, caritas tamen, quæ me invitavit ut suggererem, vobis inspiret, ut quæ suggesta sunt placidè suscipere dignemini. Incolumem Dominum nostrum divina gratia conservet. Amen.

ILDEPHONSI RESPONSIO.

Laudes a Quirico acceptas in Deum refundit.

SANCTISSIMO AC VENERABILI DOMINO QUIRICO EPISCOPO

ILDEPHONSUS FAMULUS VESTER.

1 Dedi gloriam Domino Iesu meo, cum accepi epistolam beatitudinis vestræ, gratiarum orsu confectam. Dederas enim et ipse in bonis, ut devota mortalitas quivit, beatæ immortalitati honorem debitum, tenens in æqualitate iudicii pondus, ut illi soli laudem inferas, cuius opus agnoscis. Quia ergo gratia Dei ad te misit pro quibus a te vota laudationis accepi, benedicamus illum simul in unum, qui et per me intulit materiam piæ prosequutionis, et a te accepit sibi soli debitam gloriam laudis.

2 In ceteris autem sto ego in memetipso in reatu conscius, in pavore anxius, ante Iudicem confusus, ante adventum Iudicis terrore commotus; rursum autem ex redemptione fidus redemptionis, actionis prorsus Redemptoris pietate salvandus. Cuius si quæras opus, peccatum est; si quæras vitæ rationem, peccati confessio est; si quæras iudicium, pœna peccati est. Pro quibus cunctis et peccatis et peccatorum meorum meritis, obsecro te per eum cuius iudicio absolvi cupimus a reatu, ut defigas pro me manum orationis coram vultu pietatis ipsius, quò non tuis illaqueatus sed adiutus verbis, obtineam me absolvi et erui a delictis; dari mihi, vel augeri promerens, ut loquar de illo vera, diligamque piè, quæ de illo dixerim, et glorificetur idem in confessionibus meis et præsentibus et æternitate sæculis permansuris. Dicere plura vellem, si miseriarum pressura sineret; sed totum satisfactum sibi reputet caritas, quod vel minimum permisit tædiosa necessitas.

Digitized by Google

ALTERA QUIRICI EPISTOLA
AD EUMDEM ILDEPHONSUM.

Eum ut Scripturis interpretandis operam det, hortatur.

DOMNO SANCTISSIMO, ET VERE MIHI SPECIALITER PERTIMENDO ILDEPHONSO ARCHIEPISCOPO

QUIRICUS SERVULUS VESTER.

1 *Cum ad omnia nova, ut nostis, omnipotens Deus non novo sed sempiterno utatur consilio, ad egestatem nostri temporis talentorum vobis summam distribuens, ne plurimùm inedia labefactaremur, vestri oris pabulo nos sustentare curavit. Ac proinde quia summo Patrifamilias duplicatione eorumdem talentorum rationis summam referre curatis, obsecro, ut siqua in opacitatibus divinarum Scripturarum ad utilitatem matris carissimæ, quæ et nunc nobiscum gemit in terra, et ad quam suspiramus in cælo, sedula revolutione invenitis, et invenire intenditis, ad profectum eiusdem sanctæ matris stili oraculo promere non cessetis decenter: et in eo prosit ut tu, Domine, qui in cubiculum Regis æterni introduceris, sacrarum Scripturarum vestem aperias, atque illa quæ senioribus tegmine vestimentorum adoperta latebant, palam facere solito labore intendas. Nam ex distributione gratiæ supernæ, ut confidimus, aperitur vobis ostium sermonis ad loquendum mysterium suum. Erit enim respectus operis vestri cum retributione æternæ mercedis, cum infirmantium mentes ad salutem interioris hominis per vos Christus provexerit, ut tibi, quæ animæ salutem initiaverant, pleno robore convalescant; iactuque seminum spiritalium per doctrinam sanctæ prædicationis, cum alios ab errore pertraxeris, aliosque ne errent servaveris, collectis manipulis sancti laboris post cursum longioris ævi eas ad conspectum æterni iudicis potiturus gaudia sempiterna.*

2 *Me igitur, quem torpore mentis obtusum, et sermone prædicationis ignarum tu, mi Domine sanctissime, nosti, ut ministrante gratia Spiritus sancti quæcumque dixeris piè, quæcumque deprompseris sanctè, quæcumque manifestaveris rectè, quo et idem sanctus Spiritus agnoscat, et omnes qui illo pleni sunt diligant, ut me munire his donis non dedigneris, suggero. Sic glorificetis et portetis Christum in confessionibus vestris et præsentibus et æternitate sæculis permansuris.*

3 *De cetero his excursis, ut manu sanctæ orationis erigas imbecillum, atque ut iugitate*

 pre-

Digitized by Google

precum apud communem Dominum obtineas, ut donec me perficiat suæ pietatis curatione, meis languoribus suam medicinam non subtrahat, precor. Christi gratia incolumem servet Dominum meum in longævitate perennis ævi. Amen.

ILDEPHONSI RESPONSIO.

Id se quidem libenter præstiturum, sed iniquitate temporum retardari significat.

DOMINO MEO QUIRICO EPISCOPO

ILDEPHONSUS FAMULUS VESTER.

1 Imperas mihi, carissime Domine, aut loqui si taceo, aut ne taceam loquens, et Dominicæ vestis, quæ non habet maculam aut rugam, abdita contectaque devolvens, unius obiectu luminis et desideriis fidelium luceam, et insipientiam perfidorum extinguam. Non ergo possum, sed ille faciat in me hanc gloriam sibi, qui erigit elisos, solvit compeditos, et illuminat cæcos. Qui erigat me ad se manibus piæ crucis, quem cecidisse constat de manibus suæ divinitatis; qui solvat me imperiis pietatis a vinculo sceleris; qui illuminet me prævenienti misericordia, quem caligavit malorum culpa; et tunc ab Iesu apprehensus audiam: *Dimissus es ab infirmitate tua;* confestimque erectus glorificem eum. Tunc quoque solutum abire sinat, et curram post eum in odore unguentorum eius: quodque afflatu virtutis attraxerim, eloquii flatu respirem. Illuminet etiam cæcum, et cum lumen miserationis eius agnovero, ego quoque et omnis plebs demus laudem Deo.

2 Nunc certè quia non me, sed gloriam Christi mei quæris in me, et ego non me ipsum commendo, sed Christum meum in omni quod loqui appeto, spectantibus amabilem ardenter exhibeo, ut hunc dilectum meum diligens loquar, loquens annuntiem, annuntians notum faciam, agnitum celebrem, reddam post celebritatem mortalitatis Angelorum hymnis laudem sæculis sempiternis: igitur, ut præcipis, appeterem loqui frequenter, et hoc mihi pia devotione adest, ut in meditatione legis Dei lingua simul et vita silentium non haberet; sed ita necessitas temporum vires atterit animorum, ut nec delectet vita propter imminentia mala.

MO-

Digitized by Google

MONITUM.

Librum S. Ildephonsi DE VIRIS ILLUSTRIBUS *edituri, facere non potuimus, quin priùs S. Isidori tractatum de eodem argumento repræsentaremus; propterea quòd non diversum ab hoc opus, sed Isidoriani libelli continuatio sit, ipsi in omnibus codicibus adiuncta: qua ratione nec S. Isidori editores unum ab alio voluere seiunctum. Sequimur regiam operum huius S. D. editionem cum notis et animadversionibus Cl. viri D. Ioan. Bap. Perezii, Canonici Toletani: quibus nos quandoque pauca addidimus. Variantes lectiones nullas ferè adnotavimus, præterquam in libello S. Ildephonsi, easque non multas, quas ex Cod. MS. Bibliothecæ S. Eccl. Toletanæ pluteo 31. num. 20. eruimus.*

DIVI ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI

DE VIRIS ILLUSTRIBUS LIBER.

PRÆFATIO.

Quamvis [1] superius plurimi veterum tractatorum inter Græcos et Latinos scriptores, doctissimi annotentur: tamen reor ipse etiam paucorum memoriam facere, quorum lectionem recolo me attigisse.

I. *Sixtus Papa Romanus.*
II. *Macrobius Diaconus.*
III. *Philastrius Episcopus Brixiensis.*
IV. *Theodorus Episcopus Mopsuestenus.*
V. *Osius Episcopus Cordubensis.*
VI. *Toranius Rufinus Presbyter Aquileiensis.*
VII. *Verecundus Episcopus Africanus.*
VIII. *Victorinus Episcopus.*
IX. *Itatius Episcopus Gallæciæ.*
X. *Eusebius Episcopus Dorolitanus.*
XI. *Cerealis Episcopus Castellanensis in Africa.*
XII. *Ferrandus Diaconus Carthaginensis.*
XIII. *Petrus Episcopus Ilerdensis.*
XIV. *Marcellinus Presbyter.*
XV. *Itatius Clarus Episcopus Hispanus.*
XVI. *Siricius Pontifex Romanus.*
XVII. *Paulinus Presbyter Mediolanensis postea Episcopus Nolanus.*
XVIII. *Proba uxor Adelphii.*
XIX. *Ioannes Chrysostomus Episcopus Constantinop.*

XX.

(1) *Superius*, id est, in Hieronymo, & Gennadio.

Digitized by Google

XX. *Sedulius Presbyter.*
XXI. *Posidius Episcopus Africanus.*
XXII. *Primasius Episcopus Africanus.*
XXIII. *Proterius Episcopus Alexandrinus.*
XXIV. *Paschasinus Episcopus Siciliensis.*
XXV. *Iulianus Pomerius.*
XXVI. *Eugipius Abbas Lucullanensis.*
XXVII. *Fulgentius Episcopus Ruspensis in Africa.*
XXVIII. *Eucherius Episcopus Lugdunensis Franciæ.*
XXIX. *Hilarius Episcopus Arelatensis.*
XXX. *Apringius Episcopus Pacensis in Hispania.*
XXXI. *Iustinianus Imperator.*
XXXII. *Facundus Episcopus Hermianensis.*
XXXIII. *Iustinianus Episcopus Valentinus.*
XXXIV. *Iustus Episcopus Urgelitanus.*
XXXV. *Martinus Episcopus Dumiensis.*
XXXVI. *Avitus Episcopus Viennensis.*
XXXVII. *Dracontius.*
XXXVIII. *Victor Episcopus Tunnensis.*
XXXIX. *Ioannes Episcopus Constantinopolitanus.*
XL. *Gregorius Papa Romanus.*
XLI. *Leander Episcopus Hispalensis.*
XLII. *Licinianus Episcopus Carthaginensis.*
XLIII. *Severus Episcopus Malacitanus.*
XLIV. *Ioannes Episcopus Gerundensis.*
XLV. *Eutropius Episcopus Valentinus.*
XLVI. *Maximus Episcopus Cæsaraugustanus.*
Hactenus Isidorus.
Hinc Braulio Episcopus Cæsaraugustanus.
XLVII. *Isidorus Episcopus Hispalensis.*

CAPUT I.

Sixtus [1] Episcopus Romanæ urbis et martyr, composuit ad instar Salomonis librum Proverbiorum tam brevi eloquio, ut in singulis versiculis singulæ explicentur [2] sententiæ. Cui quidem opusculo hæretici quædam contra ecclesiasticam fidem inseruerunt, quo faciliùs sub nomine tanti martyris perversorum dogmatum reciperetur assertio. Sed is qui Catholicum sese meminit, probando legat, et ea quæ veritati contraria non sunt, recipiat. Qui-

(1) Vel primus anno Christi 117. vel secundus ann. 257. Hic, et qui sequuntur tredecim usque ad Marcellinum, ex unico exemplari Fontis sancti apud Gallisteum Cauriensis Diœcesis descripti sunt. In reliquis libris desiderabantur, qui ab Osio incipiebant, et ex ipso, et Marcellino unum fecerant caput.

(2) Sententias esse Xysti Philosophi, non Martyris, ait Hieronymus ad Ctesiphontem, *et* 18. *Ezech. et* 1. *lib. in Iovinian.* in quo deceptus Ruffinus, et retractat Augustinus.

Digitized by Google

Quidam autem putant eumdem librum [1] ab hæreticis, non a Sixto fuisse dictatum. Refellit autem hanc opinionem beatissimus Augustinus, qui in quodam opere suo ab eodem martyre hoc opus compositum esse fatetur.

CAPUT II.

Macrobius [2] Diaconus studium sancti Cypriani ingeniumque sequutus, complexus est congrua ex utroque Testamento adversùs versutias hæreticorum capitula, de scilicet Dei Patris maiestate, et Filii Dei adventu, eius Incarnatione, sive Passione, Resurrectione, et Ascensione in cælos; parique modo et de electione gentium, et reprobatione Iudæorum. Deinde subiecit etiam cetera ad utilitatem vitæ, et disciplinæ religionis pertinentia: omnia hæc in centum distincta capitulis.

CAPUT III.

Philastrius Brixiensis Episcopus, hic [3] longe ante beatissimum Augustinum edidit librum de hæresibus, singulas quasque demonstrans, sive quæ in populo Iudæorum ante Incarnationem Christi fuerunt, quas viginti octo enumerat, sive quæ post Domini adventum Salvatoris adversus Catholicam Fidem exortæ sunt; quas idem centum viginti octo esse describit, sicut de eo idem vir magnæ gloriæ [4] Augustinus et Doctor clarissimus meminit.

CAPUT IV.

Theodorus [5] Mopsuestenæ urbis Episcopus, ita clarè copiosèque scientiæ doctrina refulsisse refertur, ut prædicaretur (si referre fas est) mille voluminum summam in Græco conscripsisse adversus omnium hæreticorum errores. [6] Hunc Acephalorum Episcopi in præiudicio Chalcedonensis Concilii, Iustiniano Principe compellente, damnare post mortem cum Iba, Theodoreto Episcopis censuerunt; dum constet, eum laudabilium virorum testimoniis clarissimæ Ecclesiæ Do-

(1) Ab hæreticis ait Gelasius 15. *distinct.*
(2) Apud Gennadium dicitur Presbyter Afer, hæreticus, Donatianus, sive Montensis.
(3) Anno Christi 380.
(4) August. ad *Quodvult-Deum*, de hæresibus.
(5) Etiam laudatur a Theodoreto, Sozomeno, et Evagrio, sed damnatur a Synodo Constantinop.V. et a Gregorio *lib.*6. *epist.* 195.
(6) Isidorus aliquot locis huius libri, nempe agens de Theodoro, Iustiniano Imperatore, Facundo, et Victore Tunnensi, quin et *lib.* 8. *Etymolog. cap.*5. et in Chronico, loquens de Iustiniano, aliquibus videri potest non satis fuisse æquus Concilio quinto Œcumenico Constantinopolitano. Res tota sic gesta est: Theodoretus Cyrensis Episcopus, cuius multa habemus doctissima opera, et Ibas Episcopus Edessenus, anno Christi 448. in Concilio hæretico Ephesino secundo (factione Dioscori Episcopi Alexandrini qui fuit hæreticus Eutychianista) absentes damnati sunt, suisque Ecclesiis pulsi. Vide Evagrium *lib.* 1. *Hist. Eccles. cap.* 10. Causa est addita, quòd Theodoretus adversus duodecim anathemata Cyrilli scripsisset: Ibas verò ad Marin Persam Epistolam haud Catholicam misisset. Deinde anno 451. in Chalcedonensi Synodo Generali sub Leone Papa Romano illa secunda Ephesina Synodus abrogata, et Theodoretus atque Ibas Episcopi Ecclesiis suis restituti sunt. Evagr. *lib.*1. *cap.* 4. *et lib.* 2. *cap. ult.* Inde magnæ Tragœdiæ ortæ, provinciis et Imperatoribus ipsis diversa sentientibus de recipienda Synodo Chalcedonensi, quæ in hoc ipso Evagrio, et Liberato Carthagi-

Digitized by Google

Doctorem fuisse: vixit usque ad imperium senioris Leonis. (1)

CAPUT V.

Osius Cordubensis Ecclesiæ civitatis Hispaniarum Episcopus, eloquentiæ viribus exercitatus. Scripsit ad sororem suam de laude virginitatis epistolam pulchro ac disserto comptam eloquio: composuitque et aliud opus de interpretatione vestium sacerdotalium, quæ sunt in veteri Testamento, egregio quidem sensu, et ingenio elaboratum. In (2) Sardicensi etiam Concilio quamplurimas edidit ipse sententias. Hic autem post longum senium vetustatis, id est, post centesimum primum annum in ipso iam limite vitæ a fidei limitibus subruens, serpentis iaculo concidit. Nam accersitus a Constantio Principe, minisque perterritus, metuens ne senex et dives damna rerum vel exilium pateretur, illico Arianæ impietati consensit, et vocabulum *homousion*, quod simul cum Patribus sanctis ceteris Ecclesiis sequendum tradiderat, arreptus impietatis furore damnavit: (3) cuius quidem vitam, ut meruit, confestim exitus crudelis finivit.

ginensi, atque Paulo Diacono leges: donec tandem in quinta Synodo Generali Constantinopoli habita sub Vigilio Papa, et Iustiniano Imperatore anno 553. damnata sunt scripta Theodoreti adversus Cyrillum, et Ibæ Edesseni Epistola ad Marin, Theodorique Mopsuesteni Episcopi opera, quæ in ea epistola valde laudabantur. Hæc quidem graviter a multis accepta sunt, quasi in eo Chalcedonensis Synodi auctoritas improbaretur. (Evagr. *lib.* 4. *cap.* 37.) Legentes enim in Chalcedonensi Synodo illos Ecclesiis suis restitutos, simul illorum opera approbata fuisse existimarunt. At distinguere auctores ab operibus valde oportuerat, ut docet Iustinianus Imperat. in fidei suæ professione, et Proclus Constantinopolitanus in epistola quæ in ista Synodo Constantinopolitana recitatur. Inde postea diutinæ contentiones in Ecclesia viguerunt de recipienda hac Synodo Constantinopolitana. Cuius defensores ab adversa parte per calumniam vocabantur hæretici Acephali, et impugnatores trium capitulorum Synodi Chalcedonensis. Itaque Ægyptus, et Africa, ut Liberatus et Victor Tunnensis nondum editus testantur, Illyricum quoque, ut est apud Paulum Diaconum Aquileiensem *lib.* 18. Romanis Pontificibus hoc Concilium Constantinopolitanum probantibus aliquandiu restiterunt. Ausi etiam sunt hi duo auctores Africani, Liberatus Carthaginensis, et Victor Tunnensis Vigilio Papæ imponere, illum operâ Theodoræ Augustæ eorum trium capitulorum defensorem extitisse. Quæ calumnia ex tribus Vigilii epistolis, quæ in quinta Synodo recitantur, facilè convincitur, et ex iis quæ Patres in sexta Synodo falsò de Vigilio conficta quæruntur. Hispaniam porrò in Africanorum aliquando fuisse sententia suspicor ex tam multis verbis Isidori ad defensionem trium capitulorum inclinantibus. Nisi fortasse Isidorus hæc verba ex sui Victoris Tunnensis Chronico hausit, quo auctore libens utitur: vel certè serò ad Isidorum et Hispanos pervenire potuit Constantinopolitanæ Synodi approbatio a Romanis Pontificibus, Vigilio, Pelagio, et Gregorio in primis facta. Præsertim cum ignorasse aliquanto tempore Hispania eius Synodi auctoritatem potuerit, in qua noluisse adesse Vigilium Papam Romanum audivisset. Hinc factum puto, ut Isidorus 6. *lib. Etymolog. cap.* 16. post quatuor Synodos generales, huius quintæ Constantinopolitanæ iam pridem habitæ non meminerit, quam tamen Papa Gregorius eius æqualis ceteris quatuor prioribus parem esse auctoritate definivit. Plura leges in ipso Gregorio de huiusmodi defensoribus trium capitulorum, nempe 2. *lib. Registri*, *epist.* 36. *et Indict.* 11. *epist.* 10. *et lib.* 3. *epist.* 4. Nam vitiatum fuisse exemplar Synodi Chalcedonensis a Constantinopolitanis, ait Gregorius 5. *lib. Regist. epist.* 14. *et lib.* 7. *epist.* 52. *Indict.* 2.

(1) Ann. Christi 457. At Theodoretus ait, sub Theodosio iuniore.

(2) Anno Christi 347.

(3) Vide infra in Marcellino, *cap.* 14. *Ibi nos totam hanc historiam de execranda Osii morte, velut meram fabulam explodemus.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

Toranius (1) Ruffinus scripsit ad quemdam Paulinum Presbyterum de benedictionibus Patriarcharum triplici intelligentia librum satis succinctum, et clara brevitate compositum. Hic autem iuxta mysticum sensum, ea quæ de Dan filio Iacob scripta sunt, non rectè de Domino nostro interpretatur, dum proculdubio ad Antichristum eadem pertinere sanctorum Patrum probet assertio.

CAPUT VII.

Verecundus (2) Africanus Episcopus studiis liberalium litterarum dissertus edidit carmine dactylico duos modicos brevesque libellos, quorum primum de Resurrectione et Iudicio scripsit, alterum verò de Pœnitentia, in quo lamentabili carmine propria delicta deplorat.

CAPUT VIII.

Victorinus (3) Episcopus composuit et ipse versibus duo opuscula admodum brevia: unum adversus Manichæos reprobantes veteris Testamenti Deum, veramque Incarnationem Christi contradicentes; alium autem adversus (4) Marcionistas, qui duo principia, id est, duos Deos fingunt: unum malum, iustum creaturarum conditorem, et retributorem factorum: alterum bonum, animarum susceptorem, et indultorem criminum.

CAPUT IX.

Itacius (5) Provinciæ Gallæciæ Episcopus, sequutus Chronicam

Ll Eu-

(1) Meminit Gennadius: vide Gelas. dist. 15.

(2) Anno Christi 552. Verecundus quidam Iunensis Episcopus in Provincia Africæ Bizacena defensor trium capitulorum, anno antè habitam Synodum Constantinopolitanam quintam generalem iussu Iustiniani Imperatoris exul Chalcedone moritur. Hæc Victor Tunnensis narrat. Puto autem omnino hunc fuisse de quo loquitur Isidorus. Vidi porrò huius Verecundi ipsum libellum de pœnitentia hexametris scriptum, cuius hoc est initium: *Quis mihi mæsta dabit lacrymosis imbribus ora.* Is liber Gothicis litteris descriptus, fuit olim Ecclesiæ Ovetensis, postea apud Michaelem Ruyzium Azagrium amicum meum, Rodolphi Imperatoris Secretarium. *Hic ipse codex est, cuius iam superiùs mentionem fecimus in editione operum S. Eugenii, quemque diximus in Bibliotheca S. Eccles. Toletan. hodiedum asservari.*

(3) Victorini duo referuntur a Hieronymo, unus Episcopus Pitabionensis Martyr: alter Rhetor Afer. Alii quoque duo a Gennadio, unus Rhetor et Poeta Massiliensis, qui Commentaria in Genesim versibus scripsit, quæ ad nos usque pervenerunt, et postremus Aquitanus. Ego opus Victorini adversus Manichæos, et Marcionistas, quod ab Isidoro refertur, non vidi, neque usquam scio extare; sed puto fuisse illius Massiliensis Poetæ, nam Episcopum fuisse non meminit Gennadius.

(4) Vide August. *de Hæres. lib.* 1. *cap.* 21. et Iræneum *lib.* 1. *cap.* 28.

(5) Anno Christi 481. Idacios sive Itacios duos ponit Isidorus, quos quia falsò in unum multi etiam nostrates confundunt, facturus rem gratam videbor, si Idacios omnes distinguam. Reperio enim quinque hoc nomine Hispanos, qui ad tres redigi posse videntur. Vide Scholion de Idaciis tribus. Primus est Itacius (sic enim hic scribitur in vetustis omnibus codicibus) cognomento Clarus, Episcopus Ossonobensis, relegatus ob cædem Priscilliani cum Ursatio, anno fere Christi 390. de quo Sulpitius Severus in Historia Ecclesiastica, Hieronymus, et Isidorus. Is scripsit contra Priscillianum, ut ait Isidorus, sed non extat. Secundus Idacius Episcopus Emeritensis iisdem temporibus cum superiore, persequutor quoque Priscilliani, ex eodem Sulpicio Severo. Uterque verò subscribit in Synodo Cæsarau-

gu-

Eusebii Cæsariensis Episcopi, sive Hieronymi Presbyteri, quæ usque hodie in Valentis Augusti imperium edita declaratur, dehinc ab anno primo Theodosii Augusti usque in annum imperii Leonis octavum subiunctam sequitur historiam, in qua magis barbararum gentium bella crudelia narrat, quæ premebant Hispaniam. Decessit sub Leone Principe, ultima iam penè senectute, sicut etiam præfationis suæ demonstratur indicio.

CAPUT X.

Eusebius Borolitanæ urbis Episcopus, in cœtu [1] Chalcedonensis Concilii contra Dioscorum hæreticum Alexandrinæ urbis Episcopum librum obtulit, ac præsenti Synodo omnes Dioscori errores et blasphemias recitavit. Hunc enim, ac sanctum Flavianum Constantinopolitanum Episcopum idem Dioscorus in [2] Ephesina secunda Synodo excommunicationis sententiâ deiecerat, eo quod pro orthodoxa fide contra hæresim repugnarent. Unde postea idem Eusebius in [3] Chalcedonensi Synodo innumerabilium malorum eius crimina vel blasphemias detegens, damnationis eius sententiam super eum a sancto Concilio imprecatur; scilicet, ut quod iniustè ille aliis intulerat, in eo iustè retorqueretur.

CAPUT XI.

Cerealis Castellanensis Ecclesiæ Episcopus. Hic, dum apud Carthaginensem Africæ Provinciæ urbem venisset, de fide sanctæ Trinitatis cum Maximiano Ammonitarum Episcopo concertatus est, respondens propositionibus eius, non eloquiorum argumentis, sed de testimoniis sanctorum Scripturarum. [4] Extat hoc ipsum eiusdem opusculum novem et decem responsionum capitulis præsignatum.

CAPUT XII.

Ferrandus Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus, multum in sacris Scripturis floruisse asseritur, multasque cum beato Fulgentio propositiones alternis epistolis habuisse narratur. Iste ad Pelagium et Anatolium Romanos Diaconos con-

gustana. Tertius Idacius, sive Itacius (nam utroque modo scriptum reperio) Episcopus Lamecensis in Gallæcia, auctor Chronici nondum editi, quod manuscriptum habeo. Is se conversum ait anno Christi 417. scripsisse verò usque ad octavum annum Leonis, ait Isidorus, nempe annum 481. Sigebertus ait usque ad annum 490. Trithemius primum cum tertio confundit. Poterat et videri quartus Idacius Clarus, cuius opus extat adversus Varidamum Arianum. Sed is, ut puto, idem est cum primo Ossonobensi exule. Potuit enim dum peregrinatur, opus Varidami videre Neapoli urbe Campaniæ, quod de se ipse narrat. Quartum (*quintum*) etiam adderet aliquis illum Idacium Episcopum, qui cum Turibio Asturicensi Concilium celebravit adversus Priscillianistas, iussu Leonis Papæ, anno 447. ut est in epistola Leonis ad Turibium, et in altera epistola ipsius Turibii ad Idacium et Ceponium, quam habeo manuscriptam. Sed hic Idacius ex comparatione temporis, et Gallæciæ Provinciæ, potuit esse idem cum tertio illo Lamecensi Chronographo.

(1) Actione 3. Concil. Chalced.
(2) Anno Christi 448.
(3) Anno 451.
(4) Extat cum aliis in Hæreseologia.

Digitized by Google

consulentes eum, utrùm liceat quemquam damnare post mortem, edidit (1) rescriptum, ubi inter alia sic loquutus est, dicens: (2) Quid prodest dormientibus Ecclesiam perturbare? Si quis adhuc in corpore mortis huius accusatus et damnatus, antequam mereretur absolvi de Ecclesia raptus est, absolvi non potest humano iudicio. Si quis accusatus et absolutus in pace Catholicæ Ecclesiæ transivit ad Deum, condemnari non potest ulteriùs humano iudicio. Si quis accusatus ante diem sacri examinis, repentina vocatione præventus est, intra sinum matris Ecclesiæ constitutus, divino intelligendus est iudicio reservari, et de hoc nullus homo potest manifestam proferre sententiam: cui si Deus indulgentiam dedit, nihil nocet nostra severitas; sed si supplicium præparavit, nihil prodest nostra benignitas. (3)

CAPUT XIII.

Petrus Ilerdensis, Hispaniarum Ecclesiæ Episcopus, edidit diversis Solemnitatibus congruentes orationes, et Missas eleganti sensu, et aperto sermone.

CAPUT XIV.

Marcellinus (4) Italiæ Presbyter, scripsit Theodosio minori Arcadioque Imperatoribus opusculum unum: in quo retexit gesta Episcoporum, qui ad destructionem *Homousion* Arimini (5) convenerunt, quique ita totum mundum perfidia impii dogmatis turbaverunt, ut vix pauci Antistites existerent, qui in inviolabili fidei cultu perseverarent. Exponit quoque de Ario, dum ad Synodum pergeret cum Alexandro disputaturus, qualiter conversus in via ad necessariam causam, viscera eius fuissent diffusa. De fine quoque Osii, (6) Cordubensis urbis Episcopi, qui metu Imperatoris fidem prævaricatus, perfidiæ assertor et impietatis effectus fuerat assequutor, sic talia profert: Nam post impiam, inquit, Osii prævaricationem, dum sanctus Gregorius Eliberitanus Episcopus in Cordubensi urbe iuxta imperiale decretum fuisset adductus, ac minimè vellet illi com-

 mu-

(1) Editus est Romæ ab Achille Statio.

(2) Idem scripsit Pontianus Episcopus Afer ad Iustinianum Imp.

(3) Contra definit Concil. V. Constantinop. act. 5. de Theod. Mopsuesteno. Vide *causam* 24. *quæst*. 2. *can*. 6.

(4) Huius meminit Gennadius in Faustino presbytero.

(5) Anno 559.

(6) Marcellini historia de Osii Cordubensis morte iisdem verbis, sed paulo fusior extat in codice Gothico Bibliothecæ Complutensis ad finem Isidori de *Viris illustribus*, sine nomine auctoris Marcellini. Porrò Osius nobilissimus olim confessor, et doctissimus, ab Augustino et Athanasio laudatus, Constantino Imperatori etiam per litteras familiaris; (ut est in codice Theodos. titul. *de Sacrosanctis Ecclesiis*) quique in Conciliis Eliberitano, Nicæno, et Sardicensi cum magna sui laude fuerat Catholicorum propugnator, tandem senio delirans, in Syrmiensi Synodo ad Arianos defecit. De quo vide etiam Hilarium *lib. de Synodis*, Athanasium *lib. de Unitate Trinitatis*, Sulpitii Severi historiam, et Honorium Augustodun. *lib. de Scriptoribus Eccles. Hæc Ioann. Bapt. Perez.*

Verùm religio nobis esset, nihil hoc loco prædictis superaddere in tanti, tamque venerabilis viri Ecclesiæque Patris defensionem, cuius vindicias gravissimi inter Historicos etiam exteri adornarunt; novissi-

municare, commotus Osius dicit Clementino Constantii Præfecto Vicario, ut mitteret eum in exilium. At ille inquit: Non audeo Episcopum in exilium mittere, nisi prius eum ab Episcopatu deieceris. Ut autem vidit sanctus Gregorius, quòd Osius vellet ferre sententiam, appellat Christum totis fidei suæ visceribus, exclamans ita: Christe Deus, qui venturus es iudicare vivos et mortuos, ne patiaris hodie humanam proferri sententiam adversus me, minimum servum tuum, qui pro fide nominis tui ut reus assistens spectaculum factus sum: sed tu ipse, quæso, in causa tua hodie iudica, ipse sententiam proferre dignare per ultionem. Non ego quasi metuens exilium fugere cupio, cum mihi pro tuo nomine nullum supplicium grave sit: sed ut multi prævaricationis errore liberentur, cum præsentem viderint ultionem. His dictis, ecce repente Osius residens fastu quasi regalis Imperii, cum sententiam conaretur exprimere, os vertit, distorquens pariter et cervicem, ac de sessu in terram eliditur, atque illicò expiravit. Tunc admirantibus cunctis, etiam Clementinus ille Gentilis expavit, et

simè verò erud. P. Florez, dum Ecclesiæ Cordubensis res pertractaret, singulari dissertatione est persequutus. Nos super Marcellini in Osium testimonio ex historicis pauca delibabimus, quibus exploratum sit, totam hanc historiam de infelici eius obitu meram esse fabulam in eius nominis odium confictam, putumque commentum, quod nullum fidem promereatur. Quis enim fidem adhibeat Marcellino, Faustinoque (nempe ambo libellum prædictum Theodosio et Arcadio Imperatoribus obtulerunt) testimonium adversùm Osium dicentibus, hominibus scilicet Luciferianis schismaticis, qui Osium reliquosque Episcopos in persecutione Constantii Imperatoris, præcipue verò in Concilio Ariminensi lapsos, usque adeo fuere aversati, ut maluerint ab Ecclesiæ Catholicæ communione divelli, quàm cum lapsis reconciliari, et cum illis communionem inire. Præterea nullus auctor coævus vel suppar illis suffragatur; nulla apud historicos illius rei memoria. Quin extat ex adverso S. Athanasii testimonium locupletissimum, qui in libris post Osii obitum scriptis numquam non de illo honorificentissime loquitur, ut in Apologia de sua fuga, et in Epistola ad Solitarios. Nec dissimulat illius lapsum, quem tamen humanissimè excusat et propter senium, et propter summam malorum vim, quibus ab impio Imperatore pene confectus, et attritus est vir centenario maior. Sed ad eius obitum quod spectat, dissertè tradit, antequam evenisset, Arianorum hæresim abiurasse, dirisque omnibus devovisse. Quod si multò aliter, ut commentatur Marcellinus contigisset, e re Athanasii erat illud minime tacuisse, ex quo firmissimum pro catholica Athanasii doctrina argumentum exsurgeret. Accedit, quòd qui apertissimas ac putidas calumnias in ipsum Athanasium Hilariumque in eodem ipso libello congerere non erubuerunt, nulla re prohibebantur, quominus cum Osio facerent similiter. Deinde multa alia omnino inverisimilia continet historia: Quis enim animum inducat, ut credat Clementinum Præfectum, hominem Ethnicum tanta fuisse erga Episcopum Catholicum observantia, ut illum in exilium mittere recusaverit, etiam urgente Imperatoris Decreto? tanta animi religione, ut id se facturum negaret, nisi canonum iurisque ordine servato, prius ab Osio deponeretur? scilicet ordine iuris, quem in ea crudelissima persecutione toties prætermissum legimus. Tandem incredibile est Osium propria auctoritate, et absque Ecclesiastico iudicio Episcopum deponere aggressum fuisse.

Hæc qui attento animo perpenderit, absdubio intelliget, nihil esse Marcellini testimonio infirmius ad æternam ac turpissimam labem tanti nominis viro, Conciliorum præsidi, Constantini Cathechistæ, acerrimo Athanasii defensori, et firmissimo adversus Arianos propugnaculo inurendam: cui, cum veritatis historicæ iura asserimus, debita pietatis et observantiæ officia quodammodo persolvimus. Qui plura velit, adeat Nat. Alexand. *tom.* 4. *Historiæ Eccl. sæc.* 4. *dissert.* 32. *art.* 2.

Digitized by Google

et licèt esset iudex, tamen timens ne in se simili supplicio iudicaretur, prostravit se ad pedes sancti viri obsecrans, ut sibi parceret, qui in eum divinæ legis ignorantiâ peccasset, et non tam proprio arbitrio, quàm mandantis imperio. Inde est, quòd solus Gregorius ex numero [1] vindicantium integram fidem, nec in fugam versus est, nec passus est exilium; unusquisque enim timuit de illo ulterius iudicare.

CAPUT XV.

Itatius Hispaniarum Episcopus, cognomento et eloquio Clarus, scripsit quemdam librum sub Apologetici specie, in quo detestanda [2] Priscilliani dogmata, et maleficiorum eius artes, libidinumque eius probra demonstrat: ostendens Marcum quemdam Memphiticum, magicæ artis scientissimum, discipulum fuisse [3] Manis, et Priscilliani magistrum. Hic autem cum Ursatio Episcopo ob necem eiusdem Priscilliani, cuius accusatores extiterant, Ecclesiæ communione privatus, exilio condemnatur, ibique die ultimo fungitur, Theodosio maiore et Valentiniano regnantibus.

CAPUT XVI.

Siricius [4] clarissimus Pontifex, et Romanæ Sedis Antistes scripsit [5] decretale opusculum directum ad [6] Eumerium Tarraconensem Episcopum. In quo inter alias Ecclesiasticas disciplinas, constituit hæreticorum baptisma nequaquam ab Ecclesia rescidendum. Reperimus et [7] aliam eius epistolam ad diversos Episcopos missam, in qua condemnat Iovinianum hæreticum, atque Auxentium, ceterosque eorumdem sequaces. Præfuit Romæ annos quatuordecim. Obiit Theodosio et Valentiniano regnantibus.

CAPUT XVII.

Paulinus [8] presbyter explicuit in benedictionibus Patriarcharum triplici intelligentiæ genere librum, satis succincta brevitate compositum. Idem etiam [9] peten-

(1) Vindicat Martyres apud Optatum, *lib.* 1.

(2) Vide Epiph. *lib.* 1. *cap.* 34. et Iræn. *lib.* 1. *cap.* 8. *et* 9.

(3) De Mane Cyrillus *catechef.* 60. et Epiphan. *lib.* 2. *cap.* 661.

(4) Anno 385.

(5) Extant epistolæ.

(6) *Eumerius* semper vocatur in U. C. non *Himerius*.

(7) De qua vide Ambros. *epist.* 8. *et* 81.

(8) Anno 410. fuit Episcopus Nolanus.

(9) Paulinus hic est Episcopus Nolanus, de quo multa mentio apud Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Gregorium, et Gennadium. Frustra enim multi nostra ætate Honorium Augustodunensem sequuti Paulinos duos faciunt: unum Nolanum Episcopum, alterum Presbyterum Mediolanensem, auctorem vitæ sancti Ambrosii. Cum ipse Paulinus in epistola ad Alipium scribat, se licèt in Hispania ordinatus fuerit Presbyter a Lampio Episcopo Barcinonensi, tamen beneficio sancti Ambrosii assequutum esse, ut ubicumque terrarum degeret, Ambrosii Presbyter diceretur. Porrò huiusmodi vitæ, quæ ab Isidoro commemorantur, nempè Ambrosii Mediolanensis, Germani Antisiodorensis, et Paulini Nolani Episcoporum editæ a Paulino, Constantio, et Oranio, extant in vetustissimo exemplari Ecclesiæ Toletanæ, et feruntur impressæ apud Laurentium Surium. *Hæc Ioan. Bapt. Perez.*

Nullo modo probare possumus, quod ait cl. annotator, frustra ab aliquibus duos distin-

Digitized by Google

tente Augustino conscripsit Ambrosii vitam, signis florentem atque doctrinis, et meritis Apostolorum non imparem. Siquidem et Constantius Episcopus Germani vitam contexuit: obitumque Paulini Oranius edidit.

CAPUT XVIII.

Proba [1] uxor Adelphii Proconsulis, femina idcirco inter viros ecclesiasticos posita sola pro eo quod in laude Christi versata est, componens [2] centonem de Christo Virgilianis coaptatum versiculis. Cuius quidem non miramur studium, sed laudamus ingenium: [3] quod tamen opusculum inter apocryphas scripturas inseritur.

CAPUT XIX.

Ioannes [4] sanctissimus Constantinopolitanæ Sedis Episcopus, cognomento Chrysostomus, cuius oratio et plurimam cordis compunctionem, et magnam suaviloquentiam tribuit, condidit Græco eloquio multa et præclara opuscula. E quibus utitur latinitas duobus eius delapsis libellis scriptis ad quemdam Theodorum lamentis et exhortationibus plenis, utpote illum a bona conversatione deiectum. Et quia monachi vitam cum eo in uno eodemque monasterio exercuerat, ideò conversationis ibi factæ eum in libris ipsis admonuit, provocans eum ad propositum, atque ostendens, nulli peccatori vel impio, si ad pœnitentiam redeat, des-

stingui Paulinos, alterum Episcopum Nolanum, Mediolanensem alterum, S. Ambrosii Diaconum; neque id sine gravissimorum historicorum iniuria dici posse putamus, qui fere unanimi consensu in eam sententiam convenêre, quam nos libenter amplectimur. Equidem non frustrà prædictam distinctionem asseruisse, validissimis demonstrant argumentis, adeo ut præter nomen vix quidquam aliud utrique Paulino commune fuisse videatur. Nolanus enim in Aquitania natus, Presbyter in Hispania ordinatus est a Lampio Barcinonensi Episcopo, priusquam ad Ambrosium Mediolanum venisset, apud quem tantam iniit gratiam, ut deinceps Ambrosii Presbyter ubique diceretur: non tamen apud eum semper mansit, sed Nolam petiit, ubi tandem Episcopus renunciatus est. Multa scripsit; præcipua tamen sunt, variæ epistolæ, Natales X. S. Felicis Martyris, et alia complura eleganti metro. Alter Paulinus Ecclesiæ Mediolanensis perpetuus Clericus fuit inferioris Ordinis, Casti Diaconi subditus disciplinæ, S. Ambrosii a sacris scriptionibus; cuius lateri usque ad S. Viri obitum constanter adhæsit. Tantùm abest, ut Presbyter fuerit vivente Ambrosio ordinatus, ut meritò dubitetur an aliquando Presbyter factus sit: a nemine enim, si unicum Isidorum excipias, Presbyter dicitur: ab omnibus verò appellatur etiam post mortem Ambrosii Diaconus. Scripsit rogante S. Augustino vitam illius: deinde adversùs Cælestium Pelagianum obtulit libellum Aurelio Carthag. Episcopo: deinde alium adversus eumdem Zosimo Papæ: quod ex Marii Mercatoris testimonio intelligimus, cuius hæc sunt verba in suo commonitorio, cap. 1. *Cælestius apud Aurelium Episcopum memoratæ urbis, per libellum a quodam Paulino Diacono sanctæ mem. Ambrosii Mediolanensis Episcopi, est accusatus.* Tum styli huius libelli similitudo, sicut unum probat auctorem cum scriptore vitæ S. Ambrosii, ità omnino diversum a Nolano demonstrat: de quo absdubio non loquitur S. Isidorus, quum nulla eius explorata opera recenseat. Plura dicere, præter instituti nostri rationem fore putamus. Itaque qui multa de hac re legere velit, adeat Baronium cum Pagi animadversionibus ad ann. 397. Nat. Alex. Miræum, Fabricium, ceteros.

(1) Anno Christi 410. Extat cognomine Falconia Valeria.

(2) Meminit Hieron. ad Paulinum.

(3) Apocryphum vocat Gelas. *dist.* 15. *c.* 3.

(4) Anno 398.

Digitized by Google

desperandum. Legimus eiusdem et librum alium, cuius prænotatio est: *Neminem posse lædi ab alio, nisi a semetipso.* Ad personam quoque cuiusdam nobilissimæ matronæ Gregoriæ reperitur opus eius insigne de conversatione vitæ, et institutione morum, sive de compugnantia virtutum et vitiorum. Est etiam et alius liber eiusdem apud latinos de compunctione cordis. Alter quoque scriptus ad quemdam Eutropium, cum palatio pulsus ad altarium confugisset. Multos præterea composuit, diversosque tractatus, quos enumerare perlongum est. Cuius quidem studii, etsi non omnia, tamen quàm plurima eloquentiæ eius fluenta de Græco in Latinum sermonem translata sunt. Hic autem (1) decimotertio anno Episcopatus sui discordia Theophili Alexandrini Episcopi oppressus. Faventes Episcopi nostri Arcadio Imperatori damnaverunt eum innocentem, atque ab Episcopatu (2) deiectum Pontum in exilium retruserunt. (3) Corpus trigesimoquinto anno die functionis ab exilio Constantinopolim revocatur; etiam in Apostolorum Ecclesia sepelitur.

CAPUT XX.

Sedulius (4) presbyter edidit (5) tres libros, dactylico heroico metro compositos, quorum primus signa, et virtutes veteris Testamenti potentissimè resonat; reliqui verò gestorum Christi sacramenta vel miracula intonant.

CAPUT XXI.

Posidius (6) Africanæ Provinciæ Episcopus. Hic stylo persequutus est vitam (7) sancti Augustini, cui etiam operi subiecit indiculum scriptorum eius, enumerans quanta idem beatissimus doctor scripsit, ubi plusquam quadrigentorum librorum volumina supputantur. Homiliarum verò, et epistolarum, quæstionumque infinitus modus est, ut penè vix possit quisquam articulo suo aliena tanta scribere, quanta ille proprio labore composuit.

CAPUT XXII.

Primasius (8) Africanus Episcopus, composuit sermone scholastico de hæresibus tres libros directos ad (9) Fortunatum Episcopum, explicans in eis quod olim beatissimus Augustinus in libro hæreseon imperfectum, morte interveniente, reliquerat. In primo namque ostendens quid hæreticum faciat: in secundo, et tertio digerens quid hæreticum demonstret. (10)

(1) Forte anno 7. nam annos 6. sedisse constat ex Marcellino, et Niceph. Constantinop.

(2) Dejectus, ann. Christi 404. ex Marcellino: mortuus exul anno 407. ex Paulo Diac.

(3) Hæc adduntur in uno exemplari.

(4) Anno 430.

(5) Laudat Gelasius *dist.* 15. *can.* 3. §. 25.

(6) Ita U. C. non Possidonius: fuit Episcopus Calamensis in Numidia, in VII. Concil. Carthag. anno 418.

(7) Extat.

(8) Anno 553.

(9) Provinciæ Byzacenæ dicitur in V. Concil. Constantinop. *collat.* 2.

(10) Extant eius comment. in Apocalyps.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

Proterius (1) Alexandrinæ Ecclesiæ Antistes, scripsit Epistolas ad Leonem Romanæ Sedis Episcopum de festivitate Paschali. Hunc autem Leonis Augusti temporibus Dioscori hæretici successores, auctore Timotheo, seditione facta crudelissime peremerunt, ipsumque Timotheum sibi pro Alexandrino Episcopo statuerunt.

CAPUT XXIV.

Paschasinus Siciliensis Episcopus, edidit unam (2) epistolam Paschalem ad Leonem supradictum Papam directam, in qua refert Paschalis mysterii miraculum his verbis: Est, inquit, possessio, quæ appellatur Meltinas, in montibus arduis ac silvis densissimis constituta: illic perparva atque vili opere constructa Ecclesia est, (3) in cuius baptisterio nocte sacrosancta Paschali, baptizandi hora, cum nullus canalis sit vel fistula, nec aqua omninò vicina, fons ex sese repletur: paucisque, qui fuerint, consecratis, cum deductorium nullum sit, ut venerat aqua, ex sese discedit. Claruit sub Theodosio Iuniore, Arcadii Imperatoris filio.

CAPUT XXV.

Iulianus (4) quidam (5) Gallus, cognomento Pomerius, hic octo libros de animæ natura in Dialogi morem conscripsit. Horum primus continet quid sit anima, vel qualiter credatur ad Dei imaginem facta. In secundo loquitur, utrum anima corporea, an incorporea sit. In tertio disserit, primo homini unde anima sit facta. In quarto, utrum nova anima sine peccato fiat: an peccatum primi hominis ex illo propagata originaliter trahat. In quinto describit, quæ sit facultas animæ. In sexto eloquitur, unde sit illa discordia, qua carni spiritus, vel caro spiritui adversatur. In septimo autem scribit de differentia vitarum, et mortium, vel resurrectione carnis et animæ, sive de morte carnis, ac de eius resurrectione. In octavo loquitur de his quæ in fine mundi futura sunt, vel de quæstionibus quæ solent de resurrectione proponi, sive de finibus bonorum atque malorum. Hic tamen in secundo eiusdem operis libro, Tertulliani erroribus consentiens, animam corpoream esse dixit, quibusdam hoc fallacibus argumentis adstruere contendens. Edidit etiam unum libellum de virginibus insti-

(1) Niceph. *lib.* 15. *cap.* 15. Liberatus *cap.* 16. *anno* 457.

(2) Anno 445. scripta est epistola. Extat cum epistolis Leonis *tom.* 1. Conciliorum. Paschasinus hic Lilybetanus Episcopus (*in Sicilia*) fuit Legatus Leonis Papæ in Concilio Chalcedonensi anno 451.

(3) Contigit anno 417. Simile miraculum in Hispania, anno 583. Ex Gregor. Turon. *lib.* 10. *cap.* 22. et Sigeberto. *Vide quæ nos superiùs de hac re disseruimus ad cap.* 105. *lib. S. Ildeph.* de recognit. Bapt.

(4) Anno 450.

(5) Maurum ait fuisse Gennadius. Falsò ergo confundunt quidam Pomerium cum Iuliano Episcopo Toletano, qui obiit anno 690. *Hunc errorem expendemus, cum ad S. Juliani vitam eius operibus præfigendam pervenerimus.*

Digitized by Google

stituendis, alios quoque tres de futuræ vitæ contemplatione, vel actuali conversatione, necnon de vitiis atque virtutibus.

CAPUT XXVI.

Eugipius [1] Abbas Lucullanensis oppidi Neapoli Campaniæ. Hic ad quemdam Paschasium Diaconum libellum de vita sancti monachi Severini transmissum brevi stylo composuit. Scripsit et regulam monachis consistentibus in monasterio sancti Severini, quam eisdem moriens quasi testamentario iure reliquit. Claruit post consulatum [2] Importuni Iunioris, Anastasio Imperatore regnante.

CAPUT XXVII.

Fulgentius Afer Ecclesiæ Ruspensis Episcopus, in confessione fidei clarus, in Scripturis divinis copiosissimè eruditus, in loquendo quoque dulcis, in docendo ac disserendo subtilis, scripsit multa; e quibus legimus, de gratia Dei, et libero arbitrio libros responsionum septem, in quibus Fausto Galliæ Regiensis urbis Episcopo Pelagianæ pravitati consentienti respondens, obnititur eius profundam destruere calliditatem. Legimus et eiusdem librum de sancta Trinitate ad Felicem directum Notarium. Librum quoque regulæ veræ fidei; et alium de sacramento Incarnationis Domini nostri Iesu-Christi. Extant et duo eiusdem libri de veritate prædestinationis ad Episcopos missi: in quibus demonstratur, quòd gratia Dei in bonis voluntatem humanam prævenit; et quòd Deus quosdam prædestinationis suæ munere iustificans præeligit; quosdam verò in suis reprobis moribus occulto quodam iudicio derelinquit. Est et liber altercationis eius, quo de fide cum Thrasamundo Rege idem beatus Fulgentius disputavit. Ad Ferrandum quoque Ecclesiæ Carthaginiensis Diaconum unum de interrogatis quæstionibus scripsit libellum. Inter hæc composuit multos tractatus, quibus Sacerdotes in Ecclesiis uterentur. Plurima quoque feruntur ingenii eius monumenta. Hæc tantùm ex pretiosis doctrinæ eius floribus carpsimus. Sors melior, cui delitias omnium librorum eius præstiterit Dominus. Claruit sub Trasamundo Rege Wandalorum, Anastasio Imperatore [3] regnante.

CAPUT XXVIII.

Eucherius [4] Franciæ Episcopus, elegans sententiis, ornatus in verbis, edidit ad Hilarium Arelatensem Antistitem eremi deserta petentem, unum opusculum de laude eiusdem eremi luculentissimum, et dulci sermone dictatum, in quo opere laudamus

(1) Extat vita apud Surium. De Severino Greg. *lib.* 7. *epist.* 84. Paul. Diac. *lib.* 1. *cap.* 12.

(2) Importunus cos. anno Christi 509. Ad Eugipium extat epist. Fulgentii Ruspensis. Euglpium se vidisse, ait Casiod. *lib.* 1. *Divin. Inst.*

(3) Anno 500.

(4) Anno 450. Lugdunensis Episcopus fuit apud Gennadium et Marcellinum.

Digitized by Google

Doctorem, etsi pauca tamen pulchra dicentem. (1) Brevitas, ut ait quidam, laus est interdum in aliqua parte dicendi; in universa eloquentia laudem non habet.

CAPUT XXIX.

Hilarius (2) Arelatensis Episcopus scripsit vitam parentis et prædecessoris sui sanctissimi ac venerabilis Honorati Episcopi, suavi ac præclaro prædictatam eloquio.

CAPUT XXX.

Apringius (3) Ecclesiæ Pacensis Hispaniarum Episcopus, dissertus lingua, et scientia eruditus, interpretatus est Apocalypsim Ioannis Apostoli subtili sensu atque illustri sermone, meliùs penè quàm veteres ecclesiastici viri exposuisse videntur. Scripsit et nonnulla quæ tamen ad notitiam nostræ lectionis minimè pervenerunt. Claruit temporibus Theudis Principis Gothorum.

CAPUT XXXI.

Iustinianus (4) Imperator, quosdam libros de Incarnatione Domini edidit, quos etiam per diversas Provincias missit. Condidit quoque et rescriptum contra (5) Illyricianam Synodum, et adversus Africanos Episcopos Chalcedonensis Synodi defensores perverso studio: in quo tria capitula damnare contendit, id est, (6) Theodori Mopsuesteni Episcopi dicta, sive rescripta Theodoreti, et Epistolam quæ dicitur Ibæ Edesseni Episcopi.

CAPUT XXXII.

Facundus (7) Afer, Hermianensis Ecclesiæ Episcopus, duodecim libros pro defensione trium capitulorum scripsit, quorum stylo elicuit, præfata tria capitula in præscriptione Apostolicæ fidei, et Chalcedonensis Synodi impugnatione fuisse damnata. Id est, epistolam Ibæ Edesseni Episcopi ad Marim Persam directam, et Theodorum Mopsuestenum Episcopum, et Theodoreti Cyri Episcopi dicta. (8) Claruit post consulatum Basilii anno decimo, regnante Iustiniano Imperatore.

CAPUT XXXIII.

Iustinianus (9) de Hispania, Ecclesiæ Valentinæ Episcopus, ex quatuor fratribus Episcopis eâdem matre progenitis unus, scripsit li-

(1) Ciceronis sunt verba.

(2) Anno 432. de hac Gennadius.

(3) Anno Christi 540. Apringii nomine multorum manibus circumfertur opus ingens manuscriptum in Apocalypsin. Sed ego cum viderem codicem ipsum Gothicum Legionensem, scriptum æra millesima octava, animadverti inde auctoris nomen non constare, sed editum opus in gratiam cuiusdam Eterii. Quin et in præfatione ille auctor ait, se collegisse sua ex libris Victorini, Isidori, et Apringii. Ut manifestò constet non esse illum Apringium cuius Isidorus meminit.

(4) Anno 553. Sumpta hæc ex Liberato, et Victore Tunnensi.

(5) Illyriciana anno 549. Damnat etiam Iustinianus in fidei suæ professione, quæ extat 1. tom. Concil.

(6) Vide Scholion de Theodoro sup. Mopsuesteno ad *cap.* 4.

(7) Sumpta ex Victore Tunnensi.

(8) Anno Christi 551.

(9) Anno 531.

Digitized by Google

librum responsionum ad quemdam Rusticum de interrogatis quæstionibus: quarum prima responsio est de Spiritu sancto: secunda est contra Bonosianos, qui Christum adoptivum filium, et non proprium dicunt: tertia responsio est de baptismo Christi, quod iterare non licet: quarta responsio est de distinctione baptismi Ioannis et Christi: quinta responsio est, quia Filius sicut Pater invisibilis sit. Floruit in Hispaniis temporibus Theudis Principis Gothorum.

CAPUT XXXIV.

Iustus Urgellitanæ Ecclesiæ Hispaniarum Episcopus, et frater prædicti Iustiniani, (1) edidit libellum expositionis in Cantica Canticorum, totum valde breviter atque apertè, per allegoriam sensum discutiens. Huius quoque fratres (2) Nebridius, et Elpidius quædam scripsisse feruntur, e quibus, quia incogniti sumus, magis reticenda fatemur.

CAPUT XXXV.

Martinus (3) Dumiensis monasterii sanctissimus Pontifex, ex Orientis partibus navigans in Gallæciam venit, ibique conversis ab Ariana impietate ad fidem Catholicam Suevorum populis, regulam fidei et sanctæ Religionis constituit; Ecclesias confirmavit, monasteria condidit, copiosaque præcepta piæ institutionis composuit. Cuius quidem ego ipse legi librum de differentiis quatuor virtutum, et aliud volumen epistolarum, in quibus hortatur vitæ emendationem, et conversationem fidei, orationis instantiam, et eleemosynarum distributionem, et super omnia cultum virtutum omnium et pietatem. Floruit regnante Theodemiro Rege Suevorum, temporibus illis quibus Iustinianus in Republica, et Athanagildus in Hispaniis imperium tenuerunt.

CAPUT XXXVI.

Avitus (4) Viennensis Episcopus, scientia sæcularium litterarum doctissimus edidit quinque (5) libellos heroico metro compositos, quorum primus est de origine mundi, secundus de originali peccato, tertius de essentia Dei, quartus de diluvio mundi, quintus de transitu maris rubri.

(1) Extat.

(2) Nebridius Episcopus Egarensis subscribit in II. Concil. Tol. anno Christi 527. et in Concil. Tarrac. anno 516.

(3) Martinus Episcopus Dumiensis, natione Pannonius fuit, ut ex Gregorii Turonensis historia constat, et ex ipsius Martini epitaphio a se composito, quod ex vetusto libro descriptum habemus. Eius hoc est initium:

Pannoniis genitus transcendens æquora vasta,
Gallæciæ in gremium divinis nutibus actus, &c.

Fundavit monasterium Dumiense in Gallæcia, ut dicitur in X. Concil. Tolet. Itaque subscribit Martinus Episcopus in Concil. primo Bracar. anno Christi 561. inde factus Archiepiscopus Bracar. subscribit in II. Concil. Bracar. anno 572. præfuit verò his Ecclesiis annos triginta ex Gregorio Turonensi in Chron. et lib. primo de miraculis Martini Turonensis *cap.* 11. et Aimoino *lib.* 3. *cap.* 39. Eius aliqua opuscula feruntur impressa: plura nos habemus nondum edita.

(4) Anno Christi 490. vide Gregor. Turonens. Sigebertum, et Adonem.

(5) Extant impressi.

Digitized by Google

Scripsit et ad Fuscinam sororem de laude virginitatis librum unum, pulcherrimo compositum carmine, et eleganti epigrammate coaptatum.

CAPUT XXXVII.

Dracontius composuit heroicis versibus [1] Hexameron creationis mundi; et luculenter quidem composuit et scripsit.

CAPUT XXXVIII.

Victor [2] Tunnensis Ecclesiæ Africanus Episcopus. Hic a principio mundi usque ad primum Iustini Iunioris imperii annum brevem per Consules annuos bellicarum Ecclesiasticarumque rerum nobilissimam promulgavit historiam, laude et notatione illustrem, ac memoria dignissimam. Hic pro defensione trium capitulorum a Iustiniano Augusto Ecclesia sua pulsus, exilio in Ægyptum transportatur. Inde rursum Constantinopolim vocatus, dum Iustiniano Imperatori et Eutychio Constantinopolitanæ urbis Episcopo obtrectatoribus eorumdem trium capitulorum resisteret, rursus in monasterio eiusdem civitatis custodiendus mittitur, atque in eadem damnatione (ut dicunt) permanens moritur.

CAPUT XXXIX.

Ioannes sanctæ memoriæ Constantinopolitanus Episcopus, natione Cappadox, ad quem beatus Gregorius librum regulæ pastoralis scripsit, vir [3] inæstimabilis abstinentiæ, et eleemosynis tantùm largissimus, ut zelo avaritiæ adversus eum Imperator Mauritius permotus, urbe pauperes pellendos ediceret. Hic græco eloquio edidit de Sacramento Baptismatis rescriptum ad bonæ recordationis dominum nostrum et prædecessorem Leandrum Episcopum, in quo nihil proprium ponit, sed tantummodo antiquorum Patrum replicat de trina mersione sententias. Claruit temporibus Mauritii Principis, defunctusque est Augusto eodem regnante.

CAPUT XL.

Gregorius Papa, Romanæ Sedis Apostolicæ Præsul, compunctione timoris Dei plenus, et humanitate summus, tantoque per gratiam Spiritus sancti scientiæ lumine præditus, ut non modo illi in

(1) Extat impr. Vide infra in Eugenio III.

(2) Victoris Tunnensis Episcopi habeo Chronicon manuscriptum, in quo post Eusebium, Hieronymum, et Prosperum, tempora prosequitur a Consulatu XVIII. Theodosii Iunioris, id est, anno Christi 444. usque ad annum primum Iustini Iunioris, id est, Christi 567. Ibi suum deplorat exilium, quo mihi valde dignus fuisse videtur. Restitit enim Vigilii Papæ, Iustiniani Imp. et Synodi Constantinop. decretis: dum tria capitula, de quibus supra diximus, mordicùs defendit. Hic apud Isidorum *lib.* 5. *Etymolog. cap.* 38. falsò Turonensis scribitur, ab aliis Tununensis, Trithemio Cummenensis, sed ipse se in vetusto codice Tunnensem vocat. Puto esse oppidum Africæ Proconsularis, quod Tunis Polybio et Straboni vocatur, Tunisense Plinio, Livio autem *Tunes Tunetis* inflectitur: nobile his temporibus ob expeditionem Caroli Quinti Cæsaris. Huius Victoris meminerunt etiam Ado Viennensis et Otho Frisingen. *lib.* 5. *cap.* 4.

(3) Ieiunator vocatur a Niceph. Constantinop.

Digitized by Google

in præsentibus temporibus quisquam Doctorum, sed nec in præteritis quidem par fuerit unquam. Hic in exordio episcopatus edidit librum regulæ pastoralis directum ad (1) Ioannem Constantinopolitanæ Sedis Episcopum: in quo docet, qualis quisque ad officium regiminis veniat, vel qualiter, dum venerit, vivere vel docere subiectos studeat. Idem etiam, efflagitante Leandro Episcopo, librum beati Iob mystico ac morali sensu disseruit, totamque eius propheticam historiam triginta quinque voluminibus largo eloquentiæ fonte explicuit. In quibus quidem quanta mysteria sacramentorum aperiantur, quantaque sint in amorem vitæ æternæ præcepta, vel quanta clareant ornamenta verborum, nemo sapiens explicare valebit, etiam si omnes artus eius vertantur in linguas. Scripsit etiam (2) et quasdam epistolas ad prædictum Leandrum, e quibus una in eisdem libris Iob titulo præfationis adnectitur: (3) altera eloquitur de mersione Baptismatis, in qua inter cetera ita scriptum est: Reprehensibile, inquit, esse nullatenus potest infantem in Baptismate mergere, vel semel, vel ter; quando in tribus mersionibus personarum Trinitas, et in una potest divinitatis singularitas designari. Fertur tamen idem sanctissimus vir et alios libros morales scripsisse, totumque textum quatuor (4) Evangeliorum sermocinando in populis exposuisse: incognitum scilicet nobis opus. Felix tamen, et nimiùm felix, qui omnia studiorum eius potuit cognoscere. Floruit autem Mauritio Augusto Imperatore: obiit (5) in ipso exordio Phocatis Romani Principis.

CAPUT XLI.

Leander genitus patre Severiano Carthaginiensis Provinciæ, (6) professione monachus, et ex monacho Hispalensis Ecclesiæ Provinciæ Bæticæ constitutus Episcopus, vir suavis eloquio, ingenio præstantissimus, vita quoque etiam atque doctrina clarissimus, ut et fide eius atque industria populi gentis Gothorum (7) ab Ariana insania ad fidem Catholicam reverterentur. Hic namque in exilii sui peregrinatione composuit duos adversus hæreticorum dogmata libros, eruditione sacrarum Scripturarum ditissimos, in quibus vehementi stylo Arianæ impietatis confodit atque detegit pravitatem: ostendens scilicet quid contra eosdem habeat Catholica Ecclesia, vel quantum distat ab eis religione vel fidei Sacramentis. Extat et aliud laudabile eius opusculum adversùs instituta Arianorum, in quo propositis eorum dictis suas responsio-

(1) Ita 1. *lib. Regist. epist.* 4. Non ergo ad Ioannem Ravennatem, ut in impressis.

(2) Et aliæ *lib.*4. *Regist. epist.*46. *cap.*90. et *lib.* 7. *epist.* 125.

(3) *Primo lib. Regist. epist.* 41.

(4) Extant homil. 40. in Evangelia.

(5) Anno Christi 604.

(6) Falso Lucas Tudensis et alii addunt: *Duce.*

(7) In Concil. 3. Tolet. ann. 589. Greg. 3. *dialog. cap.* 31. et Greg. Turon.

Digitized by Google

siones opponit. Præterea edidit unum ad Florentinam sororem (1) de institutione virginum et contemptu mundi libellum, titulorum distinctionibus prænotatum. Siquidem et in ecclesiasticis Officiis idem non parvo laboravit studio: in toto enim Psalterio duplici editione orationes conscripsit: in sacrificio quoque, laudibus, atque Psalmis, multa dulci sono composuit. Scripsit et epistolas multas: ad Papam Gregorium de baptismo unam, alteram ad fratrem, in qua præmonet, cuique mortem non esse timendam. Ad ceteros quoque Episcopos plurimas promulgavit familiares epistolas, etsi non satis splendidas verbis, acutas tamen sententiis. (2) Floruit sub Reccaredo viro religioso ac Principe glorioso, cuius etiam temporibus mirabili obitu (3) vitæ terminum clausit.

CAPUT XLII.

Licinianus (4) Carthaginis Spartariæ Episcopus in Scripturis doctus, cuius quidem multas epistolas legimus: de Sacramento denique baptismatis unam, et ad Eutropium Abbatem (qui postea Valentiæ Episcopus fuit) plurimas. Reliqua verò industriæ et laboris eius ad nostram notitiam minimè venerunt. (5) Claruit temporibus Mauritii Augusti: occubuit Constantinopoli, veneno (ut ferunt) extinctus ab æmulis; sed, ut scriptum est, (6) iustus quacumque morte præoccupatus fuerit, anima eius in refrigerio erit.

CAPUT XLIII.

Severus Malacitanæ Sedis Antistes, collega et socius Liciniani Episcopi, edidit libellum unum ad-

(2) Liber de Virgin. extat Oveti.
(2) Anno Christi 600.
(3) Leander Hispalensis quo anno fuerit mortuus, ambigunt nostri historici. Itaque libet in gratiam nostri Isidori, qui et illius germanus, et successor in Ecclesia Hispalensi fuit, annum mortis Leandri certò constituere. Ego Leandrum anno Christi 600. mortuum colligo ex his coniecturis. Primùm quod illum, ait Isidorus frater, vita functum tempore Reccaredi Regis, quem Regem constat obiisse anno Christi 600. Nam successisse Reccaredo Liuvam Regem æra 639. id est Christi 601. tradit Isidorus libro de Gothis. Non verò mortuum Leandrum ante istum annum 600. ex eo liquet, quod Gregorius Papa ad Leandrum Hispalensem scribit 7. *lib. Regist. epist.* 125. *indict.* 2. anno nono sui Pontificatus, nempe anno Christi 599. Ita constabit summa annorum Episcopatus Isidori, qui fratri Leandro successit, ut diximus. Præfuit enim Isidorus suæ Ecclesiæ Hispalensi prope quadraginta annos, auctore sancto Ildephonso. Cum verò certissimum sit Isidorum mortuum anno Christi 636. id quod paulo post in Isidoro confirmabimus, siquis retrocedat, facilè et mortem Leandri, et initium Isidori reperiat; verèque illud de quadraginta prope annis ab Ildephonso dictum cognoscet.

(4) Licinianum sive Licinianum (utroque enim modo scriptum reperio) quidam ex nostris nuper tradiderunt Carthagine translatum fuisse ad Episcopatum Valentinum, non satis intellectis verbis Isidori, qui non Licinianum, sed Eutropium ait fuisse Episcopum Valentinum, ad quem scripserit Licinianus multas epistolas. Huius Liciniani epistola ad Papam Gregorium edita est cum ipsis Moralibus. Ego verò præterea habeo et huius Liciniani, atque Severi eius Collegæ doctissimam epistolam manuscriptam ad Epiphanium Diaconum, ubi Angelos probat esse incorporeos, et alteram ad Vincentium, non Cæsaraugustanum, sed Ebusitanæ insulæ Episcopum, credentem epistolas quasdam de cælo cecidisse.

(5) Circa ann. 590.
(6) *Sapient.* 4.

Digitized by Google

adversus [1] Vincentium Cæsaraugustanæ urbis Episcopum, qui ex catholico ad Arianam pravitatem fuerat devolutus. Est et alius eiusdem de virginitate ad sororem libellus, qui dicitur *Annulus*: cuius quidem fatemur cognovisse titulum, ignorare eloquium. [2] Claruit temporibus prædicti Imperatoris, quo etiam regnante vitam finivit.

CAPUT XLIV.

Ioannes [3] Gerundensis Ecclesiæ Episcopus, nativitate Gothus, Provinciæ Lusitaniæ Scalabi natus. Hic cum esset adolescens Constantinopolim perrexit, ibique Græca et Latina eruditione munitus, post decem et septem annos in Hispanias reversus est, eodem tempore, quo incitante Leovigildo Rege Ariana fervebat insania. Hunc supradictus Rex, cum ad nefandæ hæresis credulitatem compelleret, et hic omnino resisteret, exilio trusus, et Barcinonem relegatus, per decem annos multas insidias et persequutiones ab Arianis perpessus est. Qui postea condidit monasterium quod nomine Biclaro dicitur, ubi congregata monachorum societate scripsit regulam ipsi monasterio profuturam, sed et cunctis Deum timentibus satis necessariam. Addidit in libro Chronicorum ab anno primo Iustini Iunioris principatus usque in annum octavum Mauritii Principis Romanorum, et quartum Reccaredi Regis annum, historico compositoque sermone valde utilem historiam: et multa alia scribere dicitur, quæ ad nostram notitiam non pervenerunt.

CAPUT XLV.

Eutropius [4] Ecclesiæ Valentinæ Episcopus dum adhuc in monasterio [5] Servitano degeret, et pater esset monachorum, scripsit ad Papam Lucinianum, cuius supra fecimus mentionem, valde utilem epistolam, in qua petit ab eodem, quare baptizatis infantibus chrisma, post hæc unctio tribuatur. Scripsit et ad Petrum Episcopum [6] Ircavicensem de districtione monachorum salubri sermone compositam epistolam, et valde monachis necessariam.

CAPUT XLVI.

Maximus [7] Cæsaraugustanæ Civitatis Episcopus multa versu prosaque componere dicitur. Scripsit et brevi stylo historiolam de iis quæ temporibus Gothorum in

(1) De Vincentio Isidorus lib. de Gothis in Leovigildo.

(2) Anno 590.

(3) Ioannis Biclarensis Abbatis Chronicon cuius Isidorus meminit, habeo descriptum ex vetustissimo libro Gothico. Hic auctor, ut de se ipse ait, Victoris Tunnensis Chronicon ulterius perduxit ab anno Christi 566. usque ad 590. ubi nostrorum Regum Leovigildi et Reccaredi historiam per singulos Imperatorum annos doctissimè persequitur.

(4) Penès Eutropium Abbatem Servitanum, et Leandrum Episcopum fuit summa Concilii III. Tolet. ait Ioan. Biclar. ann. 589.

(5) De Servitano Ildephonsus in Donato.

(6) Fortè Ercavicensem.

(7) Subscribit in tribus Concil. MS. Barcinon. Tolet. et Egaren. anno 599. 610. 614. Itaque Isidorus scribit hunc librum usque ad annum 610.

Digitized by Google

in Hispaniis acta sunt, historico et composito sermone: sed et multa alia scribere dicitur, quæ necdum legi.

CAPUT XLVII.

Prænotatio librorum D. Isidori a Braulione Cæsaraugustano Episcopo edita.

Isidorus [1] vir egregius, Hispalensis Ecclesiæ Episcopus, Leandri Episcopi successor, et germanus, floruit a tempore Mauritii Imperatoris et Reccaredi Regis, in quo quiddam sibi antiquitas vindicavit, immò nostrum tempus antiquitatis in eo scientiam imaginavit: vir in omni locutionis genere formatus, ut imperito doctoque secundùm qualitatem sermonis existeret aptus, congrua verò opportunitate loci incomparabili eloquentia clarus. Iam verò quantus sapientia fuerit, ex eius diversis studiis et elaboratis opusculis perfacilè prudens lector intelligere poterit. Denique de iis, quæ ad notitiam nostram venerunt, ista commemoravi. Edidit libros Differentiarum duos, in quibus subtili discretione ea quæ confusè usu proferuntur, sensu discrevit. Procemiorum librum unum, in quo quid quisque liber sanctæ contineat Scripturæ, brevi subnotatione distinxit. De ortu et obitu Patrum librum unum, in quo eorum gesta, dignitatem quoque et mortem eorum, atque sepulturam sententiali brevitate subnotavit. Ad germanum suum Fulgentium Episcopum Astigitanum Officiorum libros duos, in quibus originem Officiorum, cur unumquodque in Ecclesia Dei agatur, interprete suo stylo, non sine maiorum auctoritate elicuit. Synonymorum libros duos, quibus ad consolationem animæ, et ad spem percipiendæ veniæ, intercedente rationis exhortatione, erexit. De natura rerum ad Sisebutum Regem librum unum, in quo tam de Ecclesiasticorum Doctorum, quam etiam de Philosophorum indagatione obscura quædam de elementis absolvit. De numeris librum unum, in quo Arithmeticam propter numeros ecclesiasticis Scripturis insertos ex parte tetigit disciplinam. De nominibus Legis et Evangeliorum librum unum, in quo ostendit, quid memoratæ personæ mysterialiter significent. De hæresibus librum unum, in quo maiorum sequutus exempla, brevitate qua potuit, diffusa collegit. Sententiarum libros tres, quos floribus ex libris Papæ Gregorii Moralibus decoravit. Chronicorum a principio mundi usque ad tempus suum librum unum, nimia brevitate collectum. Contra Iudæos, postulante Florentina germana sua, proposito virgine, libros duos, in quibus omnia quæ Fides Catholica credit, ex legis et Prophetarum testimoniis approbavit. De Viris illustribus librum unum, cui nos

i-

(1) Braulio Episcopus Cæsaraugustanus, cuius Ildephonsus meminit, auctor est huius vitæ Isidori, ut ex libris vetustis constat, et ex his epistolis Braulionis, quæ Etymologiis Isidori solent præponi. Nam et hic testatur rogatu suo Etymologiarum librum ab Isidoro compositum.

Digitized by Google

ista subiunximus. Monasticæ regulæ librum unum, quem pro patriæ usu, et invalidorum animis decentissimè temperavit. De origine Gothorum, et regno Suevorum, et etiam Wandalorum historia librum unum. Quæstionum libros duos, quos qui legit, veterum tractatorum multam supellectilem recognoscit. Etymologiarum codicem nimia magnitudine, distinctum ab eo titulis, non libris; quem quia rogatu meo fecit, quamvis imperfectum ipse reliquerit, ego in viginti libros divisi: quod opus omni modo Philosophiæ conveniens quisquis crebra meditatione perlegerit, non ignotus divinarum humanarumque rerum scientia meritò erit. Ibi redundans diversarum artium elegantia, ubi quæcumque ferè sciri debentur, restricta collegit. Sunt et alia eius viri multa opuscula, et in Ecclesia Dei multo cum ornamento inscripta. Quem Deus post tot defectus Hispaniæ novissimis temporibus suscitans, credo ad restauranda antiquorum monumenta, ne usquequaque rusticitate veterasceremus, (1) quasi quamdam apposuit destinam. Cui non immerito illud philosophicum a nobis aptatur: Nos, inquit, in nostra urbe peregrinantes errantesque tamquam hospites, tui libri quasi domum reduxerunt; ut possimus aliquando, qui, et ubi essemus, agnoscere. Tu ætatem patriæ, tu descriptiones temporum, tu sacrorum iura, tu sacerdotum, tu domesticam publicamque disciplinam, tu sedium, regionum, locorum, tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti. Quo verò flumine eloquentiæ, et quot iaculis divinarum Scripturarum, seu Patrum testimonii- Acephalitarum hæresim confos derit, Synodalia gesta coram eo Hispali acta declarant. In qua contra Gregorium præfatæ hæresis antistitem eam asseruit veritatem. Obiit temporibus Heraclii Imperatoris, et Christianissimi (2) Chintilani Regis, sana doctrina præstantior cunctis, et copiosior operibus caritatis.

N D.

(1) *Quasi quamdam apposuit destinam, &c.* Ita omnino in vetusto codice, quem locum alii non intelligentes, ex ingenio reposuerunt: *Quamdam apposuit lucem destinare.* Utitur ea voce Corippus Poeta Afer libro de laudibus Iustini Iunioris nuper edito a doctissimo Ruyzio Azagrio: *Et Thomas Lybicæ nutantis destina terræ.*

(2) Isidorum mortuum sub Chintila Gothorum Rege ait Braulio. Ex quo multorum nostratium errores convincuntur de anno mortis Isidori, in quo mirum est, quàm varient inter se Hispani historici. Itaque in gratiam nostri auctoris Isidori, quem in primis illustrandum suscepimus, diem et annum, quo mortuus fuerit, definiamus. Aio certissimè mortuum anno Christi 636. Primùm quia Redemptus eius discipulus, obitum Isidori, quem præsens viderat, describens ait, mortuum æra 664. de quo nemo dubitat, quin sit annus Christi 636. Idem quoque Redemptus Isidorum inducit populum alloquentem quatriduo ante mortem his verbis: *Ita* (inquit) *sacri fontis unda, quam hodiè devotus est populus percepturus, sit vobis in remissionem peccatorum.* Cum verò compertum sit ex omnibus Martyrologiis, Isidorum mortuum pridie nonas Aprilis, si Paschales Cyclos consulas, reperies planè isto anno 636. Pascha fuisse pridie Kalendas Aprilis, et ita baptismum Catechumenorum solemnem quatriduo præcessisse mortem Isidori. Præterea si mortuus est sub Chintila, ut ait Braulio, necesse est anno primo Chintilæ mortuum; nam Chintilam cœpisse æra 674. id est Christi 636. cognoscitur ex Concilio quinto

Digitized by Google

D. ILDEPHONSI TOLETANÆ SEDIS EPISCOPI

DE VIRORUM ILLUSTRIUM SCRIPTIS

PRÆFATIO.

1 Virorum[1] adnotationem illorum, quorum edictis atque doctrinis sancta Ecclesia toto terrarum orbe diffusa illustratur in bonis, atque defenditur ex adversis, mox post ascensionem Christi ab Apostolorum exordio vir beatus atque doctissimus Hieronymus presbyter plenè dicitur adnotasse, qui singulatim nomina eorum, seriem temporum, monumenta librorum, diversitates opusculorum in laudabilem necessariamque memoriam usque ad seipsum stylo evidenti conscribens, et innotescendo monstravit, et retexendo posteris commendavit. Hunc sequutus Gennadius, renotationis ordinem textu simili percucurrit. Deinceps vir prudentissimus Hispalensis Sedis Isidorus Episcopus eodem ductu quosque viros optimos reperit, in adnotationem subiunxit. Siquidem non omnia præscrutatus abscessit. Post hunc in nostris partibus incuria cunctos invasit, ita ut quædam vetusta antiquitas operiret, et quàm plurima nova neglectus oblivionis absconderet.

2 Ast ego procul valde impar et his quos adnotatio retinet, et illis quos renotatio delectavit, indignusque satis et absque substantia totius boni operis; successorque sanctæ memoriæ alterius Eugenii factus in Sede illa gloriosa Toletanæ urbis (quam non ex hominum immenso conventu gloriosam dico, cum hanc et gloriosorum illustret præsentia Principum, sed ex hoc, quod coram timentibus Dominum iniquis atque iustis habetur locus terribilis, omnique veneratione sublimis) conatus sum, etsi non elegans studium, vel obsequelam voluntatis bonæ illorum miscere memoriæ gloriosæ Sedis; ne incurrerem ex silentio damnum, si tam gloriosæ Sedis, tamque gloriosorum virorum clarescentem memoriæ lucem tenebrosa nube silentii contexissem.

3 Fertur namque ex antiquitate veteri, quod potuisse fieri cernitur exemplo temporis novi. Nam Montanus sedis eiusdem beatissimus Præsul, ut a se coniugalis conversationis infamiam propulsaret, tandiu adsumptos veste candentes narratur tenuisse car-

to Toletano : anno autem secundo Chintilæ videmus habitum sextum Concilium Toletanum, cui iam non Isidorus (erat enim vita functus) sed Honoratus Isidori successor interfuit. Itaque verè dictum ab Ildephonso cognoscimus, floruisse Isidorum usque ad Sisenandum Regem, nulla omnino facta mentione Chintilæ, qui Sisenandum sequutus est: nempe quòd ipso primo anno Chintilæ Isidorus decesserit. Verè quoque illud ab eodem Ildephonso dictum, præfuisse Isidorum Ecclesiæ Hispalensi fere quadraginta annis : nempe quòd omnino triginta septem anni fuerint, ab anno 600. usque ad 636. ut paulo ante in Leandro, et nunc in Isidoro supputavimus.

(1) Sancti Ildephonsi librum de *Viris illustribus* addidimus, quoniam propter argumenti similitudinem in omnibus nostris libris Isidoro adiunctus reperitur. Quin et Ildephonsus ipse eum se Isidoro addidisse præfatur.

Digitized by Google

carbones, donec Domino consecrans oblationem, totius per semetipsum compleret Missæ celebritatem. Quo sacrificio expleto, prunarum ignis cum decore vestis adeo in concordiam venit, ut nec vestis vim extingueret ignis, nec vis ignis statum læderet vestis.

4 Rursum cùm Helladio Episcopo sedis eius Iustus Diaconus fastu superbiæ insultaret, post mortem quidem sui Pontificis vixit Episcopus, et ipse tabefactus; sed in reprobum versus sensum, ob intemperantiam morum a miministris altaris sui dormiens strangulatus laqueo expiravit.

5 Item, cùm successori eius Iusto Episcopo Gerontius presbyter, Principis oblectamine fotus, contemptum adversitatemque deferret, tam repentino motu vim perdidit intellectus, ut multis medicorum * curationibus acto, quicquid in medelam fieret, totum in pestis augmentum cresceret. Sicque perinvaluit commotio mentis, ut usque ad obitum suum horror esset homini eius vel participatio visionis, vel colloquium oris.

* Ita edit. reg. et MS. Tolet. Non *curatoribus*, quod edit Florez.

6 Adhuc etiam successori in locum eius Eugenio priori Lucidius Diaconus suus, cum innexus amicitiæ sæculari violenter honorem presbyterii et quædam prædia extorsisset, tam in reprobum sensum, tamque in languoris supereminentem pervenit statum, ut cum vivere recusaret, tam mori esset quòd viveret, quàm vivere quòd mori vellet.

7 Horum ergo bonorum studiis provocatus, quæque vetera antiquorum relatu reperi, quæque nova exhibitione temporis didici, orsu linguæ quo potui subnotavi, ut illorum bonæ memoriæ iungar, a quibus prava operatione disiungor. Et qui cum illis in templo Dei non infero doctrinæ copiam, offerentium commendem fideli obsequela memoriam, obsecrans omnes ut me divinæ ingerant pietati. Quare illos humanæ memoriæ, ex qua labi poterant, tenaciter commendavi. Sanè beatissimum Gregorium sanctæ memoriæ Isidorus adnotaverat: sed quia non tantum de operibus eius dixit, quantum nos sumus experti, ideò renotationem illius submoventes, quæque de illo novimus, stylo pleniore notamus.

I. *Gregorius Papa Romanus.*
II. *Asturius Episcopus Toletanus.*
III. *Montanus Episcopus Toletanus.*
IV. *Donatus * Monachus Afer.*
V. *Aurasius Episcopus Toletanus.*
VI. *Ioannes Episcopus Cæsaraugustanus.*
VII. *Helladius Episcopus Toletanus.*
VIII. *Iustus Episcopus Toletanus.*
IX. *Isidorus Episcopus Hispalensis.*
X. *Nonnitus Episcopus Gerundensis.*
XI. *Conantius Episcopus Palentinus.*

* *Abbas Servitanus*: MS. Tolet.

XII. *Braulio Episcopus Cæsaraugustanus.*
XIII. *Eugenius Episcopus Toletanus.*
XIV. *Eugenius alter Episcopus Toletanus.*

CAPUT I.

Gregorius [1] Papa Romanæ Sedis et Apostolicæ Præsul, compunctione timoris Dei plenus, et humilitate summus, tantoque per gratiam Spiritus sancti scientiæ lumine præditus, ut non modo illi præsentium temporum quisquam, sed nec in præteritis quidem par fuerit unquam. Ita enim cunctorum meritorum claruit perfectione sublimis, ut exclusis omnibus illustrium virorum comparationibus, nihil illi simile demonstret antiquitas. Vicit enim sanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, sapientia Augustinum. Hic namque in exordio Episcopatus sui edidit librum regulæ pastoralis, directum ad Ioannem [2] Constantinopolitanæ Sedis Episcopum, in quo docet qualis quisque ad officium regiminis veniat, vel qualiter dum venerit, vivere vel docere subiectos studeat. Scripsit præterea, exceptis opusculis de quibus Isidorus beatæ memoriæ mentionem facit, idem excellentissimus Doctor et alios libros morales, videlicet super Ezechielem Prophetam Homilias viginti duas in libris duobus compactas, in quibus multa de Divinis Scripturis mystico ac morali sensu * luculenter, necnon et facundo sermone disseruit. Super librum Salomonis, cui titulus est *Canticum Canticorum,* quàm mirè scribens, morali sensu opus omne exponendo percurrit. De vitis Patrum per Italiam commorantium edidit etiam libros quatuor, quos volumine uno compegit, quem quidem codicem Dialogorum maluit appellari. In quibus libris quanta divinitatis lateant sacramenta, et in amore cælestis patriæ mira documenta, studiosus potest facilè cognoscere lector. Extant et ipsius ad diversos epistolæ plurimæ, limato quidem et claro stylo digestæ; quas qui perlegerit, liquidò advertet et in eo ad Deum rectam fuisse intentionem, et ad animarum zelum omni vigilantia et cura extitisse solertem. Has itaque uno volumine arctans, in libris duodecim distinxit, Registrum nominandum esse decrevit. Fertur et alia opuscula edidisse egregia; sed ad manus nostras nondum pervenerunt. Felicissimus tamen et nimium felix, cui dedit Deus studiorum eius omnia perpendere dicta. Floruit namque vir iste sublimis ac beatissimus Doctor et Præsul Mauritio Augusto regnante.

* *luculente*: Tol. et reg. edit.

(1) Gregorii Papæ vita, quam se scripsisse Ildephonsus ait, in omnibus desiderabatur exemplaribus Ildephonsi, præter unum illud Monasterii Fontis-sancti, unde nos bonam partem libelli Isidori *de Viris illustribus* sumpsimus.

(2) Ita Isidorus, licèt in impressis, *Ravennatem.*

CA-

CAPUT II.

Asturius [1] post [2] Audentium in Toletana urbe Sedis Metropolis Provinciæ Carthaginis Pontifex successor obvenit; vir egregius adsignans opera virtutum plus exemplo vivendi, quàm calamo scribentis. Hic et sacerdotio beatus, et miraculo dignus, quia quibus iungeretur in cælo, eorum terreno reperire membra meruit in sepulcro. Nam cum Sedis suæ sacerdotio fungeretur, divina dicitur revelatione commonitus, Complutensi sepultos municipio (quod ab urbe eius ferme sexagesimo milliario situm est) [3] Dei Martyres perscrutari. Qui concitus adcurrens, quos et tellus aggeris et oblivio temporis presserat, in lucem et gloriam terrenæ cognitionis provehendos invenit. Quibus repertis, redire in sedem renuens, servitute simul et assiduitate sanctis innexus, diem clausit extremum. Cuius tamen sedem donec vixit, nemo adiit. Inde, ut antiquitas fert, in Toleto Sacerdos nonus, et in Compluto agnoscitur primus.

CAPUT III.

Montanus [4] post Celsum primæ Sedis Provinciæ Carthaginis Toletanæ urbis Cathedram tenuit: homo et virtute spiritus nitens, et eloquii opportunitate decorus, regimen honoris retentavit ac disposuit, condigno cælestique iure simul et ordine. Scripsit epistolas duas ecclesiasticæ utilitatis disciplina consertas; e quibus unam Palentiæ habitatoribus, in qua Presbyteros chrisma conficere, Episcoposque alienæ Diœcesis alterius territorii Ecclesias consecrare, magna perhibetur prohibere auctoritate; sacrarum litterarum testimoniis affirmans id ipsum fieri penitùs non licere. Amatores quoque Priscillianæ sectæ, licèt non operarentur eadem; quia tamen memoriam eius amore retinerent, abdicat et exprobrat, commemorans quòd in libris beatissimi Turibii Episcopi ad Leonem Papam missis eadem Priscillianorum hæresis detecta, convicta, atque decenter maneat abdicata. Aliam verò epistolam ad Turibium religiosum, in qua collaudans eum, quòd culturam destruxerit idolorum, committit ei sacerdotalis auctoritatem vigoris, per quam Presbyteros chrisma conficere, et Episcopos alienæ sortis alterius Diœcesis Ecclesias consecrare magna compescat invectione. Hic vir antiquissima fidelique relatione narratur ad exprobrationem infamiæ tamdiu prunas tenuisse in vestimen-

(1) Asturius, forte qui in I. Concil. Tolet.

(2) Audentii Episcopi Hispani meminit Gennadius.

(3) Sanctos Iustum et Pastorem passos sub Datiano, de quibus Prudentius.

(4) Montani Archiepiscopi Toletani duas epistolas, quarum Ildephonsus meminit, nos habemus nondum editas. Is verò Turibius, ad quem Montanus scribit, monachus fuit Palentinus, valde diversus a sancto Turibio Asturicensi Episcopo, cuius corpus Lebanæ apud Astures colitur. Est et tertius Turibius Notarius Romanæ Sedis, cuius mentio fit primo Concilio Bracarensi. *Prædictæ epistolæ editæ postea fuere ab Eminentissimo C. Aguirrio, deinde a P. Florez: tertiò tandem a nobis in hoc opere recusæ. Vide suprà in Montano; ubi de Turibiorum numero ex Aguirrii annotationibus.*

Digitized by Google

mento ardentes, donec coram Sedis suæ sacro altari totius Missæ celebritatem per semetipsum expleret. Peractis autem solemnibus nec prunæ ignem, nec vestis inventa est amisisse decorem. Tunc Deo relatis gratiarum actionibus, per simplicem naturam ignis convicta est et fallacia detestabilis accusantis, et innocentia beatissimi Sacerdotis. Gloriosus habitus fuit [1] temporibus Amalarici regis : annis novem Pontificatus tenuit dignitatem.

CAPUT IV.

Donatus [2] et professione, et opere monachus, cuiusdam eremitæ fertur in Africa extitisse discipulus. Hic violentias barbararum gentium imminere conspiciens, atque ovilis dissipationem et gregis monachorum pericula pertimescens, fermè cum septuaginta monachis copiosisque librorum codicibus navali vehiculo in Hispaniam commeavit. Cui ab illustri religiosaque femina Minicea subsidiis ac rerum opibus ministratis, [3] Sirvitanum monasterium visus est construxisse. Iste prior in Hispaniam monasticæ observantiæ usum et regulam dicitur adduxisse : tam vivens virtutum exemplis nobilis, quàm defunctus memoriæ claritate sublimis. Hic * in præsenti luce subsistens, et in crypta sepulcri quiescens, signis quibusdam proditur effulgere salutis: unde et monumentum eius honorabiliter colere perhibentur incolæ regionis.

* *Hic et in præsenti*: Tol. et cod. Marianæ apud Florez.

CAPUT V.

Aurasius Toletanæ Ecclesiæ Pontifex Metropolis urbis, post Adelphium in loco adsciscitur Sacerdotis, vir bonus, regiminis auctoritate * præclarus, domesticis rebus benè dispositus, adversitatibus infixis constanter erectus: qui quantò extitit temperatior mansuetis, tantò fortior semper fuit inventus adversis. Plus illi intentio in defensione veritatis, quàm in scribendi exercitio mansit [4] : unde perfectissimis viris compar habetur, quia quæ de verbo illorum prædicatio seminavit, defensionis huius custodia præmunivit. Vixit in Sacerdotio temporibus Witterici, Gundemari, et exordiis Sisebuti regum, annis ferme duodecim.

* *præclarens* : Tol.

CAPUT VI.

Ioannes [5] in Pontificatu [6] Maximum sequutus Ecclesiæ Cæsaraugustanæ Sedem ascendit. Primò Pater monachorum, et ex hoc

(1) Et ita subscribit Montanus in II. Concil. Tolet. anno 5. Amalarici.

(2) Donatum mirabilium operatorem vocat Ioannes Biclar. ann. 572.

(3) De Sirvitano Isidorus in Eutropio.

(4) *Extat apud nos manuscripta eius epistola ad quemdam Froganem Iudæorum partes foventem. Vidit eam aliquando ipse Ioan. Bapt. Perez, et habuit transcriptam ex vetusto C. Biblioth. S. Laurentii, eamque annotavit. Ex illa licèt brevi id quod scribit hoc loco S. Ildephonsus, facilè confirmatur; nempè in arguendo et reprehendendo acerrimum, in scribendo verò parum accuratum extitisse.*

(5) Ioannes frater Braulionis infr. cap. 12.

(6) De Maximo Isidorus de Viris illustribus, cap. 46.

hoc Præsul factus in regimine populorum: vir in sacris litteris eruditus, plus verbis intendens docere, quàm scriptis: tam largus et hilaris dato, quàm hilaris et vultu. Unctionem namque spiritus Dei, qua fovebatur interiùs, tàm largitate muneris quàm habitudine vultus adeò præferebat, ut et datum gratia commendaret, et non datum gratia excusaret. In ecclesiasticis Officiis quædam eleganter et sono et oratione composuit. Annotavit inter hæc inquirendæ Paschalis solemnitatis tam subtile atque utile argumentum, ut lectori et brevitas contracta, et veritas placeat patefacta. Duodecim annis tenuit sedem honoris, adeptus vitam gaudio, ad quam anhelavit desiderabili voto. Substitit in Sacerdotio temporibus Sisebuti et Suinthilani regum.

CAPUT VII.

Helladius post Aurasium Sedis eius adeptus est locum. Hic cùm regiæ aulæ illustrissimus, * publicarumque rector existeret rerum, sub sæculari habitu monachi votum pariter explebat et opus. Nam ad monasterium nostrum (illud Agaliense dico, cuius me susceptio monachum tenuit, quod munere Dei perennisque ac patentis sanctitatis decore et opinabile cunctis, et palàm est totis) quum sæpè discursantium negotiorum ductus itinere perveniret, remota clientum sæculique pompa decoris, adeò monachorum peculiaritatibus inhærebat, ut turmis iunctus eorum, stipularum fasciculos ad clibanum deportaret. Cumque inter decorem insolentiamque sæculi, solitudinis et amaret et sectaretur arcana, celeri fuga, relictis omnibus quæ esse noverat mundi, * ad id sanctum monasterium, quod frequentaverat voto, venit permansurus optabili usu. Ibi factus monachis Pater, meritis studiisque sanctis et vitam monachorum debitè rexit, et statum monasterii totius communis rei divitiis cumulavit. Ex hoc fessis penè senio artubus ad Pontificatus apicem evocatur; et quia vocaretur vi * coactus, pariter et ignotus, illic maiora virtutum exempla quàm monachus dedit: quia statum mundi, quem contempsit virtute, magna perhibetur rexisse discretione. Miserationes, eleemosynarumque copias tam largiter egenis intulisse probatur, ac si de illius stomacho putasset inopum et artus descendere, et viscera confoveri. Scribere renuit, quia quod scribendum fuit, quotidianæ operationis pagina demonstravit. Me, ad monasterium rediens memoratum, ultimo vitæ suæ tempore Levitam fecit. Senex obiit: decem et octo annis sacrum regimen tenuit. Temporibus Sisebuti, Suinthilani, et exordiis Sisenandi Regum beatus habitus fuit: qui post beatior gloriam cælestis regni bona plenus senectute promeruit.

* *publicanusque* Tol.

* Ita Tol. Cod. et Florez. Editio Matrit. *adiit.*

* *Vi coactatur* Tol.

CAPUT VIII.

Iustus Helladii discipulus, illique successor innexus est: vir habitu-

tudine corporis, ingenioque mentis decorus, atque subtilis, ab infantia monachus; ab Helladio ad virtutem monasticæ institutionis affatim educatus pariter et instructus, in Agaliensi monasterio tertius post illum rector est factus. In Pontificatu autem mox illi successor inductus, vir ingenio acer, et eloquio sufficiens, magna spe profuturus, nisi hunc ante longævam vitam dies abstulisset extrema. Scripsit ad Richilanem, Agaliensis Monasterii Patrem, epistolam debita et sufficienti prosequutione constructam, in qua patenter adstruit susceptum gregem relinquere penitus non debere. Extitit rector annis tribus: (1) tempore Sisenandi obiit, qui Rex post hunc die nona decima defunctus abscessit.

CAPUT IX.

Isidorus post Leandrum fratrem Hispalensis Sedis Provinciæ Bæticæ Cathedram tenuit: vir decore simul et ingenio pollens; nam tantæ iucunditatis affluentem copiam in eloquendo promeruit, ut ubertas admiranda dicendi ex eo in stuporem verteret audientes, ex quo audita * bis qui audisset, non nisi repetita sæpius commendaret. Scripsit opera et eximia, et non parva: id est, librum de genere officiorum, librum procemiorum, librum de ortu, et obitu Patrum, librum lamentationis, quem ipse synonymorum vocavit, libellos duos ad Florentinam sororem contra nequitiam Iudæorum, librum de natura rerum ad Sisebutum Principem, librum differentiarum, librum sententiarum. Collegit etiam de diversis auctoribus, quod ipse cognominat, secretorum expositiones sacramentorum: quibus in unum congestis, idem liber dicitur Quæstionum. Scripsit quoque in ultimo ad petitionem Braulionis Cæsaraugustani Episcopi librum Etymologiarum, quem cum multis annis conaretur perficere, in eius opere diem extremum visus est conclusisse. Floruit temporibus Reccaredi, Liuvanis, Witterici, Gundemari, Sisebuti, Suinthilanis, et Sisenandi Regum, annis ferè quadraginta tenens Pontificatus honorem, insignemque doctrinæ sanctæ gloriam pariter et decorem.

* *Bis* legitur in edit. omn. Nos in MS. Tol. legimus *bis*, quod non cohæret, nisi malè scriptum dicamus *bis* pro *is* in nominandi casu: quæ lectio omnibus esset probanda: nisi placeret *vix* pro *bis* coniectari.

CAPUT X.

Nonnitus post (2) Ioannem in Gerundensi Sede Pontifex accessit, vir professione monachus, simplicitate perspicuus, actibus sanctus, non hominum diutina deliberatione, sed Dei per homines celeri definitione in Pontificatum adscitus: adhærens instanter obsequiis sepulcri sancti (3) Felicis martyris. Rexit Ecclesiam Dei meritorum exemplis amplius quàm verborum edictis. Hic et in corpore degens, et in sepulcro

(1) Subscribit in IV. Concil. Tolet. ann. 3. Sisenandi.

(2) Ioannem Biclarensem Abbatem, de quo Isidorus cap. 44.

(3) Felix Gerundensis Martyr, de quo Prudentius in 18. Martyr. et Eulogius.

Digitized by Google

cro quiescens, fertur salvationis operari virtutes. Substitit temporibus Suinthilanis et Sisenandi Regum.

CAPUT XI.

Conantius [1] post Maurilanem [2] Ecclesiæ Palentinæ Sedem adeptus est, vir tam pondere mentis, quàm habitudine speciei gravis, communi eloquio facundus, et * gravis, ecclesiasticorum Officiorum ordinibus intentus, et providus: nam melodias soni multas noviter edidit. Orationum quoque libellum de omnium decenter conscripsit proprietate Psalmorum. [3] Vixit in Pontificatu ampliùs triginta annos, dignus habitus fuit ab ultimo tempore Witterici per tempora Gundemari, Sisebuti, Suinthilanis, Sisenandi, et Chintilæ Regum.

* *gratus*: Tol.

CAPUT XII.

Braulio [4] frater Ioannis in Cæsaraugusta decedentis adeptus est locum: vir sicut germanitate coniunctus, ita non [5] minimum ingenio minoratus. Clarus et iste habitus canoribus, et quibusdam opusculis. Scripsit [6] vitam Æmiliani cuiusdam Monachi, qui memoriam huius, et virtutem illius sancti viri suo tenore commendat pariter et illustrat. Habuit Sacerdotium fermè viginti annis: quibus expletis clausit diem vitæ præsentis. [7] Duravit in regimine temporibus Sisenandi, Chintilæ, Tulganis, et Chindasvinthi Regum.

CAPUT XIII.

Eugenius [8] discipulus Helladii, conlector et consors Iusti, Pontifex post Iustum accedit, ab infantia monachus, ab Helladio cum Iusto pariter sacris in monasterio institutionibus eruditus. Hunc secum Helladius a monasterio tulit ad Pontificatum tractus, qui rursus ab eo Clericalibus institutus ordinibus, Sedis eius post illum tertius rector accessit. Et bonum meritum senis, qui duobus discipulis sanctisque filiis Ecclesiæ Dei hæreditatem meruit relinquere gubernandam. Idem Eugenius moribus incessuque gravis, ingenio callens. Nam numeros, statum, incrementa, decrementaque, cursus recursusque lunarum tanta peritia novit, ut considerationes disputationis eius

Oo au-

(1) Conant. in Concil. Tolet. ann. 636.
(2) Maurila subscribit in III. Concil. Tolet. Episcopus Palentinus, non Amalensis, ut in impressis.
(3) Itaque moritur circa annum 638.
(4) Ad quem scribit Isidorus.
(5) Al. *nimium*.
(6) Extat manuscripta.
(7) Itaque moritur circa annum 646.
(8) Eugenios Archiepiscopos Toletanos videntur Gothi cognovisse duos tantum. Itaque secundum, sive alterum vocant Ildephonsus, Iulianus, et Felix illum quem nos tertium. Temporis enim vetustas oblivione obruerat Eugenium primum Martyrem a Dionysio Areopagita Toletanis missum, de quo meminit Ilduinus Abbas, et sancti Gerardi vita, et concors denique Ecclesia Parisiorum, atque Toletanorum. Anno tandem Christi 1148. Raymundus Archiepiscopus Toletanus ad Concilium Remense profectus, in Eugenii monumentum Lutetiæ incidit, et rei gestæ historiam sepulcrique locum nostris primus nuntiavit. Nuper autem Philippus Secundus Rex Hispaniarum religiosissimus, huius S. Eugenii Martyris corpus ex Gallia ad se allatum anno 1565. celeberrima pompa excepit, et Ecclesiæ donavit Toletanæ.

Digitized by Google

auditorem et in stuporem verterent, et in desiderabilem doctrinam inducerent. Vixit in Sacerdotio ferè undecim annis, regnantibus Chintila, Tulgane, et Chindasvintho Regibus.

CAPUT XIV.

Item Eugenius alter post Eugenium Pontifex subrogatur. Hic cum Ecclesiæ regiæ Clericus esset egregius, vita monachi delectatus est. Qui sagaci fuga urbem Cæsaraugustanam petens, illic Martyrum sepulcris inhæsit, ibique studia sapientiæ, et propositum monachi decenter incoluit: unde principali violentia reductus, atque in Pontificatum adscitus, vitam plus virtutum meritis, quàm viribus egit. Fuit namque corpore tenuis, parvus robore, sed validè fervescens spiritus virtute; studiorum bonorum vim persequens, cantus pessimis usibus vitiatos melodiæ cognitione correxit, officiorum omissos ordines curamque discrevit. Scripsit de sancta Trinitate libellum et eloquio nitidum, et rei veritate perspicuum, qui Libyæ, et Orientis partibus mitti quamtotius poterat, nisi procellis resultantia freta incertum pavidis iter viatoribus distulissent. Scripsit et duos libellos, unum diversi carminis metro, alium diversi operis prosa concretos, qui ad multorum industriam eius ex hoc tenaciter sanctam valuerunt commendare memoriam. Libellos quoque (1) Dracontii de creatione mundi conscriptos, quos antiquitas protulerat vitiatos, ea quæ inconvenientia reperit, subtrahendo, immutando, vel meliora coniiciendo, ita in pulchritudinis formam coëgit, ut pulchriores de artificio corrigentis, quàm de manu processisse videantur auctoris. Et quia de die septimo idem Dracontius omnino reticendo, semiplenum opus visus est reliquisse, iste et sex dierum recapitulationem singulis versiculis renotavit, et de die septimo, quæ illi visa sunt, eleganter dicta subiunxit. Clarus habitus fuit temporibus Chindasvinthi, et Recesvinthi Regum, ferè duodecim annis tenens dignitatem simul et gloriam Sacerdotis, sicque post lucis mundialis occasum in Basilica S. Leocadiæ tenet habitatione sepulcrum.

HUCUSQUE ILDEPHONSUS.

(1) De Dracontio Isidorus, cap. 37.
Dracontius porro Poeta, cuius hic fit mentio, iam diu fertur impressus, non tamen ut fuerat ab Eugenio emendatus: sed hanc Eugenii emèndationem vidi in illo vetusto Codice Ruicii Azagril, cuius supra mentionem feci. *Et hic Dracontius, ut ab Eugenio emendatus fuit, editus sæpius est; primùm a doctissimo Sirmondo, deinde in PP. Bibliotb. tandem a nobis hic inter cetera S. Eugenii opera suprà recusus.*

S.

Digitized by Google

S. ILDEPHONSI ARCHIEPISCOPI TOLETANI
OPERA DUBIA.

MONITUM.

Quae dubia dicimus, lector optime, illa opera velimus intelligas, quae aliquando non sine probabili ratione S. Doctoris credita sunt; quamvis procedente tempore, scriptisque ad iustum criterium diligentiùs examinatis, potiora momenta deprehenderint viri docti, quare ipsa S. Doctori abiudicanda putaverint. In his primum locum damus opusculo de PARTURITIONE B. M. VIRGINIS, ET EIUS PERPETUA VIRGINITATE, *pauca de eo praefaturi, quoniam habemus super eius legitimo auctore animadversiones eruditiss. Viri Ioannis Mabillonii* (sæcul. II. act. SS. Ordin. S. Bened. in observ. ad vitam S. Ildephonsi), *quem exscribere operae pretium duximus cum Luca D' Achery tomo I. sui spicilegii fol. 43. novae editionis per Ludovicum de l' Barre correctae et expurgatae.*

Franciscus (*inquit*) Feu-ardentius, Theologus Parisiensis in Bibliotheca Patrum nonnulla Ildephonsi opuscula vulgavit: in his librum DE VIRGINITATE S. MARIÆ CONTRA TRES INFIDELES, cuius hic prologus: *Deus, lumen verum, etc.* et initium: *O Domina mea! Dominatrix mea, etc.* Cui libro alium Ildephonso itidem attributum subiecit, DE PERPETUA VIRGINITATE S. MARIÆ, ET EIUS PARTURITIONE cum hoc exordio: *Quamvis omnium Ecclesiarum virginitas, etc.* Primum libellum esse Ildephonsi, posteriorem verò Ratberti Abbatis Corbeiensis certissimis deprehendimus argumentis. Ildephonsus librum DE VIRGINITATE testimoniis veteris, ac novi Testamenti plenum edidit, inquit Cixilanes: qui dicendi modus in priore libro evidenter, non in posteriori apparet. Præterea Ildephonsus, auctore Iuliano, librum de virginitate scripsit CONTRA TRES INFIDELES, et quidem CONTRA IOVINIANUM, HELVIDIUM, ET IUDÆOS; quemadmodum ex Quirici epistola, quæ præfixa est operibus Ildephonsi in MS. codice, manifestum est. Atqui Ildephonsus eosdem omnino Infideles nomine tenus in priore hocce libro interpellat et exagitat; in posteriore verò libro alius omnino quæstionis status: Patrum testimonia passim in confirmationem adducuntur, quos inter laudantur et citantur Gregorii Magni Moralia, Augustinus, Hieronymus, Cyrillus Alexandrinus, Petrus Ravennas, aliique, quos ne salutat quidem in opere suo Ildephonsus. Denique magna est inter utrumque opus styli diversitas. Ildephonsus conglobatis synonymis adversarios urget; Ratbertus maiori sententiarum gravitate, qui modus senem decebat, in posteriori libro procedit: opusque suum dedicat Abbatissæ, et Sanctimonialibus B. Ma-

riæ apud Suessionas, ubi educatus fuerat; quod ex operis inscriptione postea referenda patebit. Unde eas *Matres, et Matronas charissimas* sæpe appellat.

Non ergo Ildephonsus, sed Ratbertus posterioris istius libri auctor censendus est. Huius tempore emersit controversia quædam inter catholicos de modo quo B. Maria Christum peperit. Eum naturali et communi ceterorum hominum via et lege natum asserebant nonnulli: alii contra, quos inter Ratbertus, reclamabant. Quæstio ista in Germania orta est, uti docet Ratrammus Corbeiensis Monachus Ratberti sententiæ contrarius, in libello quem de hoc argumento composuit, et cuidam sibi *ignoto* (non proinde Ratberto Monasterii sui Abbati) inscripsit. Ratrammo respondere videtur Ratbertus *Fratrum* nomine adversarios appellans his verbis: *Sed quia quorumdam nunc Fratrum rursus impudica quasi pertunctando laborat temeritas, decrevi ad vos, Matronæ Christi, de iis scribere, quæ ipsi curiosiùs contra eius pudicitiam quàm religiosiùs conantur explorare:* Et ut statum controversiæ intelligas, *non dico*, inquit, *quòd dicant virginitatem amisisse, quæ nesciens virum, virgo concepit, virgo peperit, et virgo permansit; sed quia id ipsum quod confitentur negant, dum dicunt eam communi lege naturæ filium edidisse.*

Hinc apparet magna inter utrumque Ildephonsi, et Ratberti opus diversitas. Ildephonsus agit CONTRA TRES INFIDELES; Ratbertus ADVERSUS FRATRES. Ildephonsus arguit HELVIDIUM, ET IUDÆOS virginitatem Deiparæ pernegantes; Ratbertus catholicos Theologos eamdem Deiparæ virginitatem admittentes, at non rectè explicantes, ut qui Mariam dilatatis virginalibus claustris Christum peperisse dicerent: quod certè iam voluerat Iovinianus, quem Ildephonsus impugnat. Ratbertus opus suum in duos partitus est libros, Sanctimonialibus Suessionensibus nuncupatos hac inscriptione, qualis in apographis Corbeiensibus reperitur: *Venerabili Matronæ Christi unà cum sacris virginibus Vesona* (legendum *Suessona*) *monasticè degentibus P. R.* (idest *Paschasius Ratbertus*) *Monachorum omnium peripsema.* Hanc inscriptionem si vidisset Feu-ardentius, Ratberto sine dubio proprium ac germanum fœtum tribuisset. Post hæc sic liber incipit: *Quoniam omnium Ecclesiarum, etc.* quæ in Bibliotheca Patrum habentur ad medium usque libellum. Nam ab eo loco ubi legitur hæc nota: *hic aliquid desideratur*, codices MSS. ab editis omnino discrepant, substituuntque partem Sermonis Ildephonso adscripti, qui inter editos DE PURIFICATIONE S. MARIÆ inscribitur: secundus verò Ratberti liber est ipsa Homilia, quæ in impressis prædicto sermoni subiicitur cum hoc exordio: *Inter sanctarum Scripturarum eloquia, etc.*

Hucusque Acherius ex Mabillonio: quibus satis apertè evincitur huius opusculi auctorem longe alium fuisse ab Ildephonso no-

Digitized by Google

nostro : cui nos sententiæ libenter subscribimus. Unum tantùm habemus quod lectorem hoc loco moneamus : Mabillonii superiora argumenta ex eo pondus præcipuè desumere , quod vix in dubium revocari potest , nempe unicum de Virginitate opusculum fuisse ab Ildephonso conscriptum , illudque tot singularibus notis distinctum , prout ex Iuliano et Cixila accepimus , ut facilè a quocumque alio secerni possit ; neque enim si aliud conscripsisset Ildephonsus in Deiparæ Virginis defensionem alios sortitus adversarios , credimus eius vitæ scriptores silentio fuisse prætermissuros. Quo præiacto fundamento , tota ista collatio inter utrumque opus a Mabillonio doctè instituta , firmissimè constat ; continuòque elicitur, hoc alterum opusculum quod et propter styli differentiam , et argumenti dissimilitudinem , et adversariorum quos oppugnat diversitatem , nullatenus potest ad illud Ildephonsi tamquam eius pars aliqua referri , esse alteri adiudicandum.

Quod reliqua spectat , postquam Acherii editionem cum illa Feu-ardentii , et codice nostro MS. Ameliano (de quo multa iam mentio in præfatione libelli DE VIRGINITATE*) diligenter contulimus , quamquam Manuscriptum cum Feu-ardentio consentire deprehenderimus , hos tamen deserere , atque Acherii editionem , uno vel altero loco excepto , sequi decrevimus. Nec temerè ; est enim hic tractatus in Acherio ut plurimùm correctior quàm in nostris , in quibus , ut iam indicavit Mabillonius , perturbatus est ordo , et interpollatus contextus. Non ideo tamen codicis nostri parvipendenda est auctoritas : namque scriptura illius correctissima est , quæ sæpè sæpiùs cum MSS. Corbeiensibus Acherii consentit , eorumque lectionem confirmat contra Feu-ardentium , ut ex variantibus lectionibus apparebit. Deinde in eo ipso codice secundi libelli conclusionem reperimus , qualis habetur in Feu-ardentio , desideratur verò in Acheriana editione. Et nostro quidem iudicio quicumque attentè utramque perlegerit , fatebitur secundam huius opusculi partem in Acherio esse mutilam , quippe quæ in media cuiusdam Isaiæ sententiæ expositione desinit , hærente adhuc et suspensa oratione ; in nostris verò perfectam extare , in quibus non ante finis sermoni imponitur , quàm tota sententia explicata ad rem accommodata sit , D. Augustini verbis oratione conclusa. Quare non dubitavimus ex nostro supplere , quæ Acherianæ editioni deesse cognovimus.*

Interea tamen necessariò factum est , ut duo fragmenta , quæ ex loco non suo meritò reiecta sunt , separata remanserint. Quæ ne omnino perirent , huic opusculo ante sermones subiecimus : scilicet exordium sermonis (ut est in Feu-ardentio) DE PARTURITIONE ET PURIFICATIONE S. MARIÆ *, et mediam partem* TRACTATUS DE PARTURITIONE *, apud ipsum. De iis admonitus , vale.*

OPU-

OPUSCULUM [1] DE PARTU VIRGINIS

PASCHASIO RATBERTO

Abbati Corbeiæ veteris probabiliùs attribuendum.

[2] Quamvis omnium Ecclesiarum virginitas beatæ et gloriosæ genitricis Dei Mariæ sit decus, honor, et forma virtutis, maximè tamen Sanctimonialium virginum, quarum castitas eius [3] specialiùs illustratur virtutibus, informatur exemplis, corroboratur et meritis. Unde sacratissimum eius puerperium animo et corde devotissimè venerari ac retexere, divini muneris est gratia. Pro ea verò contra hæreticam pravitatem dimicare ac vincere, opus est Spiritus sancti et virtus Altissimi, qui eam obumbravit, ut sine coitu viri, et sine ulla corruptione [4] Deum et hominem pareret, virgoque semper maneret. Pro qua iam olim beatum Hieronymum contra Helvidium hæreticum et contra eius complices scripsisse legimus; quos ita debellavit ac devicit, ut deinceps usque ad præsens nihil [5] recidivum erroris contra eam surrexerit.

Sed quia nunc quorumdam fratrum rursus impudica quasi percunctando laborat temeritas, decrevi ad vos, Matronæ Christi, de his scribere, quæ ipsi curiosiùs contra eius pudicitiam quàm religiosiùs conantur explorare. Explorando verò partum virginitatis eius et uterum pudicitiæ, introducunt [6] ac si peritissimi phisiologi [7] callidè satis disputatione sua conluvionem vitiorum, in qua concurrunt plurima erroris discrimina.

Dicunt enim non aliter beatam virginem Mariam parere potuisse, neque aliter debuisse quàm com-

(1) In Acherio inscribitur hic liber *de Partu virginis*: In Feu-ardentio verò, et codice nostro Ameliano eius titulus est: *Liber contra eos qui disputant de perpetua virginitate S. Mariæ, et eius parturitione.*

(2) Sic incipit liber in nostris absque ulla præfatione: In codicibus tamen Corbeiensibus legitur hæc, prout ab Acherio edita est: *Venerabili Matronæ Christi unà cum sacris Virginibus Vesona monasticè degentibus Paschasius Ratbertus Monachorum omnium peripsema.*

Quæstionem, Charissimæ, de partu B. Mariæ Virginis mihi nuper allatam vobis persolvere decrevi, quoniam vos eam plurimum amare non ambigo; ut ex hoc sciatis quantum vos diligam longe diù a puero vester alumnus, multo iam senio confectus.

Illud autem *Vesona* Mabillonius cum Acherio contendit legendum *Suessona*, seu *Suessione*; Ludovicus verò de la Barre retineri posse putat, cum in Petragoricensi provincia in Galliis fuerit urbs *Vesona*, seu *Vesonna*, aut *Vesuna* dicta, ut omnes norunt.

(3) Ita Acherius et noster cod. MS. Feu-ard. edidit *specialiter illustrata.* Paulò infra edimus *Pro ea verò*, ut est in Feu-ard. et Am. meliùs quàm *Propter ea*, quod habet Acherius.

(4) In Acher. *Dominum.*

(5) *Recidivum* habent Feu-ard. et Acherius: dissentit cod. Am. qui scribit *residuum*: quæ lectio in altero Corbeiensium reperitur, nec improbatur a L. de la Barre.

(6) *Ac si*: hæc verba parenthesi inclusa voluit L. de la Barre, quasi a librario superaddita, sensumque perturbantia. Non negamus: sed nullus illa codex non habet, nec omnino intolerabilia sunt.

(7) *Callida*: Amel.

Digitized by Google

communi lege naturæ, et sicut mos [1] est omnium feminarum, ut vera nativitas Christi dici possit.[2] Aliàs autem (inquiunt) si non ita natus est ut ceteri nascuntur infantes, vera nativitas non est. Et ideo ne fantasia putetur, aut ne sicut aqua per alveum transisse, ita per uterum virginis absque nascentis ordine natus credatur, pium est sentire, sic eum lege naturæ natum fuisse, quomodo nascuntur ceteri infantes, et eam sic peperisse sicut reliquæ pariunt mulieres.

O cæca pietas, quæ tam impiè sentit de Maria virgine, et cæca præsumptio, quæ tam impiè loquitur de Christo! Non dico quòd dicant virginitatem amisisse quæ nesciens virum virgo concepit, virgo peperit, et virgo permansit; sed quia idipsum quod confitentur negant, dum dicunt eam communi lege naturæ puerperam filium edidisse. Quod si ita est, ut astruunt et affirmant, (quod absit) iam Maria virgo non est, Christus sub maledicto natus est, iræ filius de carne peccati, et ipsa quæ benedicta ab angelo prædicatur, in maledictione adhuc permanens sub maledicto peperit. Alioquin quid est, quòd legem naturæ requirunt in Maria, ubi totum quicquid in ea fuit, possedit Spiritus sanctus? [3] quam virtus Altissimi obumbravit? Quòd si virtus Altissimi ab omni æstu peccati eam obumbravit, in conceptu et in partu sicut ab omni æstu libidinis libera fuit, ita et ab omni pressura maledictionis, non ex sese, sed ex virtute Altissimi immunis et aliena fuit. [4] Quapropter cogitent et divinarum rerum iura, quia non ex natura rerum divinæ leges pendent, sed ex divinis legibus naturæ rerum et leges manare probantur. Idcirco temerarium est asserere de Christo, quòd secundùm communem legis naturam sit natus, qui non secundùm usum naturæ in utero de carne Virginis est procreatus. Nam et ipsa lex naturæ, sub qua nunc mulieres concipiunt et pariunt, ut ita dicam, verè non est lex naturæ quodammodo, sed maledictionis et culpæ; quoniam nisi Adam et Eva primùm peccassent in paradiso, nemo deinceps nasceretur sub culpa peccati. Et ideo ista communis lex nascendi non naturæ est, sed corruptionis et vitii. Maria autem quia benedicta culpam corruptionis non habuit, propterea Christum non in dolore neque sub corruptione genuit. Quòd si ex corruptione aut cum dolore natus est Christus, iam ex maledicto natus est: de quo maledicto Genesis testatur quòd dixerit Dominus Evæ: *Multiplicans,* inquit, *multiplicabo dolores tuos, et conceptus tuos.* Gen. 3. 16. Pro quo Symmachus *afflictiones tuas* dixit. Origenes verò et Theodotion, necnon et Se-

(1) *Est* deest in Feu-ardentio: at habet cum Acher. Amel. cod.

(2) *Aliàs* etiam in Amel. solus Feu-ard. *alii.*

(3) Solus Feu-ardent. legit *quoniam* pro *quam*, ut est in ceter.

(4) In Amel. et Feu-ard. legitur: *Quapropter cogitent isti disputatores naturarum leges, cogitent et divinarum rerum* (*virtutem* Feu-ard.) *iura* Amel.

Digitized by Google

Septuaginta *tristitias tuas* dixerunt *et gemitus:* ubi et Theodotion et Symmachus pro gemitibus *ærumnas* posuerunt. In quibus omnibus non lex naturæ designatur, ut isti phisiologi volunt (1) imperitè satis, sed lex vindictæ multiplicatur, et augetur causa peccati, labores in partu, afflictiones, tristitiæ, et ærumnæ atque gemitus. Pro quo in Hebræo habetur: הַרְבָּה אַרְבֶּה עִצְּבוֹנֵךְ: וְהֵרֹנֵךְ:. Unde omnes quæ pariunt, non ex natura primæ originis sic pariunt, sed ex vitio culpæ, et ex maledicto iustæ vindictæ Dei. At verò benedicta et gloriosissima virgo Maria, non dico quòd non ex communi lege naturæ, verùm etiam nec ex natura primæ originis filium, neque ex semine viri, sed de Spiritu sancto ex sua carne divinitus procreatum, sine ulla vitiorum colluvione Deum et hominem profudit. Et ideo partus eius non sic tractandus est, ut ceteri nascuntur; quoniam (2) sicut Doctor egregius Athanasius ait inter cetera in libello fidei suæ, quem quasi sub dialogo edidit, Incarnatus est Unigenitus secreto suo mysterio, quod ipse novit. Unde prosequitur: Nostrum est, inquit, credere, et illius nosse. Audiant quapropter, quia solummodo illius est nosse quomodo conceptus, quomodo in utero conversatus, quomodo Verbum Deus et homo de Virgine natus sit unus Christus: quia, ut ipse ait, Deus Verbum totum suscipiens quod est hominis, ut homo sit, et assumptus homo totum accipiendo quod Dei est, (3) aliud quàm quod Deus est, esse non potuit. Ac per hoc si Deus Verbum, totum suscipiendo quod est hominis, homo est, et assumptus homo totum accipiendo quod Dei est, utique Deus est. Quod si ita est, ut iste confessus est, immo quia est, ubi quæso est communis lex in nascendo, ubi colluvio vitiorum? Nam Christus Deus qui numquam non fuit, ex quo homo factus est et assumptus in unitate personæ, semper mansit et permanet verus Deus et homo: non duo quidem, ut esset alter Deus, et alter homo: sed unus idemque Deus et homo. Quamvis enim aliud per quod Deus, et aliud per quod homo, in utroque tamen unus Deus et homo; quia non fuit aliquando purus sine Deo conceptus vel natus homo. Sed quia conceptus est de Spiritu sancto ex virginea carne, et natus homo verè, mox ex ipsa conceptione, ineffabili nativitate Deus verus processit, et natus est homo. Quomodo ergo commune dicitur, quod est ineffabile? Vel quomodo non semper totus est verus Deus Christus, (4) qui numquam sine vero Deo nec conceptus est, nec natus? Et ideo sicut clausis visceribus iure creditur conceptus, ita omninò et clauso utero natus. Nec enim illi accessit

S. Athanasius *lib. 9. de sua fide* circa finem.

(1) Feu-ard. *imperiosè*.
(2) Pro *sicut Doctor* scribit *doctè* Feu-ar.
(3) Edimus hunc locum ad cod. Amel. et Feu-ard. edition. In Acherio desideratur tota sequens periodus, et præsentem concludit illis verbis: *utique Deus est. Quod si &c.*
(4) *Qui numquam* est in Am. et Feu-ard. meliùs quàm *quicumque* quod legitur in Acher.

Digitized by Google

sit [1] de homine impotentia, quo modo nasceretur ex virgine, sicut nec aliquando ei accessit, ne esset Deus et unus Christus, qui voluit sic nasci in unitate veri Dei et hominis, ut esset totum veritas quod nascebatur, et esset ineffabile prout nascebatur, atque totum credibile quod ex Virgine nascebatur sine colluvione peccati, sicut ex nulla contagione primæ originis.

Quapropter audiant temerarii perscrutatores tanti mysterii, et intelligant quòd non sunt hæc humanitatis iura in nascendo, neque lex, non dico damnatæ naturæ, verùm etiam nec lex primæ originis ante peccatum, ut Deus et homo unus de Virgine sic Christus nasceretur; quia, ut ait beatus Cyrillus in epistola ad Nestorium: Non est natus communis homo de sancta Virgine, quia in ipsa vulva Virginis, ut ipse fatetur, utero virginali se Verbum cum carne coniunxit, et sustinuit generationem carnalem, quia carnis suæ nativitatem suam fecit, et [2] qui in forma Dei fecit hominem, in forma servi factus est homo; sed utrumque Deus de potentia suscipientis, et utrumque homo de humilitate suscepti. Ac per hoc talis partus non est communis lege naturæ, sed sicut mirabiliter conceptus, ita mirabiliter Deus et homo natus. Ergo non illum ut ceteros adoptio filios Dei fecit filium, sed divinitatis natura illum in proprium Dei filium exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut esset totus Dei filius homo et Verbum, quia numquam non fuit Dei filius, qui sempiternus permanet unici genitoris unigenitus. Numquam igitur ipse purus homo conceptus, neque natus, sicut ceteri nascuntur infantes, ut ei [3] ex adoptionis gratia, aut ex emolumento virtutum prærogativa filii præstaretur; sed Dei Verbum, quia caro factum est, assumpsit hominem in se sine persona hominis, ut totus esset Christus [4] proprius Dei filius, non ex dono gratiæ renascendo, ut ceteri, sed salva proprietate utriusque naturæ. Personam verò hominis ideo non assumpsit, sed tantùm hominem, quia ipse persona tertia cum Patre et Spiritu [5] sancto in Trinitate Deus unus semper fuit. Idcirco iure quod habuit in æternitate, personam non assumpsit, sed hominem in tempore, antea quem non habuit: ita ut qui suscepit et quod susceptum est, sicut ait beatus Augustinus in libro de prædestinatione, una esset in Trinitate persona; quia sicut ipse alibi ait, natus est de Patre Deus Verbum, natus est de matre Verbum caro factum, unus atque idem Deus Dei filius, natus ante sæcula, et natus in sæculo, et

In epistola ad Nestorium post medium.

Philip. 2. 9.

Pp utra-

(1) Feu-ard. et Amel. aliter habent: *Nec enim illi accessit de hominis impotentia, quo nasceretur ex virgine &c.*

(2) *Quia* Feu-ard.

(3) Cod. Amel. *ex adoptionis gloria*: deinde Feu-ard. *aut ex molimento virtutum.*

(4) *Proprius Dei filius*: retinuimus lectionem cod. nostr. Amel. et Feu-ard. meliorem absdubio quàm Acherii, qui edidit: *Esset Christus proprius non ex dono gratiæ &c.*

(5) *Sancto* deest in Acherio; sed habent Am. et Feu-ard.

Digitized by Google

utraque nativitas unius est filii Dei; ac per hoc virgo Maria iure Dei genitrix vocatur, (1) quia genuit Deum et hominem. Verbum caro factum, non ut ceteri nascuntur infantes, aut ut ex dono gratiæ fiunt homines; sed sicut beatus Gregorius ait in Moralibus, salva proprietate utriusque naturæ, essentialiter in suam assumpsit personam hominem, per quod mirabile sacramentum et æternus ex Patre, et temporalis ex matre, unus idemque esset verus Dei hominisque filius; quoniam, sicut ipse ait in eisdem Moralibus, aliud est natos homines gratiam adoptionis per eum accipere, aliud (2) unum singulariter per divinitatis potentiam Deum ex ipso conceptu prodisse.

Quapropter, quæso, cessent isti dicere, sic eum esse natum, ut ceteri nascuntur; quia non genuit eum Virgo Dei genitrix ex origine primæ prævaricationis ut renascatur, sed de Spiritu sancto ut Deus credatur, sine dolore, et sine gemitu, sine molestia et ærumna, sine tristitia et afflictione; (3) quoniam hæc omnia iustissimè damnatæ carnis in prima origine retributiones sunt et vindictæ. At verò beata Maria, licèt ipsa de carne peccati sit nata et procreata, ipsaque quamvis caro peccati fuerit, non tunc iam (4) quando præveniente Spiritus sancti gratia ab Angelo præ omnibus mulieribus benedicta vocatur: *Spiritus sanctus*, inquit, *superveniet in te, et virtus Altissimi obumbravit tibi.* Luc. 1. 35. Alioquin si non eodem (5) Spiritu sancto sanctificata est et emundata, quomodo caro eius non caro peccati fuit? Et si caro eius de massa primæ prævaricationis venit, quomodo Christus Verbum caro sine peccato fuit, qui de carne peccati carnem assumpsit, nisi quia Verbum quod caro factum est, eam primùm obumbravit, in quam Spiritus sanctus supervenit, et virtus Altissimi eam totam possedit? Propterea verè caro (6) eius iam non caro peccati fuit, in qua Deus se totum infudit, et Verbum quod caro factum est, sine peccato ad nos venit; qui iure non solùm legem naturæ vitiatæ in nascendo non tenuit, (7) verùm nec legem primæ originis, quam haberent feminæ, si mandatum servasset mater omnium Eva in paradiso. Aliàs autem quomodo Spiritu sancto eam replente non sine originali peccato fuit, cuius etiam nativitas gloriosa, catholica in omni Ecclesia Christi ab omnibus felix et beata prædicatur? Enimverò si non beata esset et gloriosa, nequaquam (8) eius festivitas celebraretur ubique ab omnibus. Sed quia tam solemniter colitur, constat ex auctoritate Ecclesiæ, quòd

(1) *Quæ* Feu-ard.
(2) *Unum* deest in Feu-ard. et cod. Am. qui scribunt: *aliud est singulariter &c.*
(3) *Quoniam hæc omnia*: est in Acher. et cod. Amel. *Hæc* deest in Feu-ard.
(4) *Quando* desideratur in nost. Am. et Feu. qui habent: *non tunc iam ex præveniente.*
(5) *Spiritu sancto*: Acherius et Amel. cod. deest verò *sancto* in Feu-ard.
(6) *Eius* est in Am. et Feu-ard. desideratur in Acherio.
(7) *Verè* scribit Feu-ard.
(8) Feu-ard. et Amel. *tam festiva celebraretur ubique ab omnibus.*

Digitized by Google

quòd nullis quando nata est subiacuit delictis, neque contraxit in utero sanctificata originale peccatum. Unde etsi Ieremiæ dies atque Iob maledicta pronuntiatur, dies, inquam, nativitatis eorum; dies tamen quando inchoata est felix Mariæ nativitas, beata pronunciatur, et colitur religiosè satis. Quòd si in peccato esset, iure maledicta diceretur et gemebunda potiusquàm benedicta, quando nunciatum est patri eius, quòd nata esset in sæculo. Nunc autem quia universam benedictione sua beata virgo Maria illustrat Ecclesiam, non immeritò sanctificata in Spiritu sancto colitur veneranda. Nullius igitur nativitas celebratur in mundo nisi Christi, et eius, atque beati Ioannis; (1) Ioannis autem quia et ipse in utero sanctificatus legitur: sic et beata virgo Maria nisi in utero matris sanctificata esset, minimè nativitas eius colenda esset. Nunc autem quia ex auctoritate totius Ecclesiæ veneratur, constat eam ab omni originali peccato immunem fuisse, per quam non solum maledictio matris Evæ soluta est, verumetiam benedictio omnibus condonatur. Quòd si præclara sacratissimæ Virginis nativitas universaliter tam sancta et tam gloriosa iure colitur et veneratur; quantò magis ipsa, quando ab Angelo iam gratia plena officiosissimè salutatur? Nam cum dicit ei *Ave*, cæleste venerationis obsequium exhibet. Cum autem dicit *gratia plena*, ex integro (2) iram expulsam ostendit, et restitutam gratiam declarat. Cum dicit *benedicta tu*, fructum benedictionis demonstrat, quia quando Spiritus sanctus in eam advenit, totam defæcavit a sordibus Virginem et decoxit, ut esset sanctior quàm astra cæli. Porrò quando virtus Altissimi totam eam obumbravit, (3) factum est ut eius in utero veniens Verbum, quod erat in principio sempiternum apud Patrem, caro fieret ex tempore, et habitaret in nobis.

Ier. 20. 14. Iob 3. 3. Luc. 1. 28.

Audiant igitur novi disputatores et investigatores novi et inauditi partus, audiant et intelligant primùm quia viri sunt, quomodo benè disputare queant de natura et sexu mulierum: deinde recogitent (4) ut quid naturam requirunt et communem legem nascendi, ubi totum divinum est et ineffabile, divina virtus quod operatur? *Generationem eius* (inquit (5) Propheta) *quis enarrabit?* Nam *quis* hoc loco pro (6) impossibili accipitur; quia nemo sanctorum est, non dico divinam, verumetiam qui humanitatis eius generationem ad liquidum queat enarrare, quamvis utrasque omnes debeant credere. Hinc ergo colli-

Isai. 53. 8.

(1) Quæ sequuntur usque ad illa *sic et beata*, desiderantur in Acherio, neque prætermittenda erant.

(2) Ubi Acherius habet *iram expulsam*, est in Feu-ard. *tam exclusam.*

(3) Hanc lectionem, quæ est in Feu-ard. et Amel. nostro retinendam putavimus: neque enim quidquam in ea corruptum animadvertimus, sicut in illa *factum eius in utero, &c.* quam emendare volens L'Barre sic edidit: *Statim eius in utero veniens Verbum, quod erat in principio sempiternum apud Patrem, ut caro fieret &c.*

(4) *Ut quid*: nihil mutavimus ex nostris. Acherius habet *ut qui.*

(5) *Propheta* deest in Acher.

(6) Amel. *impossibilitate.*

Digitized by Google

ligitur, quòd superstitiosa sit istorum cunctatio, et superflua disputatio, quia dicunt ostia ventris et vulvæ eum aperuisse, et colluvionem sanguinis, ut ceteri omnes, et (1) fecundarum spurcitias post se traxisse: in quibus omnibus gemitus et dolor multiplicatur, tristitia et ærumnæ augentur, (2) ut nemo sine his pariat filium. Sed absit a cordibus fidelium, ut tale aliquid suspicentur de Maria virgine, quæ pro maledictione primæ originis benedictionem attulit mundo. Unde et ipsa siquidem, ut dixi, ab
Luc.1.28. Angelo benedicta prædicatur in mulieribus, et salutatur officiosissimè ut mater Domini præ omnibus gloriosa, et ab Elisabeth in spiritu prophetiæ benedicta pronunciatur, et benedictus fructus ventris eius creditur et veneratur. (3) Ergo in qua, et per quam tanta benedictio effloruit, et gratia manavit, non est credendum quòd eius puerperium doloribus et gemitibus more feminarum subiacuerit. Et quia beata Dei genitrix tristitiis non subiacuit et ærumnis, libera ab omni maledictionis nævo fuit, quam Spiritus sanctus adimplevit, et totam (4) Domino dedicavit; quam virtus Altissimi obumbravit, (5) et ex sanctificata carne Virginis Verbum carnem assumpsit, (6) et counivit in unitate personæ. Et hoc est quod dicitur: *Verbum caro factum est*, non commixtione naturæ, *Ioan.1.14.*
sed ex unitate personæ. Et ideo etiam de hac nativitate, ut dixi, iure dictum credimus: *Generationem eius quis enarrabit?* *Isai.53.8.*
Quia et ista ineffabilis est mira nativitas carnis: non sicut isti (7) cæcuciunt, communis ex lege naturæ, sed sacramento gratiæ. Nam quòd nascitur Deus homo ex Virgine, (8) non est consuetudo, sed mysterium; non est natura, sed virtus, sed dignatio; non est ordo nascendi, sed potestas. Et ideo non est quod requirat humana sapientia in hac nativitate, nisi quia Verbum caro factum est, et natus est ut voluit, vel quando, et quomodo voluit. Alioquin quis capiat quod inauditum et ineffabile est? (9) Vel quid intelligentia carnis iure in eo requirit, ubi totum et divinum et incomprehensibile, quod narratur? Ait namque Evangelista: *Generatio Christi sic erat.* Utique generatio ista *Matth.1.18.*
carnalis sic erat, de qua non dixit, sic facta est, sed sic erat; quia Christi generatio erat apud Patrem ineffabilis, quando per hanc præscriptam et ineffabilem generatus est ex matre. Unde quod erat, utique semper erat. Et quod

(1) Feu-ard. *secundas spurcitias.* Amel. *immundarum spurcitias.*

(2) *Ut nemo*: ita Acher. et Amel. cod. *et nemo* Feu-ard.

(3) *Ergo* (*inquies*) *per quam*, ita Feu-ardent. Paulò post nec Amel. nec ipse habent *beata Dei genitrix*: et pro *nævo* quod est in Ach. legunt *nodo.*

(4) *Totam eam* (Amel.) *Domino dicavit. Quoniam virtus &c.* ipse et Feu-ard.

(5) *Et sanctificata carne Virginis Verbum carnem sibi &c.* Feu-ard. et Amel.

(6) *Et convenit*: Feu-ard.

(7) *Sicut isti canunt*, *communi lege naturæ*, *&c.* Ita Feu-ard. et Amel.

(8) Ex his quæ sequuntur, sola ultima verba habet Feu-ard. *non est ordo nascendi &c.* Amel. verò cum Acherio consentit.

(9) Feu-ard. et Amel. cod. *Vel quis intelligentiam carnis iure requirit in eo*, *ubi totum est divinum*, *et incomprehensibile quod narratur?*

Digitized by Google

quod semper erat ex æternitate, potuit fieri ex tempore, quicquid factum est in eo [1] mirabile.

Unde plurimùm desipiunt qui dicunt eum communi lege naturæ esse natum, [2] qui non ea lege constat esse conceptus; quoniam hæc lex nascendi, quæ nunc lex naturæ vocatur, ex vitio primæ damnationis est. Et
Ephes. 2. 3. ideo ait Apostolus: *Fuimus nos omnes aliquando filii iræ, sicut et ceteri.* Sed absit a fidelium cordibus, ut ita Christus natus credatur filius iræ, sicut ceteri nascuntur in vitio corruptionis, de qua corruptione dolor et gemitus multiplicatur. Aliàs autem secundùm carnem nec gemitus nec dolor sine corruptione viscerum, nec corruptio sine [3] dolore et gemitu: gemitus et corruptio in partu feminarum non nisi ex delicto et maledictione primæ originis veniunt. Unde interrogemus istos sequaces Helvidii hæretici, qui etsi virginem eam non denegant permansisse, pudicitiam tamen commaculant et gratiam qua plena prædicatur, quando communi lege vitiatæ naturæ dicunt eam peperisse. Quòd si ita peperit, ergò adhuc acsi in massa primæ damnationis contra Angeli vocem maledictioni subiacuit, et Verbum Patris de carne peccati, (quod absit) ut caro fieret, hominem assumpsit. Sed quia contra fidem Catholicam est sic sapere, beata Virgo plena gratiâ neque dolorem sensit, neque corruptionem viscerum pertulit, quia quantum aliena fuit a culpa, Spiritu sancto in ea cooperante, et virtute Altissimi [4] qua adumbrabatur, in tantum extranea a maledicto primæ damnationis, [5] et tantum immunis permansit a corruptione carnis, necnon et a gemitu et doloribus, quibus vexantur omnes filiæ Evæ cum pariunt. Unde Propheta in persona Christi ad Patrem: *Tu es*, inquit, *qui* Psalm. 21. 10.
extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meæ. Ergo cum dicit: *Tu es qui extraxisti me*, singularem suam declarat nativitatem, [6] suaviter de ventre enixus. [7] Aliàs autem omnis qui de ventre matris venit ad lucem in mundo, non nisi nutu et operatione Dei procreatus venit. Christus autem de Virgine speciali et ineffabili quodam modo procreatus, absque vexatione matris ingressus est mundum. Et ideo pium est credere, quòd non sicut ceteri, sed novo et admirabili ordine Deus et homo natus est in mundo. Hinc ergo est quòd Ieremias testatur: *Faciet Dominus no-* Ierem. 31. 22.
vum super terram, mulier cir-

(1) *Non mirabile* edidit Acherius ex suis, quod an sit meritò a nobis reiectum, nostrorum lectione servata, iudicet lector.

(2) Amel. cod. *Qui alia lege constat esse natus et conceptus.* Et paulo post, ubi Acherius habet *lex naturæ*, Feu-ard. et Amel. *lex nascendi.*

(3) *Dolore cordis*: Feu-ard. et Am.

(4) *Qua adumbratur, in totum &c.* Ita Feu-ard. contra Acher. et Amel.

(5) *Et tantum immunis permansit a corruptione carnis*; ita legitur in Amel. cod. et Feu-ard. neque extrudere hæc verba voluimus, ex quibus verbum *permansit* orationem planiorem redit.

(6) Nihil mutamus in his quæ habet Am. cum Feu-ardentio: quamquam aliter Acherius: *Suavitatem de utero enixus.*

(7) Solus Feu-ard. scribit *alius* pro *aliàs.*

Digitized by Google

circumdabit virum. Quod si utique novum fuit et admirabile, quòd Virgo concepit sine semine et sine corruptione viri, vetustas esse non potuit in partu; et ideo nihilominus credendum quòd simili modo, novo et admirabili ordine natus sit in mundo sine dolore, et sine gemitu, et sine ulla corruptione carnis. Et hinc est ac si pro gratiarum actione, quòd speciali modo in Psalmo, qui de Psalm. 21. 10. ipso totus est, ad Patrem ait: *Tu es qui extraxisti me de ventre*. Ac si [1] patenter dicat: Extraxisti me, quia non eo ordine sum egressus de utero, ut ceteri nascuntur, cum ingenti vexatione matris, sed novo egressu [2] sine corruptione pudoris. Extraxisti me quidem de ventre matris, et non ego viscera corrupi integritatis. Et ne putaremus phantasma fuisse, ut multi hæreticorum dixerunt, addidit: *Spes mea ab uberibus matris meæ*. Ergo ubi mater et ubera narrantur, veritas carnis et non phantasma prædicatur; qui licèt clauso utero sit natus, [3] quem ipse sibi pervium fecit salvo sigillo pudoris, sicut et conceptus, tamen de carne Virginis procreatus est, et ideo uberibus iure lactatus commemoratur. Sic itaque totum factum est, ut fieret novum super terram, [4] quando Verbum caro factum est, et vocatum est Emmanuel, quod est, nobiscum Deus. Hic est itaque hortus ille conclusus in Canticis, fons Cant. 4. 12. signatus: hortus siquidem conclusus, quia quando [5] Deus ingressus est ad eam, incorruptam invenit; sed fons signatus permansit, quando Deus et homo natus est ex ea, nec tamen fontem pudoris, aut sanguinis integritatem violavit. Nam sanguis et fons pudoris, qui corruptus non fuit in conceptione prolis ex coitu viri, non credo quòd corrumpi debuerit in nativitate, quòd cruciationem matris et contaminationem honestatis habuerit. Hinc est sanè quòd Ecclesia ex auctoritate sanctorum Patrum canit de nativitate eius: *Et gaudium matris habens* Sedulius lib. 2. Carm. (inquit) [6] *cum virginitatis pudore*. Ubi alii quàm egregii viri emendarunt *cum virginitatis honore*. Virginitatis autem honor permaximus est, si et virgo Deum pariat et hominem, et tamen ex homine nato nullis affligatur Kakiis sigillum pudoris. Kakiæ namque dicuntur græcè vexationes, quibus quàm dirè affligitur corpus et animus. Sed beata Maria nihil horum pertulit, quæ et gaudium habuit in fructu, et honorem in partu: hinc quoque dicitur concepisse virgo, et peperisse, et permansisse. Æqua igitur conditione dicitur concepisse, ac peperisse, æqua et permansisse.

Non

(1) *Apertè* Amel.

(2) Mutilus est apertè hic locus in nostris, in quibus ita legitur: *Sed novo egressu, ut multi hæreticorum dixerunt, &c.*

(3) *Quoniam* est in Feu-ard. et Amel.

(4) *Quoniam Verbum &c.* habet Feu-ard. et Amel. ex quibus postea supplevimus *et* quod desideratur in Acherio, qui scribit *vocatum est &c.*

(5) *Quando ingressus est ad eam*: ita Feu-ard. et Amel. meliùs quàm Ach. *quando ingressus est, et eam incorruptam &c.*

(6) *Cum virginitate pudoris* Acherius, qui paulo post: *emendarunt cum virginitate honoris*: quod ex sequentibus patet esse corruptum in Corbeiensibus.

Digitized by Google

Non enim in partu solent [1] coïre puerperæ cum viris, ut virgo tunc negetur virginitatem perdidisse, quando nullus est appetitus, neque ulla possibilitas coëundi; sed integritas commendatur virginis, et honor atque incorruptio carnis. Alioquin nos viri, quia nescimus illius sexus naturam, interrogemus virgines, interrogemus æquè et matronas coniugio copulatas; virgines quidem, ut sciamus quid sit integritas carnis et sanguinis, coniugatas verò, si est ulla corruptio in partu aut dolor, nisi præcesserit sanguinis contaminatio, et seminis susceptio. Non enim libenter vobis verecundiam incutimus, carissimæ, qui non sine magno pudore de iis loquimur. Sed eximiæ pietatis [2] honor est vobis, et decus virtutis beatissimæ Virginis pudicitiam prædicare incorruptam et incontaminatam, et ab omni contagione primæ originis confiteri alienam. De qua si interrogemus virgines, norunt incorruptionis gratiam, sed nesciunt fœcunditatem prolis. Si verò quæramus apud coniugio dedicatas, sciunt quidem maledictionis Evæ pressuras et gemitus, sciunt et inter ærumnas et tristitias fœcunditatem seminis; sed nesciunt integritatem virginitatis nec in conceptu, nec in partu. Beata [3] verò mater Domini in utroque virgo permansit, id est, et in conceptu mater, et in partu virgo; quia in nullo horum contaminata reliquarum exemplo [4] feminarum fuit, quæ nec Adam ad se admisit, nec ex Evæ colluvione filium suscepit, nec sub maledicto in doloribus et angustiis enixa Dominum peperit. Unde constat, quia sicut clauso utero concepit, ita et clauso peperit: non communi lege naturæ vitiatæ, et maledictionibus damnatæ, sed Spiritus sancti gratia, et virtute Altissimi, qua legitur adumbrata. At verò isti nisu quo possunt, conantur astipulari Virginem in vitio peperisse, et pudicitiæ contumelias inferre. Unde assumunt illud ex Evangelio: *Cùm impleti essent dies purgationis eius*, quòd *obtulerunt Iesum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.* Ecce, inquiunt, cum dicit completos dies purgationis eius, ostendit Evangelista [5] legi naturæ eam subiacuisse, et sordibus coinquinatam fuisse, simul et Iesum vulvam matris aperuisse. Qui profectò temerarii assertores, dum ita sentiunt, in totum desipiunt, et destruunt quod sanæ doctrinæ est, quod rudimenta fidei de Christo Ecclesiis commendarunt, quod gratia Spiritus sancti [6] in mysterio promulgavit. Non enim sic completi dies purgationis eius dicuntur, quasi beata Virgo purgatione eguerit ullius delicti, quia pe-

Luc. 2. 22.

Exod. 13. 2.

(1) *Coïre* deest in Feu-ard.
(2) *Honorem* Feu-ard. pro *honor est*.
(3) Pro *verò* scribit Feu-ard. et Amel. *virgo*.
(4) *Feminarum* deest in Feu-ard. et Am.
(5) *Legali* Feu-ard. et Amel. Cod.
(6) Pro *in mysterio* scribunt Amel. et Feu-ard. *ministerio*.

Digitized by Google

peperit Dominum Iesum Christum de Spiritu sancto procreatum, sed quia ipsa sub lege erat, et Dominus Iesus Christus sub
Galat. 4. 5. lege factus, factus de muliere, legis præcepta, et instituta [1] veterum in eo servantur iure ad tempus, quousque cessante lege, gratia succederet. Et hæc est completio dierum secundùm consuetudinem legis, et non secundùm necessitatem purificationis: quia beata et intemerata virginitas immaculata et incorrupta permansit, nullis coinquinata sordibus, nullis vexata Evæ cruciatibus. Non potest fieri iuxta Angeli vocem, qui gaudium universorum affert, ut [2] ipse Christus tormenta in ortu suo matri attulerit. Inter Angelorum excubias et laudes non credo quòd matri gemitus, et dolores, tristitiasque Evæ contraxerit. Et ideo alia erat purgatio illa feminarum, in qua purgabantur non minùs delicta animarum, quàm et vitia corporum; et alia purgatio Mariæ, in qua non ob aliud quàm pro mysterio consuetudo legis servatur; quia nullis egebat purgamentis, quæ Deum de se omnium purificatorem genuit incarnatum. Porrò completio dierum purgationis eius nulla alia causa est, quàm expletio et consuetudo legis. Purgatio verò et separatio reliquarum feminarum multis ex causis est, in qua et vitia purgantur animarum, et vitia corporum. Unde septem depu- Levit. 12. 2.
tantur dies immundi, quibus sedere iubetur mulier in sanguine immundo immundissima iuxta dies separationis eius, et trigin- Ibi v. 4.
ta tres, ut sedeat in sanguine puro; omnibus tamen diebus istis mulier immunda erat et sordida multis ex vitiis, donec redintegraretur status totius corporis, et [3] sanarentur corpora, sanguisque cessaret a fervore vitiatus, sicque emundatis sordibus, mulier divinis purgaretur hostiis et muneribus. Sed beata Maria non talibus eguit sacrificiis, quæ sanctam de se genuit hostiam, per quam mundus purgatus est. Nam quod dicit Evangelista: *Quia omne* Luc. 2. 23.
masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur, non ideo dicit ut nos cogat credere, quòd Christus vulvam matris aperuit ut alii, sed ut doceret, quòd ideo sistunt eum Domino, *ut facerent secundùm consuetudinem legis pro eo; quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur*, [4] in mysterio legis, et sacramento sacræ præfigurationis. Non enim Evangelista hoc testimonium de lege ideo adhibuit, ut monstraret Christum vulvam Virginis reserasse, sicut ceteri primogeniti; sed ut ostenderet eum sub lege factum, et de vulva Virginis prodisse, non qui vocaretur tantùm, sed

(1) *Verumtamen* habet Feu-ard. mendose pro *veterum*, quod est in Ach. et Amel.

(2) *Ipse Christus* nòn legitur in Amel. nec habet Feu-ard.

(3) *Et sanarentur thori*: Feu-ard. *et sanaretur thorus*: Amel.

(4) *In mysterio* meliùs quàm *in ministerio*, quod habet Feu-ard. cuius tamen in reliquo lectionem retinemus, qua deterior est Acherii: *Sacræ prævaricationis*. Am. cod. scribit *suæ præfigurationis*.

Digitized by Google

sed qui esset essentialiter sanctus, cui iure patet omne clausum.[1] Quod testimonium beatus Ambrosius exponens in Evangelio, ait: Non enim virilis coitus vulvæ virginalis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus sanctus infudit. Quod sanè semen præfatus Doctor non sic dicit infusum, ut aliunde sit quàm ex carne Virginis et sanguine: neque ut Spiritus sanctus [2] sementivum esse credatur carnis, ut Irenæus vult; sed per hoc verbum Spiritus sancti operatio designatur. Deinde addidit: Solus enim per omnia ex natis de femina sanctus Dominus Iesus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus novitate non senserit, et cælesti maiestate depulerit. Et paulò post: Hic ergo, inquit, solus sibi aperuit vulvam: nec mirum; qui enim dixerat ad Prophetam: *Priusquam te formarem in utero, novi te, et in vulva matris sanctificavi te*; qui ergo vulvam sanctificavit [3] alienam, ut nasceretur Propheta, hic est qui aperuit matris suæ vulvam, ut immaculatus exiret.

S.Amb. *lib.2.in Lucam, cap. 2. post medium.*

S. Ambr. *ibidem.*

Ibidem.

Ierem. 1. 5.

Quibus profectò verbis non mihi videtur sibi contrarius, aut ceteris Doctoribus sanctis, quia dicit quòd solus sibi aperuit vulvam. Aperuit siquidem sibi sua potentia mirabiliter, ut esset ei pervium iter, [4] ita ut virgineus clausus maneret uterus, sicut fuerunt ianuæ clausæ, et tamen per easdem ingressus est ad discipulos: sicut etiam sepulchrum signatum et clausum, quando resurgens egressus est per illud. Hinc quoque alibi ipse ait: Fit porta Christi pervia, referta plena gratia, transitque rex, et permanet clausa. Non hoc sic dicit, ut intelligas quod contra se sentiat, sed sic utique ut plenissimè cognoscas, eum de utero et per uterum Virginis natum, quem ipse sibi fecit pervium. Ac per hoc ipse sibi vulvam aperuit: sibi quidem, quia vulva Virginis licèt clausa, ei penetrabilis patuit, [5] quam cum enixus intraret in mundum, clausam reliquit, et signatam sigillo pudoris omnino; quia Deo nihil difficile est, eo quòd, ut quidam ait, subditur omnis natura eius imperiis ritu solito. Idcirco constat eum absque ambiguo ita natum, ut esset secretum genitale matris et clausum, quod sibi ipse sua virtute fecit apertum. Aliàs autem ipse solus sanctæ Ecclesiæ, quam sibi sponsam dedicavit, ad generandos populos aperuit vulvam virginitatis, de qua nimirum vulva David propheta canit dicens: *Alienati sunt peccatores a vul-*

In quodam hymno.

Psalm. 57. 4.

(1) Quæ sequuntur ea sunt, quæ in editione Feu-ardentii, et codice Ameliano extant in sermone *de Purificatione*. Sed ad præsentem tractatum pertinere præter MSS. Corbeiensia ipse contextus evincit, ut paulò inferius annotabimus. Sequimur itaque meritò Acherium, et quæ in Ameliano cod. et Feu-ard. hoc loco habentur, exclusimus.

(2) Pro *sementivum* habent nost. *semen esse.*

(3) *Alienam* non habet Amel. nec Feuard. et certè desiderabatur.

(4) Paulò aliter nostri: *Ita ut virginis clausus maneret uterus, sicut fuerunt ianuæ clausæ, cum per easdem ingressus est ad discipulos.*

(5) *Tamen* edidit Ach. pro *quàm*, quod est in nostris.

Digitized by Google

va, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa: personam hæreticorum declarans, qui alienantur a vulva integritatis, [1] falsa permiscendo, ut corrumpant castitatem virginitatis Ecclesiæ; quam sanè immaculatam servare contendit Apostolus, et virginem custodire, cùm dicit: *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Cuius genitale secretum tunc aperuit, quando per aquam et Spiritum sanctum renascendi gratiam concessit. Cui Propheta: *Lætare*, inquit, *sterilis quæ non paris, erumpe et clama quæ non parturis, quoniam multi filii desertæ, magis quàm eius quæ habet virum.* Unde et Anna in cantico suo: *Donec sterilis* (inquit) *peperit plurimos, et quæ multos habebat filios infirmata est.* Iste est ergo solus essentialiter sanctus, non per quem mater corrumpatur, sed per quem vulva reseretur Ecclesiæ, primogenitus ex multis fratribus. Quem in figura futuri mysterii, [2] priora legis divinæ præscripta signabant in primogenitis suis, non quòd essent verè sancta, sed quia vocabantur ex mysterio legis. Alioquin si litteram sequimur, quomodo sanctus erat omnis masculus aperiens vulvam, cùm multos sceleratissimos fuisse non lateat? Numquid sanctus Achab, aut Ioram, seu ceteri? Numquid sancti [3] Pseudoprophetæ, quos ad Heliæ preces ultor cælestis iniuriæ ignis absumpsit? Non utique, sed in sacramento futuræ præfigurationis vocabantur sancti, cùm [4] non essent, donec veniret Christus essentialiter sanctus, qui et sponsæ suæ vulvam aperiret, fecunditatemque pariendi filios refunderet. Ipse namque dominico dignus iudicatus est obtutu; ceteros omnes iuxta legis seriem typum fuisse futuri, nemo qui ambigat. Et ideo sistunt eum Domino, quoniam ipse est purgatio per resurrectionem octavi [5] diei in Ierusalem, ut in eo condonetur et offeratur omnis adoptio filiorum Dei. In eo namque quod lex ait: *Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur*, [6] promittebatur Virginis partus verè sanctus, quia immaculatus, qui aperiret vulvam Ecclesiæ, ut in eo sanctificarentur reliqua omnia, et essent primogenita. Unde signanter Angelus ad Mariam: *Et quod nascetur* (inquit) *ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Non quòd corruperit matrem nascendo, quam integram et inviolatam reliquit virginem; sed quia ex ea natus Deus homo ape-

Marginal references: 2. Cor. 11. 2. — Isai. 54. 1. — 1. Reg. 2. 5. — S. Ambr. ibid. — Exod. 13. 2. — Luc. 1. 35.

(1) *Falsa permiscendo, ut corrumpant castitatem integritatis Ecclesiæ, &c.* Locum hunc ad nostrum Amel. cod. et Feu-ard. editionem repræsentamus, in quibus habemus hæc verba, in Acher. desiderata, et ad sensum satis opportuna.

(2) *Per ora* legebat in suis Acherius, cuius loco *priora* legendum iam suspicabatur de L' Barre. Nos verò non eguimus coniecturis, qui et in Feu-ard. et in Amel. cod. reperimus *priora*.

(3) *Sancti* deest in Ach. habent tamen nostri, et cod. Ambrosiani, ex quibus hæc desumpta sunt.

(4) *Non* deest etiam in Acherii edit. emendavit iam de L' Barre illud verbum supplendo, quod legitur in nostris.

(5) *Diei* desideratur in nostris.

(6) *Promittebatur*: ita Acherius, et codex Amel. non malè Feu-ard. edebat *præfigurabatur*.

Digitized by Google

aperuit Ecclesiæ vulvam, et in carne sua [1] pervium sibi fecit iter, ita ut Virginis aulam clausam servaret, quatinus ex matre [2] virgine virginem sibi duxisse sponsam ostenderet, quam tali tantoque fœdere nascendi virginem permansuram et immaculatam monstrabat.

Unde constat legaliter eum oblatum, sicut et circumcisum; alioquin circumcisione non eguit, quia originale peccatum nullum traxit, quo delendus esset ipse Christus de populo suo, nisi circumcideretur. Et tamen circumcisus est, quia volens sub Galat.4.5. lege fuit, ut eos qui sub lege erant redimeret: sicut et oblatus, ut nos qui rei eramus, sacrificium Deo Patri in se offerret. Aliàs autem si ipse, quod absit, immundus esset ut matrem coinquinaret, quomodo nos emundaret in sua oblatione, et faceret hostiam Deo in odorem suavitatis? Idcirco etsi ipse do- Isai. 53. 4. lores nostros et infirmitates in se pertulit et portavit languores, absit, ut matris pudorem ullis vexaverit iniuriarum molestiis. Absit, [3] per quam omnis maledictio Evæ soluta est, ut ipsa in partu maledictionibus subiacuerit primæ damnationis. Absit, ubi virtus nascitur, ut ibi tanta conluvio vitiorum credatur; ubi gaudium omnium prædicatur, quòd tanta tristitia et gemitus intervenerit; inter Angelorum discursus quòd immunda septem diebus in sanguine immundo sederit. Ad quam, si ita esset, nec pastores manè iuxta legem, ut ita dicam, ingredi liceret; nunc autem quia Angelus eos evangelizandi gratiâ devotus invitat, veniunt et vident, inveniunt et intelligunt de Verbo, quod eis [4] prædictum fuerat. Nequaquam igitur credendum, quòd invenerint Mariam in tantis spurcitiis, solam, multis [5] miseriis, ut adsolent puerperæ, consternatam, et obvolutam, ad cuius partum multitudo Angelorum canit: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc.2.14. Ergo ubi, et [6] per quem tanta pax prædicatur, non credo quòd illæ ignominiæ immaculatæ matri contigerint, aut dolores carnis.

Sed et Magi venerabiliter deinceps intrant domum, et inveniunt Matth.2.11. [7] quòd pastores inveniunt, Mariam, Ioseph, et puerum; inveniunt non vexatam doloribus, sed obsequentem puero: deinde procidunt, et adorant oblatis muneribus quem cum matre inveniunt. Adorant, inquam, eius primogenitum: primogenitum autem, non eum quem sequantur fratres, sed quem nullus antecedit. [8] Quamvis enim quidam vo-

(1) *Per uterum* solus Feu-ard.
(2) *Virgine* non est in Ach. est verò in Feu-ard. et Am. retinendumque putavimus.
(3) *Per quem* solus Feu-ard.
(4) *Prædicatum* Feu-ard. et Amel. cod.
(5) Pro *miseriis* habet Feu-ard. *mysteriis*.
(6) Noster cum Feu-ard. scribit *per quem tanta prædicantur, non credo quòd ullæ ignominiæ &c.*
(7) *Quod pastores inveniunt* hæc verba desiderantur in Feu-ar. et Am. nostro cod.
(8) Hunc locum ita repræsentat Feu-ard. *Quamvis cum quidam posuerint potiùs unigenitum dici, qui primogenitum; cumque idioma &c.* Amelianus verò consentit cum Acherio, quem sequimur.

Digitized by Google

luerint potius unigenitum debere dici, quàm primogenitum; tamen quia idioma Scripturarum est, quicquid primùm aperit vulvam, primogenitum vocari, sanctificatumque esse Domino, maluit Evangelista secundùm eumdem ritum primogenitum, quàm unigenitum dicere; non quòd aperuit vulvam lege naturæ, ut mos est ceterarum feminarum, sicut isti aiunt, sed quia ex ea natus est tam primogenitus, quàm et unigenitus, lege divina factus sub lege, ut per eum lex tota impleretur in spiritu et ad litteram. Nam et ipse primogenitus ex resurrectione appellatur ex multis fratribus; unde quia colligitur in specie genus, quamvis unigenitus dici posset per naturam, magis tamen hic primogenitus debuit dici, ut esset indicium, quòd iam in eo, et per eum alii quàm multi fratres colligebantur filii Ecclesiæ per gratiam, cuius aperuit vulvam. In veteri quoque Testamento illis primogenita dabantur quàm sæpe, qui (1) Dei gratia prælecti sunt, quorum non ex natura dignitas, sed ex gratia (2) meritum antefertur. Idcirco dicimus et nos, quòd primogenitus hìc significantiùs dicitur, quàm unigenitus; ut per eum omnes qui ex gratia colliguntur, illi solummodo coadunati in cælestibus habeantur. Hanc quippe figuram gerebant omnia illa primogenita sub lege Domino consecrata: et ideo iustum erat ex iis omnibus primogenitis, qui vulvam (3) Domino aperiebant, ut Dominus inter eos legaliter offerretur, cuius formam illa omnia præferebant, ut esset ipse primogenitus, in omnibus primatum tenens, non qui vulvam vexaret matris, sed qui vulvam aperiret Ecclesiæ. Hæc idcirco dixerim, ut intelligat (4) prudens lector, quia primogenitum non sequentes fratres faciunt; sed ideo certè primogenitus Christus vocatur, quia omnes unigeniti, sicut ipse unigenitus fuit matris, primogeniti dici queunt, non tamen omnes primogeniti iure queunt unigeniti vocari. Ex quo colligitur primogenitum eum vocari debere, ante quem nullus, (5) et post quem nullus, et non eum tantùm quem fratres sequuntur. Iure igitur Christus primogenitus appellatur ex Virgine, non quòd vulvam vexaverit Virginis, et aulam reseraverit pudoris, sed quia qui erat ab initio primogenitus totius creaturæ, natus est ex ea et ipse tam unigenitus quàm et primogenitus, eo quo voluit modo, sine gemitu, et sine dolore (6) parturientis. Nam et de Baptismo primogenitus rectè vocatur, qui et in resurrectione primogenitus resurrexisse (7) dicitur. In utraque ta-

(1) *Dei gratiâ*: ita Acher. cum cod. nostr. Amel. at Feu-ard. mendosè edidit *dicitur gratia.*

(2) *Meritum* deest in nostris.

(3) *Domino*: deest similiter in nostris.

(4) Vel ex his verbis manifestum est hæc omnia ad libellum spectare lectoribus conscriptum, quale hoc est *de Partu Virginis*: nihilque minus esse quàm sermonis partem ad Moniales habiti, prout inscribitur in Feu-ardentii editione.

(5) *Et post quem nullus*: desiderantur hæc verba in nostris: et certè sine eis manca sententia est.

(6) *Parientis* Acher.

(7) *Dicatur* Acher.

Digitized by Google

tamen natura et nativitate quamvis primogenitus dicatur, iure unigenitus esse creditur, quoniam idem est hominis et Dei filius; non alius, [1] et alius, sed unus, et in utraque unus.

Quibus profectò catholicæ veritatis regulis hinc inde patet sensus, quòd nemo nisi hæreticus dicit Christum non nisi communi lege naturæ natum, neque aliter quàm ut ceteri nascuntur infantes. Quamvis enim præfatus Doctor Hieronymus in eo opere, quod contra Helvidium ex hoc egit, videatur ei cessisse, et eo in loco, ubi ait, de hospitio vulvæ novem mensium, et de [2] vilitate nascendi, quod ille hæreticus insultando proposuerat, quasi indignum esset divinæ maiestati, ad tantam dignationem se humiliasse, ut inter viscera in utero versaretur Virginis, aut inter femora feminea nasceretur [3] tam sordidus: sic enim omnia in contrarium opponens quasi hæreticus, ut destrueret fidei Catholicæ veritatem. Cui e contrario egregius ille veritatis assertor, non cedendo, ut isti volunt, sed [4] dignitatem gloriosissimæ humilitatis Dei ampliùs commendando ait: S. Hieron. *contra Helvidium*, *cap.* 9. Quòd quantò viliora et inhonestiora pro nobis illa maiestas divina suscepit aut sustinuit, tanto cariùs nos redemit, et propensiùs honorandus est. Tali namque sensu, etsi non eisdem verbis, in quantum recolo, eidem respondens hæretico, videtur beatæ Virgini non infamiam ullius colluvionis aut pœnam peccati intulisse, sed dignationem divinam et exinanitionem immensam in forma servi reverenter satis commendasse: non ut Virginem vexatam a Domino, et exhonoratam ostenderet, sed ut clementiam pii conditoris etiam huiusmodi hæreticis demonstraret. Idcirco non cessit istis cum Helvidio errantibus, sed corripuit, ut discerent non infamare Virginem, et [5] Deum non derogare in forma servi humilitatem. Non enim pudicitiam eius in aliquo læsam docet, qui tantùm in eius laude triumphat; neque ad horam cessit eius adversariis, qui pro ea tantum et tam diu dimicavit verbi gladio, cui Deus contra hostes eius tantam resistendi contulit gratiam, et revincendi præbuit virtutem, ut nemo contra eum audeat insurgere.

Oro autem, sacratissimæ virgines Christi, vestris intervenientibus meritis, ut qui illi tantam præstitit dicendi peritiam, et debellandi adversarios fortitudinem, mihi quoque dare dignetur loquendi gratiam, et quæ digna sunt huic mysterio aperire in spiritu veritatis, quatinus hinc inde per vos, et propter vos, o matronæ Christi, dignus inveniar tantopere qui meis nullis suffragor meritis, ut aptè defendere queam [6] et matris Domini mei pudicitiam, non sanè credentibus pandere veritatem, ut resipiscant, et

(1) *Et alius* non legitur in nost.
(2) *Vilitate* Ach. et cod. Amel. solus Feu-ard. *veritate*.
(3) *Cum sordibus*. Amel. cod.
(4) *Dignationem*: Feu-ard. et Amel.
(5) *Et Deum* Ach. *Domini* nostr.
(6) *Et sanè credentibus*, *&c.* solus Feu-ard. cod. noster Acher. consonat.

Digitized by Google

et cessent iam ultrà loqui [1] falsitatem.

Dicunt autem quòd non aliter natus dici queat Christus, nisi æqua sorte naturæ ut ceteri; quasi æqua conditione in Scripturis divinis semper nativitas esse dicatur, cùm longè alia sit ista nativitas omnium, [2] qua sub sorte maledictionis nascuntur, et alia, si Eva non peccasset: quia ista sub maledicto est et ærumna, illa autem tota in flore benedictionis fructum afferret sine gemitu, et dolore. Unde quæso, saltem illam isti concedant nativitatem Christo de Maria Virgine, qua nascerentur communi lege omnes, si non peccasset Eva, quæ nunc nativitas nota est soli Deo, et ignota fortè hominibus, et non adscribant ei maledicta, gemitus et ærumnas pro gaudio matri attulisse, quæ tantò magis Virgo libera fuit a corruptione passionis, a dolore carnis, a sordibus ignominiæ, quantò gratia plena et incorrupta, [3] quantò Spiritu sancto [4] Domino dedicata, et virtute divina adumbrata. Habet enim Spiritus sanctus in se recessus suos, quibus modis dicatur nativitas in Scripturis sacris, et quibus occultetur legibus sempiternis. Alia namque est nativitas carnis de carne, alia Dei de Deo, et alia quarumlibet rerum innumerabilium: et tamen eorum omnium non unus est modus nascendi, neque unus eorum ordo existendi, quamvis nativitas in singulis æquè dicatur, quibus est iure attributum, ut [5] nati de altero dicantur. Ac per hoc quolibet modo de Maria Virgine Christus rectè natus creditur, quia ex ea carnem assumpsit. Nativitas verò ipsa quomodo ad nos exierit, utrum ne ea conditione qua Eva peperisset, si non peccasset, an gloriosiùs, quia Deum et hominem genuit, et virgo permansit, quod illa non esset, neque reliquæ dum parerent, superfluè quæritur. In quo opere nemo Sanctorum voluit dubitare, sed catholica fide hoc certum omnes prædicant; quia [6] nec in delicto concepit, nec in delicto et dolore cum corruptione peperit, neque Christus ex ea ullum peccatum traxit: quod si ex ea peccatum non traxit, nec [7] admisit; quia nullis cruciatibus in nascendo matris vexavit pudorem, neque in aliquo eius commaculavit virginitatem.

Non dicimus itaque, ut aiunt, quod monstruosè sit natus, sed sicut præsignatum est olim in Prophetis, et traditum est nobis a sanctis Patribus, quòd ipsa sit porta quæ ostensa est Ezechieli, de qua dicit: *Vidi portam in domo Domini, et hæc erat clausa: et vir non transiet per eam, quia Dominus Deus exer-* Ezech. 44. 2.

(1) *Contra veritatem* nostri, ubi *falsitatem* Acher.
(2) *Qui* nostri.
(3) *Quantò* Amel. et Ach. Feu-ard. *quasi.*
(4) *Domino* deest in Acher.
(5) Pro *nati* habent Amel. et Feu-ard. *nasci* non malè.
(6) *Nec in delicto concepit*: hæc verba desiderantur in nostr. Amel. et Feu-ard.
(7) *Admisit*: malè Feu-ard. *amisit*, noster cod. Ach. consentit.

Digitized by Google

exercituum ingressus est per eam. De qua porta, beatus Ambrosius in eodem hymno de quo dixi, quem in honore sacratissimæ Virginis composuit: Fit porta (inquit) Christi pervia, referta plena gratia, transitque rex, et permanet clausa ut fuit per sæcula. Ergo cum dicit, fit pervia, semetipsum exponit, et ostendit transitum nativitatis eius: cùm dicit, permanet clausa, ostendit adimpletum quod erat in Prophetis. Clausa igitur non diceretur, si in aliquo læsa esset eius integritas: (1) sed quia in nullo est violatus pudor virgineus, neque fons in aliquo resignatus, proculdubio patet sensus, quia clauso utero ad nos venit, sicut ianuis clausis ingressus est ad discipulos. Siquidem aspectus discipulorum utrumque tunc probavit, scilicet quòd et fores clausæ essent, et quòd Dominus per easdem introiens coram eis præsens astaret. Sic et fides nostra utrumque de Christo certissimum tenet: quod et pervia fuerit eius integritas nascente Domino ex ea, et tamen uterus non fuerit reseratus. Alioquin quomodo clausum dici potest permansisse, quod violatum est? Aut quomodo sine dolore et sine gemitu puerpera peperit, si more ceterarum feminarum vexatis visceribus filium edidit? Et si ita patuit, ut aiunt, quomodo clausa permansit, ut fuit antequam pareret? Nec enim ianuæ illæ penetrabiliores erant clausæ, quàm uterus Virginis incorruptus. Idcirco non abs re creditur ad nos Dominum sic exisse, ut nativitas Christi de carne Virginis probaretur, et Virgo nullis cruciatibus vexaretur.

Fortè dicturi sunt isti, quòd corpus iam incorruptibile et immortale exilius esset ad penetrandum quo vellet, quàm esset priùs antequam resurgeret. (2) Nequaquam igitur hoc dicit quisque qui sanè sapit, quia ex quo conceptus est homo, idem semper qui ante Deus fuit. Unde quando super undas æquoreas ambulavit ante passionem, non minus homo quàm Deus fuit. Quòd si ad naturam respicias rerum, aut corpus sine pondere vexit, aut undas sua potentia, quo (3)sustinere possent pondus corporis, solidiùs confirmavit. Et ideo, ut beatus Gregorius ait in homiliis suis: Redemptoris nostri opera, quæ ex semetipsis comprehendi nequaquam possunt, ex alia eius operatione pensanda sunt, ut rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora. Illud enim, inquit, corpus Domini intravit ad discipulos ianuis clausis, quod videlicet ad humanos oculos per nativitatem suam clauso exiit utero Virginis. Deinde addit: Quid ergo mirum, si clausis ianuis post re-

S. Greg. Pap. homil. 26. initio.

(1) Corruptus hic locus in Feu-ard. et Amel. cod. *Sed in nullo est violatus pudor Virginis, nec fons in aliquo reseratus. Proculdubio &c.*

(2) Non multò aliter Feu-ard. *Nequaquam igitur dicito quisque sanè sapis.*

(3) L'Barre emendavit *sustinerent* quoniam in Acherio legebatur corrupte *sustinere* solùm: Nos qui in nostr. Amelian. et Feu-ardent. reperimus *sustinere possent*, quod emendaremus non habuimus.

Digitized by Google

resurrectionem suam in æternùm iam victurus intravit, qui [1] moriturus veniens non aperto utero Virginis exivit? Ecce tantus talisque Doctor et summus Pontifex de hoc quid senserit, qui omnes ante se legerat, tam Latinos, quàm et Græcos eximios [2] tractatores. Ecce ex hoc uno, quod nulli dubium esse credidit, approbat quod fortè dubium esse poterat. [3] Nemo igitur qui sanè sapit de re multùm dubia incertum aliquid affirmare contendit. Unde quia de illo corpore, quod videri poterat, fides intuentium dubitabat, dum fores cernebant clausas, magister veritatis ab eis omnem aufert dubietatem, cum eis manus et latus palpare et videre iubet. Ita et hic Auctor egregius de hoc quod omnibus in commune certum esse credidit, rem valde difficilem adstruxit et firmavit, quòd corpus Dominicum post resurrectionem ianuis clausis introierit, fueritque incorruptibile [4] pari modo et palpabile. Tamen quolibet pacto ingressus ex Evangelio ad discipulos ianuis clausis probatur, sicut et clauso utero Virginis natus. [5] Quòd si natus sic per vulvam iurè dici non potest, ut isti volunt, omnino nec ingressus per ianuas: et tamen ingressus ad eos convincitur, quando in medio eorum stetisse legitur; sicut et de sepulchro egressus [6] signato monumento monstratur, quando Angelus revolvit lapidem, et vacuum ostendit monumentum. Unde liquidò constat, quòd sicut saxeum illud ostium [7] ei pervium et penetrabile fuit, nec potuit cohibere vivum, quem prius claudebat sub sigillo mortuum; ita et claustrum matricis atque genitale Virginis cùm esset clausum et signatum sigillo pudoris, cùm impleti essent dies pariendi, non potuit obstare partui integritas corporis: nec tamen [8] eguit reserari, quia [9] non oportuit, ut esset tormentum ei, qui erat honor matris et gaudium: quia Deo totum erat pervium in ea quicquid erat clausum; honor verò, quia totum erat deificum, [10] quod natum.....

Fateor planè quod non tanta materies disputandi valeat inveniri, cur signato sepulchro exierit, vel cur clausis ianuis introierit ad discipulos, quanta quod de Maria virgine clauso exierit utero. In illis siquidem declaratur divina maiestas, in hac autem monstratur divina dignatio: et secundùm [11] humanitatem debitus honor matris, et reverentia pudoris. Hinc

(1) *Moriturus* habent Acher. et codex Am. solus Feu-ar. edebat *mortuus* pessimè.
(2) *Certatores* Feu-ard. et Amel.
(3) Aliter in Feu-ard. et in nostro Amel. *Nemo igitur qui sanè sapit de hac re multùm dubitet, incertum aliquid affirmare contendat.*
(4) *Primo* scribit Feu-ard. solus.
(5) Aliter in Feu-ard. quam in Amel. et Acherio: *Quia si natus sit per vulvam, verè dici non potest, &c.*
(6) *Signato monumento*: est in nostr. Am. et Feu-ard. Acherius ediderat *signatus*, quòd emendavit de la Barre.
(7) *Et* pro *ei* habent nostri.
(8) *Cogit* Amel.
(9) *Non potuit* habent nostr.
(10) *Quod natum*: legebatur in Acherio *quo natum*, et restituit de L'Barre, ut est in nostris.
(11) *Humilitatem* Acher.

Digitized by Google

In hymno In Natali Domini. Hinc quoque beatus Ambrosius hymnidicis laudibus testatur, quòd claustrum pudoris permanserit, et vexilla virtutum in ea fulserint, in qua tota maiestas deitatis versatur, quousque plenitudo temporis advenit pariendi. Ergo in qua claustrum pudoris integrum permansit, nulla disruptio intervenit, nulla vexatio carnis, nulla fœditas diræ conditionis; et in qua vexilla virtutum micarunt, nullum peccatum primæ originis, ut cruciaretur, viguit. Fulserunt autem vexilla virtutum in illo sacro puerperio, quando virgo concepit sine semine, virgo peperit sine dolore et gemitu, et permansit [1] virgo fecunda prole. Hoc quippe est claustrum permanere pudoris, in nullo violatum esse genitale secretum, quod ei fuit apertum non in conceptu, non in partu, non in ulla confusione parturitionis. Nam et Ecclesia Christi omnis tam Romana, quàm et Græca sic sua et divina fidenter canit auctoritate, quòd peperit virgo sine dolore, quòd permansit inviolata, quoniam eam in omnibus illæsam servavit Spiritus sanctus, ut virgo haberet filium, et servaretur ei honor tanto munere dignus, quanta sanctificatione uterus Deo fuerat dedicatus.

Explicit tomus de PARTU VIRGINIS MARIÆ *primus, unà cum sacris virginibus dedicatus.*

INCIPIT TOMUS SECUNDUS

DE PARTU VIRGINIS.

Inter sanctarum Scripturarum eloquia cavenda est semper vana et superstitiosa intelligentia; quia sicut in Proverbiis legitur, *Perversi difficilè corriguntur, stultorumque infinitus est numerus.* *Eccl. 1. 15.* Et ideo quorumdam fratrum temeritas, quia semel [2] cœpit sacramenta divini muneris procaci disputatione commaculare, et mysterium sacri partus superflua inquisitione discutere, malunt cum hæreticis errare, quàm cum catholicis quæ malè sentiunt corrigere. Unde sibi quia [3] rimas vanæ disputationis inveniunt, sentinam pravæ colluvionis ad submersionem animarum fœtidam nimis in Ecclesiis introducunt, dum dicunt mendosè, Mariam virginem naturali lege Dominum peperisse, sicut reliquæ pariunt feminæ, et non aliunde in partu incorruptam fuisse solummodo, nisi quia ex viri coïtu non conceperit. De cuius incorruptione iam me supra satis in priori tomo dixisse credo: sed quia isti nostris non acquiescunt dictis, pervicaci insultatione diffiniunt, virginitatem non aliunde quàm ex coïtu viri corrumpi posse, neque corruptam vocare debere Mariam, licèt iuxta legem pepererit omnium feminarum, eo quòd, inquiunt, etsi viscera vel genitale secretum more ceterarum feminarum patuit, ut nasceretur Christus,

(1) *Virgo* desideratur in solo Feu-ard.
(2) Pro *cœpit* quod est in Ach. et Amel. nostr. edebat Feu-ard. *crescit*.
(3) *Rimas* ambo iidem: Feu-ard. *animas*.

stus, virginitas tamen corrumpi non potuit; propterea Dei genitrix sola virgo post partum et incorrupta fuit. Talibus igitur et huiuscemodi vaniloquiis (1) dùm sua diffundunt venena, sanctorum Patrum prætermittunt auctoritatem, et commaculant catholicam fidem. Unde quæso, quia nostra dedignantur audire, audiant beatum Augustinum, cui contradicere fas non est, de hac re in libro Enchiridii inter cetera disputantem. Ait enim: Nihil humanæ naturæ in illa susceptione fas est dicere defuisse. Non qualis de utroque sexu nascitur per concupiscentiam carnis cum obligatione delicti, cuius reatus regeneratione diluitur; sed qualem de Virgine nasci oportebat, quem fides matris, non libido conceperat; quoniam si vel per nascentem corrumperetur eius integritas, non iam ille de virgine nasceretur: eumque falsò, (quod absit) natum de virgine Maria tota confitetur Ecclesia, quæ imitans eius matrem quotidie parit membra eius, (2) et virgo est. De quo sanè opere ad Volusianum satis eleganter scribit, ad quem etiam librum nos legendum pro hoc remittit. Sed isti quia nec illum librum,

Ench. cap. 34.

nec hunc locum legere volunt, errant sua temeritate decepti. Alioquin ut hic egregius Doctor fatetur, si vel per nascentem corrumperetur integritas virginalis, non fas esset eam dicere virginem, corrupta a nascente virginitate. Et si corrupta esset vel per nascentem, quomodo integra esset et illæsa virgo? Audiant itaque (3) hi vaniloqui tantum Doctorem, et resipiscant, ne fortè introducant per suam falsam (4) assertionem Christum in delictis conceptum, et iniquitatibus natum. Quia (5) et si de virgine non est natus, falsum est quod Ecclesia confitetur, ut hic ait; falsum et quod omnis Scriptura novi ac veteris Testamenti de illa testatur. Sed quia omnino virgo permansit, nullis (6) pressa est doloribus, in nullo corrupta fuit. Et ideo (7) non fecundarum spurcitias traxit, non sanguinis fluxum emisit, non corruptiones viscerum (8) intra extraque pertulit. Quòd si talibus et huiuscemodi pateret puerpera tormentis, proculdubio virgo non esset, quia virginalis integritas violata esset. Hinc Sedulius rhetor Romanæ Ecclesiæ in Paschali suo opere ait: Infans namque

Ibidem.

(1) *Dum suas diffundunt nænias* Acher. nostri verò ut edimus.

(2) *Et virgo est*: ita Amel. cod. cum Acher. *est* non legitur in Feu-ard.

(3) *Hic* pro *hi* habet Acher. sed nos lectionem Amel. et Feu-ard. retinere maluimus.

(4) *Affectionem* edebat Feu-ard.

(5) Lubenter deleremus *et* hoc loco malè insertum; sed abstinuimus, quia in omnibus codic. reperitur.

(6) *Pressa*: Emendavit ita Acherius ductus coniecturis, pro *passa*, quod erat in suis codicibus. Quam nos lectionem reperimus in nostro Amel. Feu-ardentius edebat *afflicta*.

(7) Amel. cod. *nullas sordium spurcitias traxit*.

(8) *Intra extraque*: Lectio emendatior, quam solus habet Amel. codex. Acherius enim, et Feu-ard. edidere *infra extraque*. Quod autem sequitur ad nostros similiter edimus, in quibus melior est lectio quàm in Acherio: *Quòdsi talibus et huiuscemodi pateretur puerpera tormenta*.

Digitized by Google

que parvus ac maximus, membris scilicet [1] exiguus, sed deitate præcelsus; per hospitalis templi sinceram defluens castitatem, non læsit corpus abscedens, quod non læserat cùm venisset. Quod si ita est, imò quia est, non ita natus est, ut ceteri nascuntur corrupto corpore, sed illæsis visceribus Deus et homo natus est. Unde adhuc idem: Verè divinæ generationis hoc secretum testis virginis partus ostenditur, qui materni pudoris custos ingressus [2] clausis visceribus conceptus est et creatus. [3] Nihil ergo apertius dicere queunt, nihil manifestius ii sancti Doctores de partu Virginis, quàm quòd integra virgo clausaque permanserit, ut fuit antequam pareret; quod omnino non esset, si in partu more ceterarum feminarum corruptioni subiaceret. Nulla igitur virgo huiuscemodi subiacet passionibus, et ideo verè virgo, quia integra et incorrupta [4] est, iure dicitur. Sic et beata Dei genitrix, ut verè virgo dicatur dum parit, ex toto rectè clausa more virginum et incorrupta creditur. Quòd si non ita maneret incontaminata ut reliquæ virgines, verè virgo non esset. Quod ut ostenderet David propheta vaticinans de ea, satis congruo exemplo ita ait: *Descendet sicut pluvia in vellus*, [5] *et sicut stillicidia stillantia super terram.* Psalm. 71. 6. Quem versum Cassiodorus Senator in expositione Psalmorum pertractans, vellus sacratissimam virginem Mariam intelligit detonsam ex ovibus Israël, [6] pluviam verò divinitati Verbi comparat; quia sicut pluvia in vellus cum summo silentio venit, ita perfudit ac replevit virgineum corpus, et possedit virgineam mentem. Miro itaque modo, miroque comparationis exemplo [7] firmavit vaticinando descensionis eius in uterum virginis adventum; quia sicut pluvia integrum et inviolatum perfundit vellus, ita et divinitas Verbi incontaminatam et illæsam servavit virginem. Integram quidem eam invenit et incorruptam, quando descendit sicut pluvia in vellus, et ingressus est virginea viscera; descendit autem et sicut stillicidia stillantia super terram. Unde idem Propheta in duabus istis prophetiæ sententiis perfectam Christi incarnationem explanat. [8] Per stillicidia namque terram germinare cernimus, ex qua ad infusionem et [9] humorem plu-

(1) *Exiguus corpore* habent Amel. et Feu-ard. sed *corpore* certè redundabat, et non habet Acher.
(2) *Clausis* solus habet Acher.
(3) Retinemus hoc loco lectionem nostri Amel. et Feu-ard. eamque prætulimus Acherianæ, quæ talis est: *Nihil ergo apertius dici queunt, nihil manifestius hic sancti Doctores de Partu Virginis, quòd integra virgo &c.*
(4) *Esse* Amelianus et Feu-ard.
(5) *Sicut stillicidia super terram* Feu-ard. solus.
(6) *Pluviam* Acher. et Amel. pro quo Feu-ard. corruptè *primum* edidit. Deinde ipse et Amelianus codex habent *Divinitati*, quod sumus amplexati, reiicientes *Divinitatem*, quod edebat Acher.
(7) *Firmavit*, est in Acherio: noster Am. et Feu-ard. *formavit*.
(8) Feu-ard. *Per stillantia namque terram germinare dicimus.*
(9) Pro *humorem*, quod habent Ach. et Amel. cod. edebat Feu-ard. *honorem*.

Digitized by Google

pluviæ omne virgultum agri germinatur, et omnis terræ viror nascitur. Sic et divinitas Verbi descendens in Mariam, sicut stillicidia super terram, germinare eam [1] fecit germen vitæ, et non aliunde quàm ex seipsa, [2] id est, de carne Virginis per infusionem divinæ maiestatis. Et ideo æquè quod natum est ex ea, divinum et humanum fuit, ita ut ex Maria neque divinitas Verbi nata credatur sine homine, neque homo sine Verbo; quia Verbum caro factum est, ac per hoc Deus et homo unus est Christus. Porrò per pluviam quæ descendit in vellus, non germinandi naturam expressit ex vellere, sed modum nascendi ex Virgine. Nam pluvia sereno tempore, quando perfundit vellus, æquè ad ingressum servat integritatem eius, æquè ad egressum quando refunditur, quia in nullo a pluvia velleris integritas violatur. Sic quippe de Maria virgine præfatus ille cælestis Orator sentit, sicque confitetur, quòd nec ad ingressum Filii Dei sit corrupta, nec ad egressum violata, [3] sed in omnibus plena gratia, integra et illæsa servata; nec cùm ingreditur, uterus aut viscera corrumpuntur, nec cùm evacuatur, reserantur. Manet quidem genitale secretum, sed clausum et immaculatum: evacuatur uterus, ut vellus a pluvia, sed non [4] quassantur viscera. Duabus itaque istis sententiis, ut præfatus Doctor insinuat, Spiritus sanctus voluit declarare, quod demum Isaias de Christo testatur dicens: *Quomodo descendit imber et nix de cælo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit.... sic erit* [5] *verbum meum, quod egredietur de ore meo. Non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in iis ad quæ misi illud.* Ecce quid per pluviam David voluit significare, et quid per stillicidia: profectò Spiritus sancti infusionem, et Verbi divinitatem, [6] ut germinaret in uterum Virginis, Verbumque caro fieret: non ut corrumperet virgineam terram, sicut isti volunt, sed ut germen ex ea in fructum erumperet, terræque integritas illæsa maneret. Quòd si pluviæ tanta vis est et natura, ut inebriet terram, et infundat eam, germinareque faciat, multò magis Verbum Dei, cui est virtus et potestas, credendum quòd repleverit virginea viscera, et perfuderit, germinareque fecerit: nec tamen corrupit eam suo ingressu, sicut nec violavit in egressu. Et hoc est quod David exorans Deo Patri ait: *Confiteantur tibi* (inquit) *populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes.* Et ne quæreres quare ita con-

Isai. 55. 10.

Psalm. 66. 4.

(1) Solus Feu-ard. *facit.*

(2) Lectionem Feu-ard. et cod. Ameliani retinemus pro qua edidit Acher. *idem.*

(3) Hæc verba usque ad illa *nec cum ingreditur*, unus habet Acherius.

(4) *Cassantur*, Feu-ard. et Amel.

(5) *Verbum meum*: deest *meum* in Acher.

(6) Heic desinit Acherius; prosequuntur autem Feu-ardentius, et codex Amelianus, ut iam supra diximus in monito ad lectorem, qui quidem per se iudicare poterit, utrum ea quæ adiicimus desiderentur necne ad debitam huius opusculi conclusionem.

Digitized by Google

confiteantur, continuò addidit: *Terra dedit fructum suum:* fructum utique vitæ, et fructum incorruptionis: fructum itaque de ligno vitæ, quod plantatum legitur secus decursus aquarum, et non fructum de ligno inobedientiæ. Fructus namque inobedientiæ est mors, et luctus, tristitia, gemitus, et dolor. Quia de fructu ligni vitæ magis gaudium et vita metitur, quàm anxietas et mœstitia, magis integritas, quàm corruptio, et disruptio viscerum. Quibus profectò exemplis prophetalis sermo ubique magis iuxta allegoriarum figuras fructum declarat prolis, et incorruptionem matris, quàm primæ damnationis illatas iusto Dei iudicio retributiones. Et ideo religiosiùs pertractandum est de partu Virginis, quàm perscrutandum scrupulosiùs, quod non licet, latebras ventris. Unde nuper reperi in quodam authentico libro, ut fertur a multis, beati Augustini de secreto Dominicæ incarnationis sacramento, in quo inter cetera legitur ad locum quasi suo colloquens familiarissimo: Lege, inquit, cum timore, cautè, et veni ad me, et dicam tibi quemadmodum Virgo concepit; quia meliùs est, ut in sermone sit verecundia, quàm in fide periculum. Quibus profectò verbis insinuat, quàm periculosa sit temeritas, et quàm cautè ac secretè cum religiosis valde de talibus disputandum. Unde in eodem prosequitur opere fundendo preces ad Dominum magis quàm verba: Da mihi, inquit, veniam Christe, et parce ori meo, quia incarnationis tuæ mysterium temerarius narrator attingo. Et licèt tu clausum dimiseris uterum, nobis tamen permisisti aperire incredulis Evangelium. Ecce inter cetera sacramenta totum Deo tribuitur: unde caritatis obsequio suppliciter imploro, quia longè ab eius laudibus impares sumus.

Explicit tractatus DE PARTU VIRGINIS.

FRAGMENTUM TRACTATUS DE PARTU VIRGINIS

EODEM AUCTORE.

MONITUM LECTORIS.

Ex quo Acherii editionem in superiori tractatu sequi decrevimus, constitueramus hocce illi fragmentum subiicere, cùm ut ne omnino periret, tum quia in Feu-ardentii editione et cod. Ameliano reperiebatur, apud quos maximam partem conficiebat libelli de PARTU VIRGINIS, *a quo quidem argumento non erat alienum. Nunc autem postquam illud attentiùs perlegimus, non tam similis, quàm eiusdem omnino cum superiori libello argumenti nobis visum est; tantasque huius cum altero affinitatis notas deprehendimus, ut si eius auctorem a nobis quæras, non dubitemus ipsum Pascha-*

schasium Ratbertum, (*qui et superioris*) *asserere. Id ipsum iam antea ex stili similitudine subolueramus, nunc verò omnino exploratum habemus. Primò enim ad Sanctimoniales sicut in superiori scribit, quas frequenter in fine alloquitur :* Unde quia tali ac tanto sponso, dilectissimæ, dicatæ estis, &c. *Adversarios quos oppugnat* Fratres *sicut et supra appellat :* Idcirco quatenus cessent fratres nostri, &c. *Idem omnino argumentum persequitur : unde concludit :* Quapropter cessent vaniloqui dicere, quòd communi lege sit natus de Virgine, &c. *Demum, quod eumdem auctorem apertissimè demonstrat, aliquas sententias ex superiori libello tamquam proprias non semel laudat. Ait enim :* Quia si maledictio illa adhuc in Maria viguit, adhuc et ipse Christus, ut sæpe dictum est, sub maledicto fuit. *Deinde alibi circa finem:* Nullas adscribant sacratissimæ matri contumelias intulisse, non gemitus, non dolores, non ærumnas . . . . . . quia hæc omnia, sicut sæpe dictum est, in prima origine illatæ sunt vindictæ et retributiones iustissimæ primæ prævaricationis. *Dixerat verò hæc omnia ferè totidem verbis in priori tractatu. Ergo de huius fragmenti auctore nulla amplius quæstio : quin credimus etiam partem esse ipsius libelli de* PARTU VIRGINIS, *quæ vel ad secundum tomum pertineret, vel tertium et ultimum conficeret ; namque sermonem ad Moniales esse, nemo dixerit, qui animadverterit, hîc etiam auctorem sicut in prima parte lectorem alloqui :* Si ad simplicitatem, *ait*, dictorum. . . . attendas, lector, &c. *De cetero Feuardentium cum codice nostro contulimus, ex cuius lectione certè correctiori multa emendavimus.*

. . . . secundùm narrationem suam, quam luculenter diffiniens et breviter antè ait : (1) Tu, inquit, clausum reliquisti uterum. Deinde addidit obscuriora mysterii, et ait : Dicam tamen quod in (2) cubili naturæ conficitur. In vulva igitur Virginis sanguis genitalis et semen eius humor fuit. Huius sanguinis humorisque substantiam celatam carnem intus fecit: accessit quoque Spiritus sanctus, et hæc quæ fuerant (3) ibi glutino commassata, animando formavit, formata quoque distinxit in formam hominis animatam, in qua Deus inclusus liniamentis suis tenebatur. Ecce dixi tibi, inquit, quemadmodum peperit : ita peperit quemadmodum antè concepit. In quibus nimirum dictis, si ad simplicitatem dictorum, et ad familiaritatem personarum attendas, lector, hæc beati Augustini verba sunt. Si autem ad calumniantium astutias, nec Deus Verbum ullis inclusus est liniamentis corporeis, qui est immensus, quamvis totus in utero sit clausus factus homo : quia totus Deus totum suscepit hominem, in unitate personæ, ut Verbum caro es-

(1) *Tunc* Feu-ardent. (2) *In cubiculum* Feu-ard. (3) *Verbi* Feu-ard.

esset : nec se admiscuit, ut confunderetur substantia Verbi in carnem, acsi duo liquores adinvicem, sed ut uniret sibi suscipiendo hominem sine divisione, et sine ulla commixtione in Deum. Ac per hoc ineffabiliter, licèt fassus sit iste quod potuit, operatus est Spiritus sanctus, a quo conceptus est Christus : sicut est mater de qua conceptus est, ne duo dicantur patres. Ceterùm de liquore seminis, et de coagulo humoris, quod fuit in virtute et potentia Verbi, quodammodo, prout loqui fas est, eleganter est locutus, quoniam ipse est mons Dei ille in Psalmis, mons pinguis, et coagulatus in utero Virginis : et non illi qui falsò suspicati sunt montes [1] incaseati, sed solus ex Virgine Christus mons est, in quo beneplacitum est Deo Patri habitare in finem. Et ideo per Spiritum sanctum iure dicitur coagulatus, quia sicut lac [2] emulsus est, et concretus de humore vel sanguine, quod est, ut physici volunt, semen mulieris. Coagulatus est autem acsi ex lacte seminis, ut unus sit Christus, ex quo conceptus est Deus et homo potentiâ suæ deitatis, et virtute quam ipse novit : quia sicut beatus Augustinus ait, conceptus in carne non est carnaliter factus, cuius ortus ex carne ubertatem attulit, integritatem parientis non abstulit. Quapropter charissimæ, talia et huiuscemodi, ut hic præmonuit vir egregius, cautè consideranda sunt, et prudenter intelligenda sunt. Deinde absque ambiguo corde credendum est, et ore confitendum, ut ait, quod Virgo Dei genitrix ita peperit quemadmodum concepit; id est, quia Virgo immaculata, clausis concepit visceribus, sicut sacra confitetur Ecclesia, simili modo clausis et incorruptis peperit sine dolore, sine gemitu, et sine tristitia et ærumna; sic quippe ut concepit, peperit. Nec enim aliter decebat, quia non esset virgo incorrupta, neque flore virginitatis, ut sunt reliquæ virgines, si esset vexata vel in partu. Unde beatissimus Leo in sermonibus de Christi Nativitate ita loquitur : Quòd nova nativitate generatus sit, conceptus a virgine, natus ex virgine, sine paternæ carnis concupiscentia, sine maternæ integritatis iniuria; quia futurum, inquit, hominum salvatorem talis decebat ortus, qui et in se haberet humanæ substantiæ naturam, et humanæ carnis inquinamenta nesciret. Ac deinde ait : Oportuit ut novo nasceretur ordine, qui novam impollutæ sinceritatis gratiam humanis corporibus inferebat. Oportuit ut primam genitricis integritatem nascens incorruptio custodiret, et complacitum claustrum pudoris, sanctitatis hospitium, virtus divini Spiritus infusa servaret; [3] quæ statu erant deiecta erigeret, confracta solidaret, et superandis carnis illecebris multiplicatam pudicitiæ donaret virtutem; ut virginitas, quæ in aliis non

Psalm. 67. 17.

(1) *Incaseatos* Feu-ard.
(2) *Evulsus* Feu-ard.
(3) *Quæ lapsa statueret, confracta, &c.* Am. codex.

non poterat salva esse generando, fieret in aliis [1] imitabilis confitendo et renascendo. Nam ut ipse testatur, hæc nativitas, licèt sit in eo natura consimilis, origo est dissimilis, quæ humano usu et consuetudine, ut credimus, caret: quia divina potestate subnixa est, ut virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit. Non hîc, inquit, cogitatur parientis conditio, sed nascentis arbitrium, qui sic homo natus est, ut volebat, et poterat. Ubi si veritatem quæris naturæ, humanam cognosce materiam: si rationem scrutaris originis, virtutem confitere divinam. Item ipse in alio sermone, de ipsa eademque Christi nativitate: Nativitas, inquit, domini nostri Jesu Christi omnem intelligentiam superavit, et cuncta exempla transcendit. Nec potest esse [2] ulli comparabilis, quæ est inter omnes singularis, quæ denunciatur ab Archangelo [3] esse sine damno pudoris. Beata fœcunditas sacram virginitatem nec conceptu [4] violavit nec partu. Superveniente quippe in ea Spiritu sancto, et Altissimi obumbrante virtute, incommutabile Dei Verbum de incontaminato corpore habitum sibi humanæ carnis assumpsit, quæ etiam nullum contagium de concupiscentia traheret, et nihil eorum quæ ad animæ corporisque naturam pertinent, non haberet. Quapropter recedant procul hæreticorum monstra opinionum, recedant infra suas tenebras insanarum sacrilegia falsitatum. Nos autem venerantes adoremus partum Virginis cum Magis, et videamus atque intelligamus, quòd in principio erat Verbum apud Patrem, quod cum pastoribus Dominus ostendit nobis, in nullo dividentes visibilem ab invisibili, corporeum ab incorporeo, passibilem ab impassibili, formam Dei a forma servi, quia etsi unum manet ab æternitate, aliud cœpit a tempore: utraque tamen substantia sic in unam convenit personam, ut nisi fides credat, sermo explicare non possit. Hinc itaque Prudentius poëta suo præludens carmine idipsum confirmat dicens:

Intactam thalami virtus divina puellam
Sincero afflatu per viscera casta maritat.
Incomperta ortus nativitas iubet ut Deus esse
Credatur Christus: sic conditus innuba virgo
Nubit Spiritui, vitium nec sensit amoris.
Pubertas signata manet gravis, intus et extra
Incolumis, florens de fertilitate pudica.
Virginitas et prompta fides Christum bibit alvo
Cordis, et intactis condit paritura latebris.

Ergo, inquam, pubertas signata manet gravis: virginitas non viola-

(1) *Imitabilis* est in Am.Feu.ed.*mutabilis.*
(2) *Ulla* Feu-ard.
(3) *Esse* deest in Feu-ard.
(4) *Violatura* Feu-ard.

Digitized by Google

latur, quia integritas hospitii non corrumpitur. Hinc est omnino quod sequitur: ipsa pubertas signata manet, intus et extra incolumis, florens de fertilitate pudica virginitas. Quòd si intus et extra florens, incolumis manet, constat in nullo eam fuisse contaminatam, non in gemitu, non in dolore, non in ulla carnis aut sanguinis corruptione: si totam intus et extra floridam fuisse sine ulla molestiarum vexatione, dum concepit, dum gestavit, dum peperit; quia in iis omnibus florens, plena gratiâ, illæsa, et fœcunda, intactis latebris paritura permansit. Quia ubi corrumpitur genitale secretum, nulla integritas, nulla virginitas manet matris, non naturæ, non sexûs: ubi pudor carnis violatur, non ullius flos integritatis. Porrò partus iste genitricis Dei non fuit confusio matris, de cuius ortu multitudo Angelorum *Gloria in excelsis Deo* canit, sed honor et gaudium. Idcirco, sicut Petrus Ravennas in sermone suo monet, non te conceptus turbet, non te partus confundat auditus, quando virginitas quicquid est humani pudoris excusat. Quæ hic, inquit, verecundiæ læsio, ubi iniit divinitas cum amica sibi semper integritate consortium? Ubi est interpres Angelus, fides pronuba, desponsatio castitas, dotatio virtus, iudex conscientia, causa Deus, conceptus integritas, virginitas partus, virgo mater? Ac deinde in eodem: Stulte, inquit, unde sordes in virgine matre, ubi non est concubitus cum homine patre? Unde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo est passa dolorem? Unde sordes in domo, ad quam nullus hospes accessit, sed solus ad eam fabricator dominus venit, vestem quam non habebat induit, (1) eamque sicut invenit clausam reliquit? Et sicut ille natus est solus inter mortuos liber, sic istius, ex qua natus est, matris pudor solus integer est. Et ideo nemo vestrum iudicet humano modo, quod divino geritur sacramento. Nemo mysterium cæleste discutiat ratione terrena. Nemo ex usu (2) tractet novitatis arcanum. Nemo quod singulare est, ullo metiatur exemplo. Hæc ille. Nos autem dicimus, quia omnino non esset virgo Maria, saltem ut sunt reliquæ virgines, si esset vexata vel in partu. Nec puto quòd ulla feminarum debet, teste conscientia, incorrupta vocari velle, etiamsi fas esset ei concipere sine viro, cùm esset in partu tot corruptionibus (3) pressa, quantis et quibus vexantur reliquæ, cùm pariunt, feminæ. Alioquin quid prodesset, si esset virgo pudica in conceptu, quæ esset tam misera sub maledicto in partu, multis afflicta doloribus, et corrupta impudicè satis pro peccato suis cruciatibus? Non esset utique talis virgo, talis et tam beata in partu, qualis fuerat in conceptu, si esset corrupta diris doloribus, ut corrumpuntur reliquæ feminarum.

Margin notes: *Lucæ* 2.14. — Petrus Ravennas.

Ss

(1) *Eam quia* Feu-ard.
(2) *Tentet* Amel. cod.
(3) *Pressa* ex Amel. namque in Feu-ard. legebatur *perpessa* malè.

Digitized by Google

rum. Et non dico in partu, verumetiam nec post partum permansisset virgo. Et ideo quia non fuit huiusmodi partus sacratissimæ Virginis Mariæ, ut isti asserunt, canit et orat beatissimus
S. Ambrosius. Ambrosius: Veni, ait, redemptor gentium, ostende partum virginis: miretur omne sæculum: talis decet partus Deum. Non enim ait, ostende conceptum virginis, sed partum: ut istos revincat erroneos, quòd talis et tantus est, qualis Deum decet, et in quo miretur omne sæculum. Plus enim in partu, ut ita dicam, aliquid declaratur, quàm in conceptu. Quia in partu tota incorruptio ostenditur virginis; in conceptu verò non aliud quàm quia virgo sine coïtu gravidatur. Poterat namque, ut isti volunt, si lege humana nasceretur ex ea, demùm vel in partu corrumpi, ita ut ipse conceptus homo feminea [1] intacta corrumperet viscera. Sed quia in partu omnino fuit incorrupta, probatur ex hoc quia et in conceptu. Et ideo beatus Ambrosius non ignarus tanti mysterii exorat et exoptat, ut ostendatur partus virginis, quem isti ignorant, ut in utroque monstretur virgo; [2] quia si esset ut isti asseverant, beata Maria virgo non esset, neque partus eius talis esset ut deceret Deum, quia communis esset. Et si communis esset lege ceterarum mulierum, sub maledicto esset, sub quo pariunt omnes filiæ Evæ. Et ideo non esset in quo miraretur omne sæculum, sed in quo et cum quo lugeret, quod absit, omnis mundus. Nunc autem quia claustrum pudoris permanet, ut iste testatur, in partu corrupta non est. Et ideo ipse est qui repromissus est, de quo Isaias vates ait: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium.* Isai.7.14.
Virgo utique concipiet, et pariet virgo; quia omnis divinitas Verbi, etsi virginis uterum non abhorruit, virginitatem tamen eius in nullo corrupit, nec in partu, nec in conceptu. Quapropter si se tantum humiliavit, ut formam servi acciperet, noluit corrumpere matrem, qui venerat sanare corrupta, ut esset partus eius mirabilis, in quo miretur omne sæculum: quod non [3] faceret, si esset communis. Hoc namque est illud insigne miraculum, de quo præfatus Propheta canit: *Quia ipse Dominus dabit vobis signum.* Ibi.
Ipse quidem per se, et non per alium. Dederat namque multa signa per sanctos Patres, et Patriarchas; sed hoc unum per seipsum dedit, quod valde mirabile est, ita ut miretur in eo omnis mundus, eo quòd sit ineffabile. Et si signum est ut repromissum erat, sic completum est, ut natura nascentis comprobetur ex virgine, et signum, quod ipse dedit, per se mirabile prædicetur ex divinitatis operatione. Hinc sanè insaniunt, qui hanc geminam operationem in Christo ubique non intelligunt, vel non credunt, in quo

(1) *Femina* Feu-ard.
(2) Hunc locum emendavimus ad cod. Amel. corruptus enim erat in Feu-ard. edit. ubi sic legitur: *Quia si esset ut isti asseverant, beata Virgo Maria non esset, ut partus eius esset talis, ut deceret Deum, &c.*
(3) *Faciet* Feu-ard.

Digitized by Google

quo nec divinitas sine homine operata est, nec humanitas sine divinitate Verbi. Et ideo ubicumque excellit divina virtus in homine Christo, divini Verbi est sacramentum: ubi verò (1) humana operatur natura in eo, quia formam servi suscepit, divini Verbi exinanitio; ita ut in nullo divisus inveniatur Christus, in nullo confundatur duarum naturarum gemina operatio. *Isai.* 11.10. Et ideo Christus iuxta Isaiæ vaticinium, totus est positus in signum populorum. Et non in qualicumque signo, sed sicut Si-*Luc.* 2.34. meon ait, in signum cui contradicetur, quod adhuc hodie comprobamus fieri. Et si ei ubique hactenus contradicitur, etiam in partu nativitatis. Nec mirum si contradictores istos habeat, cui repugnant et contradicunt (2) omnes adversarii consortes Antichristi. Et ideo tales et huiuscemodi pestes nec immeritò cum Antichristo execramus; quia quorum una est perfidia in calumniando, una erit pœna damnationis in perseverando. Idcirco quatenus cessent fratres nostri a talibus, et canant nobiscum fideliter cum S. Ambrosius. sancto Ambrosio: Veni redemptor gentium, ostende partum virginis: miretur omne sæculum: talis decet partus Deum. Talis (3) utique qualem Christi confitetur Ecclesia, et non qualem isti autumant et confingunt sibi mendosè. Non in quo confundatur pudor virgineus, sed in quo miretur omne sæculum, et conlaudetur Deus. Non qui materna corrumpat viscera, sed qui corrupta restauret, et innovet universa. Quoniam hoc est novum illud miraculum iuxta Ieremiam, *Ierem.* 31. 22. quod Dominum facturum repromittit super terram, non in quo vetustas peccati desæviat corrumpendo virginea membra, sed in quo renoventur omnia. Unde Au- S. Augustinus. gustinus in epistola ad Ephesios: Quid enim in homine, qui a Salvatore nostro assumptus est, non novum fuit? conceptus, nativitas, partus, infantia, doctrina, vita, virtutes. Et ideo ex toto iure novum dicitur, sicut in conceptu, ita et in partu. Quoniam si esset in eo partu aliqua corruptio, esset peccati contaminatio, pro quo desæviret in Maria antiqua maledictio. Quia si maledictio illa adhuc in Maria viguit, adhuc et ipse Christus, ut sæpe dictum est, sub maledicto fuit. Sed quia solus inter omnes liber fuit a culpa, liberè egit in nascendo ex Maria, liberè et in omnibus pro quibus venit. Alioquin si ipse ex matre coinquinatus esset, aut materna viscera quasi pro peccato corrumperet, et sordibus ex vitio primæ damnationis coinquinaret, non esset Dei filius, sed adoptivus, ut ceteri: quinimo nec adoptivus, et nullus esset per quem adoptaretur ipse, si non esset proprius. Nunc autem, sicut beatus Augu- *Idem.* stinus testatur in omnibus libris suis,

(1) *Opera humana* habet Feu-ard. et paulo infra, ubi ex Amel. edimus *exinanitio*, ille habet *est ex animo*.

(2) *Omnes* desideratur in Feu-ard.

(3) Pro *utique* scribit Feu-ard. *ubique*: non malè, si post *qualem* inveniretur.

suis, ex quo cœpit esse, sine dubio in utero Virginis filius Dei unicus esse cœpit. Sed esse cœpisse dicitur, non secundùm id quod Deus est, sed per id quod homo fieri temporaliter est dignatus. Nam qui semper erat Deus, ipse cœpit esse homo: non aliter ipse, quàm Christus Deus est homo; unde ab omnibus, sicut et ab ipso, ubique unicus Dei filius prædicatur. Hinc quoque in epistola sua ad Petrum: Quibus, inquit, verbis explicabitur carnis illius excellentia singularis, cuius divina est ex ipsa sui perceptione persona? Quia sic Verbum caro factum, ut in una persona esset cum carne sua unigenitus ac sempiternus Deus ipsa suæ carnis conceptione conceptus. Ipse unigenitus dum conciperetur, (1) veritatem cœpit carnis ex Virgine. Et ista est, inquit, clausula, quòd Deus factus est filius Virginis Mariæ, et Maria Virgo mater facta est unigeniti Dei. De quo sanè mysterio Cyrillus ad Nestorium ita unum Christum confitetur, scilicet Deum et hominem, non tamquam hominem adorantes cum Verbo, ne per hoc divisio quædam Spiritus introducatur; sed unum eumdemque adorantes in unitate personæ, quia non alienum a Verbo corpus suum est, neque divisum; quia Verbum caro factum est, et homo in Deum ita coünitus et assumptus, ut unus sit Deus, cum quo iam ipse etiam assidet Patri in Trinitate perfectus. Et ideo non Deus recens, neque homo purus; sed unus integer Christus cum Deo Patre, et cum Spiritu sancto colitur et adoratur. (2) Quod sanè mysterium non maledictionis est fructus, non concipientis gemitus, non dolor parturientis, non adoptio ventris. Et ideo non est ille adoptivus filius, sed adoptator, ut ita dicam, ceterorum; quia non in iniquitatibus concepit eum Virgo mater, neque in delictis peperit, sicut reliquæ pariunt mulieres, (3) quæ conceptum de Spiritu sancto, et natum, unum in utraque natura Deum veraciter peperit; quæ ut in conceptu, ita et in partu virgo permansit, quod nulli alteri unquam contingere potuit; quia quicquid corruptio humana in corruptis generat visceribus incorruptum esse non potest. Ideo corruptæ naturæ filii de concubitu iniquitatis concepti, et in delictis de matris utero cum doloribus proiecti, non aliud esse queunt quàm iræ filii. Hinc ergo est quòd regenerantur ex aqua et Spiritu sancto, ut per hanc regenerationem solvantur ex Christi gratia a delictis primæ damnationis, et adoptentur in filios Dei. At verò Christus non adoptivus, sed proprius Dei filius in plenitudine temporum venit, missus a Patre, natus ex muliere, factus sub lege, qui solus non eguit regenerationis sacramento, neque renasci, quoniam (4) conceptus et natus non

Cyrillus *in epist. ad Nestorium.*

Galat. 4. 4.

(1) *Nativitatem* Feu-ard.
(2) *Quia* Feu-ard.
(3) *Quem* Feu-ard.

(4) Feu-ard. edidit: *Quoniam proprius Dei filius qui nobis, &c.* quæ verò nos ex Amel. supplevimus non habet.

Digitized by Google

non aliud fuit quàm proprius Dei filius, qui nobis per adoptionis gratiam sua dignatus est benignitate per lavacrum regenerationis largire fraternitatis consortium. Ioan. 1. 12. Unde Ioannes: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Quam sanè potestatem a Patre genitus ipse ex sua natura in se habuit, et non aliunde, ut proprius esset Dei filius, et daret quibus vellet gratìs adoptionis gratiam. Et quia ita est, absit ut Christus ita natus credatur ut ceteri, sicut nec conceptus; quia filius Dei est unicus de Patris natura genitus. Quapropter audiant tam stulti disputatores, et non adscribant vile aliquid, aut fœdum in Maria, vel triste, sed gaudium; non dolores, sed salutis gratiam in ortu Salvatoris. Audiant iam impletum in partu Virginis quod Habacuc Propheta valde[1] perspicuus olim cum pavore et extasi a longè cernebat tremebundus: Hab. 3. 2. ex versione LXX. *Domine audivi auditum tuum et timui, consideravi opera tua et expavi.* Ac deinde: *In medio duorum animalium cognoscêris.* Cognoscêris autem quia dicit, insinuat quòd priusquam nasceretur de Maria, non satis notus erat. Unde vellem isti tam religiosè intenderent et considerarent partum Virginis, quem Propheta talis et tantus a longè futurum prænoscit, qui præ admiratione pavens ac tremens dicit: *Domine audivi auditum tuum, et timui.* Et ut ad te loquar, quid audisti, sanctissime Vates? Quæso indica nobis, quid audieris, quod cum tanto stupore miraris, vel quid ex eo auditu, quod tantum contremiscis? Non enim loqueris ex usu ineffabilia, quæ cernis. Quia dicis auditum tuum audivi, non puto quod consuetè loqueris; vocem enim nos audivimus alicuius, et non auditum, quia auditus alterius non est, nisi eius cuius et in quo est. Et ideo fortè auditus tuus potiùs res est quàm sonus, immo vox, quam conversus Ioannes vidit. Apoc. 1. 12. Hanc tu fortè vocem considerans cernis Verbum consubstantiale, pro quo sic pavescis; ac per hoc unum est quod audis, et quod conspicis. Pro qua profectò voce et auditu valde perterritus sic exclamas. Sed ne fortè nos extraneos relinqueres ab huiusmodi intellectu, continuò addis dicens: In medio duorum animalium innotescêris, dum appropinquaverint anni cognoscêris, dum advenerit tempus ostendêris. Ecce quàm patenter insinuas, quid audieris. Audisti itaque Verbum Patris, et conspexisti, non auditu auris, sed auditu mentis. Et hoc est opus mirabile, quod consideras. Considerabat enim mysterium incarnationis eius, et partum sacræ Virginis. Ideo ait: In medio duorum animalium, præsepe recognosce: et cum appropinquaverint anni, et advenerit tempus, plenitudinem intellige pariendi, quando Deus Pater iuxta Apostolum misit filium suum[2] factum Galat. 4. 4.

ex

(1) Pro *perspicuus* quod Amel. habet, Feu-ard. edid. *propitius*.

(2) *Natum ex muliere* ita cod. Amelianus, quod non mirum, quando constat nonnullos ita legisse, etsi altera lectio præferenda sit.

Digitized by Google

ex muliere, factum sub lege; quia tunc innotuit credentibus quod absconditum erat sæculis et generationibus, et cognitum est quod nondum fuerat revelatum, et ostensum quod semper erat
Isai. 45. 15. occultum. Unde Isaias: *Tu es,* inquit, [1] *Deus absconditus, et nos nesciebamus te.* Erat quidem Deus, sed absconditus. Sciebant autem plures quòd esset Deus unus, sed nesciebant quòd esset Filius. Idcirco rectè nec Pater cognoscebatur: sed cùm venit plenitudo temporis, innotuit seipsum et declaravit Patrem. Agnito itaque Filio, agnitus est et Pater. Ostensus tamen primùm in præsepio est per stellam in medio duorum animalium, quando et annuntiatum est per Angelum, quòd ipse sit filius Altissimi. Hæc est namque visio illa mirabilis, et auditus valde ineffabilis. Hæc est ipsa eademque contemplatio,
Isai. 9. 6. quàm vidit Isaias, quando ait: *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis.* Nobis quidem natus, et non sibi, sicut et datus, qui semper erat cum Patre natus. Et qui erat Patri coæternus unigenitus in natura deitatis, ipse unus idemque ex tempore natus per Virginem, et datus est nobis. Nobis quidem natus, et non sibi, quia coæternus Patri erat Filius. Quapropter cessent vaniloqui dicere, quòd communi lege sit natus de Virgine, super [2] quem omnes mirantur Prophetæ, cuius nativitatem in sæculo cùm audiunt, timent et gaudent, pavent et adorant, silent et narrant, laudant quod explere nequeunt. Unde laudemus et nos, charissimæ, et credamus quicquid est ad liquidum in hoc partu, quod penetrare sensibus, et intelligere non valemus. Occurrite, sponsæ Christi, ad partum Virginis et ad præsepium. Videte quæso miraculum: videte de Verbo hoc cum pastoribus, adorate cum Magis, quia Verbum quod erat in principio apud Patrem, iacet in præsepio caro factum: et quod in præsepio tunc iacuit, nunc in dextera Patris residens regnat. Quapropter non nobis vilis videatur sponsus, qui in stabulo tam humiliter iacet, cui obsecundat Gabriel, et collaudant Angeli, cui stella famulatur, et totus deservit mundus. Nolite obsecro, cum istis perscrutari latebras virginei partus, quasi corruptas, quia et ipsi defecerunt Psalm. 63. 7.
scrutatores scrutantes scrutinium vanitatis; quia talia sentiunt, qualia Domini matrem non decent. Sed venite cum gaudio, et videte procedentem Dominum planissima fide tamquam sponsum de thalamo suo; non, ut isti garriunt, doloribus virginea membra corrumpentem, nec genitale matris secretum violantem, sed divinitùs exultantem, ut Propheta canit, et procedentem liberè de aula ventris, tamquam sponsum de thalamo suo, quia [3] pervius factus est ei uterus clausus. Cuius nimirum egressus a summo cælo fortis narratur ad Psalm. 18. 6.
cur-

(1) *Deus* deest in Feu-ard.
(2) *Quam* Feu-ard.
(3) Emendavimus *pervius* pro *parvus* quòd habet Feu-ardent. neque dubitavimus, quamquam Amelianus legit *per eum.*

Digitized by Google

currendam viam, et recursus usque ad sedem Patris. In quibus totus [1] vobis virginibus et Ecclesiæ suæ festivus procedit sponsus, exultans ut gigas, ut sibi lætus ducat uxorem. Et ideo non sunt audiendi, qui dicunt, quòd quando processit de utero Virginis quasi sponsus alacer, tunc doloribus afflixerit matrem, corruperit viscera, violaverit pudicitiam, multiplicaverit tristitias et ærumnas, auxerit gemitus. Quod si omnino ita esset, non satis probabiliter diceretur Dominus tamquam sponsus procedens de thalamo suo; [2] nam sponsus quando procedit de thalamo suo, semper iocundus et alacer gaudet videri. Nec dubium quin uterus Mariæ Virginis ipse sit thalamus, in quo sponsi ac sponsæ, cum caro fit Verbum, fœdera [3] iunguntur nuptiarum. Non enim, sicut testatur
Cyrillus. Cyrillus, caro Christi vel corpus thalamus vel templum debet intelligi, sed uterus Virginis, [4] quia in Christo non duæ sunt personæ, sicut nonnulli hæreticorum voluerunt: quoniam non sic creatura, ut Sanctus iste testatur, in societatem sui creatoris assumpta est, ut ille habitatoris, et illa habitaculi teneat locum; sed ut ita naturæ duæ alteri altera uniretur, et in tantam conveniant unitatem, ut utriusque diversitas unus idemque sit filius. Propterea cùm nascitur homo de Maria Virgine, non purus homo, neque communi lege naturæ, sed Deus Dei filius, non cum eo, sed in eo nascitur. Sicut et cum solvitur templum corporis Christi ex Evangelio, et resuscitatur, Deus homo solvitur in mortem, et Deus homo resuscitatur ad vitam. Non enim ita solvitur hoc templum, ut separetur a Verbo, sed sic solvitur, ut possit Deus pati et mori in homine. Quoniam, sicut beatus Augusti- S. Augustinus.
nus ait, ut ipse qui natus est de Patre, Deus Verbum natus est, et de matre Verbum caro factum est. Unus igitur atque idem Deus, Dei filius, natus ante sæcula, natus et in sæculo, et utraque nativitas unius est filii Dei. Verumetiam, inquit, de eodem matris utero idem Deus homo exivit, et in sepulcro idem Deus homo factus iacuit, et ab inferis idem Deus homo die tertia resurrexit. Quapropter quæso audiant, quia in nullo ex quo conceptus est Deus homo, solvitur Christus; alioquin, sicut ait Ioan- 1. Ioan. 4.3.
nes Apostolus, qui solvit Iesum Christum, hic non est eius, sed hic est Antichristus. Idcirco cessent a talibus deliramentis, et confiteantur cum sanctis Patribus, sic eum esse natum de Virgine Maria, ut dignatus est, et ut decuit Deum; nullas adscribant sacratissimæ matri contumelias intu-

(1) *Nobis virginibus* legebatur in Feu-ard. Nos emendavimus *vobis*, quamquam in Amel. sit etiam *nobis*. Sed fecimus eius exemplo, quoniam in fine huius opusculi ubi Feu-ard. habet *sponsus noster*, Amelianus codex legit *sponsus vester*.

(2) *Nam sponsus*, &c. verba hæc desiderantur in Feu-ard. in quo solum habentur sequentia *semper iocundus*, &c.

(3) *Iungunt* Feu-ard.

(4) *Quia in Christo non duæ sunt personæ*: erat in edit. et MS. *quamvis duæ sint personæ*, certè corruptum: itaque emendavimus coniectura ducti.

Digitized by Google

tulisse, non gemitus, non dolores, non ærumnas, non ullas viscerum vexationes, non ullas diræ tristitiæ corruptiones; quia hæc omnia, sicut sæpe dictum est, in prima origine illatæ sunt vindictæ et retributiones iustissimæ primæ prævaricationis. A quibus omnibus beata virgo Maria quantum est aliena a culpa, tantum proculdubio libera fuit a doloribus, et a pœna. Qua de causa, carissimæ, exultate in Domino et congaudete, quia tantæ gratiæ comparticipes factæ estis: congratulamini, quia non solum castitatem, verùm et virginitatem integram illibatamque sponso vestro Deo religiosè satis admodum vovistis. Unde quia tali ac tanto sponso, dilectissimæ, dicatæ estis, servate immaculatum connubium vestrum, et dotalia iura, quæ non nisi fide integra et operibus servantur. Exorate quæso pro me, quia dignus non sum vobiscum ante thronum huius virginis dulcia cantica frequentare dramatis, saltem mihi venia donetur vestris intercedentibus meritis. Deinde obsecro, agite precibus hoc munus quamvis subulco vobis sermone dicatum, virgo beata vestro dignetur obsequio suscipere, quia ut scitis plenissimè, nostris non eget laudibus, quam omnis illa supernorum societas hymnidicis indesinenter celebrant melodiis; neque iam ullis potest obfuscari calumniis, quæ gloriosa super choros Angelorum sublimata, veneratur ab omnibus, et dum adorant et collaudant filium Dei, ipsum eumdemque eius confitentur filium, et recognoscunt non alium esse, (1) qui coæqualis et substantialis Deo Patri credatur et adoretur ab omnibus, quàm qui natus est de utero Mariæ virginis. Et ideo, sponsæ Christi, sic respicite ad cunas, et ad præsepium, ut eum semper considere intelligatis in dextera Patris, non iam vagientem inter crepundia, neque pendentem in cruce, sed regnantem super omnia, cui data est, ut ipse testatur, omnis potestas in cælo et in terra, *Matth. 28. 18.* cui flectitur omne genu cælestium, terrestrium, et infernorum, *Philip. 2. 10.* et omnis lingua confitetur, quia Dominus Iesus Christus sponsus (2) vester in gloria est Patris. Amen.

Aliud fragmentum ex libello DE PARTU VIRGINIS, *prout est in editione Feu-ard. et codic. Ameliano, in quo exordium potius cuiusdam sermonis ad populum continetur.*

Quotiescumque, dilectissimi, vobis aliquid pro amore creatoris nostri in eius creatura dignis laudibus prædicatur et extollitur, ad eius proculdubio laudem refertur, qui auctor creaturarum est, ut de creatura sua factor intelligatur et laudetur; quoniam iuxta Apostolum, *invisibilia Dei* *Rom. 1. 20.* *per ea quæ facta sunt, intelle-*

(1) *Qui* emendavimus quamvis in utroque sit *quàm*, nec dubitamus, quin ita legendum sit.

(2) *Noster* Feu-ard.

lecta conspiciuntur : sicuti, ut ita dicam, fieri solet in quodam laudibili et mirabili artificio, dum quicquid in eo multis et magnis laudibus effertur, totum ad gloriam et laudem manus artificis iure inspicitur. Sed longè incomparabiliter Deus laudandus est in sanctis suis, et in omnibus operibus suis prædicandus. Hinc quo-
Psalm. 150. 1. que David : *Laudate Dominum*, inquit, *in sanctis eius : laudate eum in firmamento virtutis eius*. Quod ut dignè possit fieri, fides priùs adhibenda est, quoniam omnia opera eius in fide : deinde intelligentia requirenda; alioquin,
Isai. 7. 9. *nisi credideritis*, sicut Isaias ait, *non intelligetis*. Intelligibilia au-
Rom. 1. 20. tem Dei per ea, ut dictum est, creaturarum quæ facta sunt et fiunt in sanctis eius, dignè in fide cum pietate devotionis considerata intelliguntur, intellecta verò ad plenum verè laudantur. Quæ nimirum laus in conspectu Dei et Angelorum eius tantò ampliùs gratificatur, ut acceptior fiat, quantò in eisdem sanctis et veris operibus Deus sapienter fide creditur, et intellectu piè videtur. Hinc quoque David valde gratulabundus, tertiò repetendo exhortatur dicens : *Psallite* Psalm. 46. 7.
Deo nostro, inquit, *psallite regi nostro, psallite* : Patri videlicet ac Filio; et ut Deus Trinitas commendetur unà cum Spiritu sancto, *psallite*, inquit, Ibi 8.
sapienter. De quibus profectò quisque non rectè intelligit aut credit, non dico sapienter, verùm nec utiliter, sed in vanum psallere videtur. Ideo dilectissimi, adhibete diligentiam in omnium sanctorum festivitatibus, maximè verò in hac celebritate genitricis Dei, ut benè intelligendo ac rectè vivendo, in eius laudibus dignè assistere, et sapienter Deo psallere positis; quoniam quidquid genitrici eius officiosissimè impenditur, illi nimirum impenditur, cui iure patet omne clausum. . . .

SANCTI ILDEPHONSI SERMONES DUBII.

ADMONITIO AD LECTOREM.

Noli mirari, lector optimè, quòd sequentes Sermones operibus dubiis et incertis S. Ildephonsi a nobis accenseri videas, quos tamen audis a viris non indoctis tamquam suos frequentissimè laudatos, et quasi Ildephonsinos communi opinione receptos. Facimus etenim nec temerè, nec sine aliorum virorum magna doctrinæ laude præstantium suffragiis, sine quibus numquam ausi fuissemus iudicium de illis adeo apertè pronuntiare. Neque enim ignoramus quantæ invidiæ res plena sit, opiniones vetustate quodammodo consecratas, atque hominum animis altis radicibus infixas evellendas suscipere; quàmque difficile in operibus SS. Patrum paulò accuratius examinandis atque diiudicandis occupatum, intemperatioris critices notam effugere. Itaque quòd dicimus,

mus, rem esse valdè incertam, utrum Sermones isti revera sint S. Ildephonsi, non nisi post seriam meditationem, longumque examen illorum institutum, post multas eorum inter se, tum cum aliis operibus S. Doctoris collationes factas, facem semper nobis præferentibus viris omni doctrina et eruditione præstantibus, denique non nisi gravibus rationibus adducti, pronuntiamus. Quæ omnia paulò fusiùs exponere operæpretium erit.

De S. Ildephonsi Sermonibus nihil amplius ad posteriorum temporum memoriam pervenerat præter historicorum testimonium, a quibus commemorantur nonnulli Sermones ab ipso conscripti, et cum cæteris operibus suis in lucem emissi; neque postrema sæcula ullum illorum exemplar viderant, donec sæculo decimosexto omnium primus Franciscus Feu-ardentius, nobilis Theologus Parisiensis e Fratr. Minorum familia, ex antiquo codice MS. (quem a Gotiscalco inter Aquitanos Episcopo ex Hispaniis adsportatum scribit) unà cum libro DE VIRGINITATE PERPETUA SANCTÆ MARIÆ, *et altero libello* DE PARTURITIONE *superiùs excusso, Sermones duodecim sub nomine S. Doctoris evulgavit. Scilicet deceptus fuit vir alioquin oculatissimus, quòd Sermones tali nomine inscriptos forsitam reperisset, neque illud a vero abhorreret, quando S. Ildephonsum Sermones scripsisse constaret. Inventum vulgatumque thesaurum omnes communi acclamatione suscipere, probare, laudare; Ildephonsi sententias unusquisque producere, ornare, amplificare; nemo de eis vel leviter dubitare, vel ad illorum examen animum adiicere. Qua ex re non multò post communis apud omnes litteratos opinio percrebuit, Sermones istos germanos esse Ildephonsi fœtus.*

Post hæc verò accidit, ut ex Doctoribus aliqui illorum lectioni seriò incumbentes, nonnulla in eis prima fronte suo iudicio minus probanda offenderint, quorum occasione de illis ad novum examen revocandis, legitimoque illorum parente diligentiùs investigando cogitarunt. Hos inter primus nobis occurrit P. Ioannes Poza, qui in suo Elucidario B. M. V. ad illustrandum argumentum de illibata Deiparæ Conceptione, testimonia ex Ildephonso nostro adducta expendere aggressus, eo fine ut incerta et spuria a certis legitimisque secerneret, multa sibi visus est in hisce Sermonibus reperisse, cùm ab Ildephonsi more et stilo, tum ab eius doctrina pietateque omnino aliena, quæ non essent temerè, nec sine gravissimis probationibus (quæ nullæ erant) tanto Doctori imputanda.

Pozæ iudicio Theophilus Raynaudus re de novo explorata acquievit. Amborumque sententiæ, qui eos sequutus est D. Nicolaus Antonius, in Bibliotheca antiqua Hispaniæ libenter suffragatus est, postquam Pozæ censuram totidem verbis retulisset. Deinde P. Remigius de Ceillier in opere Gallice edito de Scriptoribus

Ec-

Ecclesiasticis, *nullo pacto, ait, sibi persuaderi posse prædictos Sermones esse S. Ildephonsi.*

Ergo ex duplici capite, si istos Doctores audimus, oportet Sermones præfatos S. Ildephonso abiudicare: nempe ex doctrina in eis contenta, et ex proprio uniuscuiusque stilo. Verùm ut ingenuè loquamur, Pozæ censuram in his quæ doctrinam spectant, minimè probare possumus: neque enim (nisi omnino cæcutimus) videmus quid sit quod erroris meritò insimulari queat. Tria siquidem sunt, quæ Fidei absona, piisque auribus minimè ferenda censet perdoctus Vir: primùm, quòd Sermone 5. de Assumptione dicitur, non debere indubitanter affirmari B.V. fuisse cum corpore in cælum assumptam, (quamquam pium sit ita credere) ne incerta pro certis recipiantur. Alterum, quòd Sermone præcedenti pia quadam temeritate asserere audet Festum Assumptionis aliquod remedium et refrigerium afferre claustris infernalibus, adeo ut in eo die ministri Tartarei non audeant pertingere suos captivos, quos recolunt redemptos sanguine filii tantæ Virginis. Tertium denique, quòd in Homilia de Purificatione adseverat corpus Christi Domini fuisse quadraginta dierum numero formatum in utero Virginis. Hæc totius censuræ summa, cuius singula capita facilè diluuntur.

Nam quod de assumptione corporis Virginei dubitanter scribit auctor, illud ex Sermone Assumptionis desumptum est, qui ab eo laudatur sub nomine S. Hieronymi, cuius certè non est, sed vel Sophronii auctoris Græci Hieronymo supparis, ut placet aliquibus, vel ut volunt alii, auctoris multò recentioris, sed illorum priorum sæculorum, qui potuit illud asserere sine ulla offensione: nempe piè ab aliquibus tunc temporis credi B. Virginem fuisse in corpore assumptam in cælum, verùm indubitanter tamquam certum non posse affirmari: in quo certè errorem nullum animadvertimus. Neque siquis Ildephonsi sæculo idem pronuntiasset, facilè esset erroris arguendus, quando non in omnibus Ecclesiis, neque ab omnibus Doctoribus ita certò tenebatur, sed tantùm in aliquibus; quemadmodum colligitur ex Sermone secundo de Assumptione falsò Augustino attributo, cuius auctor post S. Isidorum, quem laudat, scribebat. Quod tamen, postquam ab universa Ecclesia receptum est, atque omnes sacri Doctores in ea veritate consentiunt, siquis inficiari, vel de eo dubitare auderet, temeritatis notam non effugeret.

Nec validius est, quod secundo loco opponebatur de refrigerio et levamine per Virginem allato claustris infernalibus in anniversario die suæ assumptionis. Quis enim miretur, illorum temporum Doctorem huiusmodi piæ temeritati, ut ipse vocat, lubenter indulxisse in B. V. gloriam, qui sciat, S. Augustinum quorumdam sententiam improbare ausum non fuisse, qui existi- Enchir. cap. 112.

marent, damnatorum pœnas certis temporum intervallis aliquatenus mitigari, ita ut in ira sua non contineat Deus miserationes suas; non æterno supplicio finem dando, sed levamen adhibendo, vel interponendo cruciatibus? Deinde unde evinci potest, hoc loco auctorem fuisse loquutum de hominibus in æternum damnatis in infernum ob gravia peccata, et non potius de animabus sanctis, quæ in Purgatorio torquentur? At verò his et damnatorum captivorumque nomina conveniunt: atque a ministris Tartareis in claustris infernalibus torqueri nemo ambigit.

Denique quod ultimo loco obiicitur de formatione corporis Dominici quadraginta dierum circulo peracta in utero Virginis, siquam habet difficultatem (ut certe habet) non aliam verò, quam quæ in verbis Augustini reperitur in lib. 83. quæst. q. 56. *unde hic locus videtur fuisse desumptus ab illius Homiliæ scriptore. Verùm cum Augustini verba nullus sit Theologus post Magistrum Sententiarum, qui non ea sano sensu exposuerit, ex illorum commentariis potest huic loco solutio accommodari. Hisce igitur de doctrina criminationibus dilutis, reliquas animadversiones exponamus, quibus evincitur istos Sermones minimè censendos esse exploratos Ildephonsi fœtus.*

Et primò quidem id quod omnium maximè Feu-ardentio persuasit hosce Sermones esse Ildephonsi, scilicet quòd in illo suo codice MS. satis vetusto unâ cum aliis operibus eiusdem S. Doctoris reperisset eos, quemadmodum tanti viri errorem elevat, ita quàm levis momenti fuerit, postea manifestè apparuit. Erat enim etiam in illo codice immediatè post libellum Ildephonsi DE PERPETUA DEIPARÆ VIRGINITATE *ille alius tractatus* DE PARTURITIONE *proximè a nobis editus, quem, ut præmonuimus, nemo non Ildephonso abiudicat. Quoniam licèt sub eius nomine reperiatur, longa tamen experientia compertum est fuisse in more apud antiquos ante artis typographicæ adinventionem, ut variorum Doctorum lucubrationes ad idem præsertim argumenti genus spectantes in eumdem codicem congererent, nulla sæpissimè auctorum diversitate notata; quæ res immane est quot errores circa genuina uniuscuiusque opera pepererit. Abundant undique exempla, quorum nos, ut alia ommittamus, simile deprehendimus in ipso codice nostro Ameliano iam sæpius laudato in horum opusculorum editione. Est enim ferè totus expressus ad normam codicis quo Feu-ardentius usus est: iidem in utroque tractatus, eodemque ordine dispositi, nisi quòd noster correctior est, atque uno Sermone auctior, qui inscribitur* DE S. MARIA. *At verò post hæc omnia animadvertimus aliquot folia membranacea abscissa, in quibus absdubio alius tractatus continebatur* DE LAUDIBUS B. VIRGINIS, *cuius locupletissimus index adhuc*

Digitized by Google

huc remanet ad calcem ipsius codicis, eâdem, qua cætera, manu exaratus. At verò prædictus libellus non est propterea Ildephonsi censendus, sed vel Anselmi, aliûsve qui de B. Mariæ laudibus scripserit.

Huic animadversioni multum ponderis adiiciunt, quæ a viris doctis observata sunt circa horum stilum. Quamquàm enim nullus sit certus et exploratus Ildephonsi Sermo, quocum istos contulerint, quantum tamen ex cæteris operibus coniicere potuerunt, nihil minus in eis vident quàm Ildephonsum. Siquidem propria illa scribendi ratio conformatioque latini sermonis, quæ Patrum Gothorum quasi caracterem exprimit, nusquam apparet. Unum certè cuilibet paulò attentius illos perlegenti exploratum erit, non uno, nec duplici, sed multiplici stilo esse conscriptos: quod plures prodit auctores. Siquidem primus, et quartus, qui primi quasi compendium est, unius auctoris esse perhibentur: tertius, quintus, et sextus alium sapiunt auctorem: septimus et octavus omnino a præcedentibus diversi: decimus nulli priorum similis. Alius Scripturarum testimoniis totus intextus est; alii Patrum, et Doctorum citationibus abundant. In quo illud est omni animadversione dignum, quòd cum in eis aliquando laudentur Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Sedulius poëta, unius Gregorii Magni nomen nusquam personat, Gregorii, inquam, illius, qui nostris Patribus Gothis solus ipse instar omnium erat, cuius unius doctrinâ maximè delectabantur, cuius sententias semper in ore habebant, quibusque solebant omnem orationem conspergere, ut videre est cùm in Isidori operibus, tùm in ipsius Ildephonsi libris de ANNOTATIONE BAPTISMI, *et* DE PROGRESSU SPIRITUALIS DESERTI: *quamvis in libro* DE VIRGINITATE PERPETUA S. M. *nullam eius mentionem fecerit, quemadmodum nec alterius Doctoris, testimoniis Scripturarum urgendis, prout res postulabat, unicè intentus.*

Ex quibus omnibus non temerè colligi posse videtur, ex primis undecim Sermonibus nullum esse, qui certa aliqua ratione Ildephonso nostro adscribendus sit. Neque de tribus postremis, quos adiicimus, est magis explorata sententia. Namque prioris, qui DE S. MARIA *inscribitur, nullum aliud est argumentum, quàm quòd unus codex Amelianus inter cæteros illum exhibet. Duo reliqui suam veritatem P. Florezio persuaserunt, quoniam postquam ab Editoribus S. Augustini, qui parens eorum credebatur, reiecti sunt tamquam spurii, reperti fuere in codice suo MS. sæculi XIII. post libellum* DE VIRGINITATE S. MARIÆ, *sub nomine S. Ildephonsi. Quod argumentum quantùm per se valeat, vidimus: nisi solidior ex stilo et materiâ coniectura capiatur, quam quidem nos eruditorum arbitrio relinquimus, qui illis perlectis iudicabunt, quamnam habeant hi Sermones cum genuino S. Docto-*

ctoris stilo, atque etiam cum præcedentibus Sermonibus similitudinem. Nos hærentes rem in medio relinquimus, atque ad illorum accuratiorem editionem procedimus.

SERMO I.

DE ASSUMPTIONE BEATISSIMÆ, ET GLORIOSÆ VIRGINIS MARIÆ.

Hodie, dilectissimi fratres, natalitia beatæ Mariæ celebramus; (1) et iam sinceris vestris meritis ac precibus adiuvemur, quatinus ipsa intervenire dignetur, ut et ego vos solemniter exhortari queam ad profectum salutis vestræ, vosque devotè percipere valeatis, ut simul nos omnes in eius laudibus digni inveniamur. Non enim ab omnipotente Deo tam effectus tantarum rerum, quàm voluntas requiritur. Et ideo, ut credo, pro bona voluntate, dilectissimi, præstabit vires loquendi, quas imperitia denegat, qui et vobis plenissimè gratiam intelligendi dedit, quoniam læti ad eius festivitatem devotique celebrandam occurrimus, ante cuius torum olim multitudo cælestis exercitûs decantavit:
Luc. 2. 14. *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quapropter sit nobis bona voluntas in affectu, erit pro certo Dei adiutorium in proventu, ut et competenter intelligere possimus quam laudamus, et laudare religiosè Virginem, cuius hodie solemnia colimus. Ante cuius torum profectò quo puer reclinatur in stabulo, invitant nos, ut dixi, Angeli canentes: *Gloria in excelsis Deo*, ut insinuent vocibus, quod idem qui natus est in carne, Deus et homo est. Et quia Deus est, gloria in excelsis, ubi peccatum non est, sed perpetua laus amplior prædicatur; quòd autem idem homo, in terris, ubi seditio et bella sunt indesinenter, propter reconciliationem Meditatoris pax hominibus bonæ voluntatis nuntiatur: ac sic unus idemque Christus utrumque complectitur. Et ideo sursum in cælis non minuitur gloria superiorum civium, sed augetur; nec deorsum in terris propter discordias frustratur pax hominibus bonæ voluntatis, sed præstatur. Propter quod ad huius cunas infantiæ, quas Angeli frequentant, invitat nos sanctorum Prophetarum chorus, imo et sapientia Dei patris invitat nos, et Spiritus sanctus: Ante torum, inquiunt, huius Virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis. Dramaton enim, carissimæ, genus est carminis, quo genere Cantica Canticorum edita leguntur. Et iubemur, ut caritas amplior commendetur, eo genere canendi dulcia cantica in huius honore Virginis frequentare, ubi interdum Angeli canentes celebrant laudes, Archangelus Gabriel evangelizat, stella occurrens refulget, Magi veniunt et adorant, mu-

(1) *Et iam sinceris vestris meritis*: lectio cod. Amel. magis ferenda, quàm Feu-ard. *etiam et in cælis vestris meritis, &c.*

Digitized by Google

munera deferunt, suisque muneribus prophetant: pastores audiunt et loquuntur; veniunt, vident, et intelligunt Verbum incarnatum, quod Dominus ostendit eis.

Idcirco, dilectissimæ, ubi talia et tanta ostenduntur, (1) surgite cum hymnis et canticis spiritualibus psallentes in cordibus vestris Domino, et cum Ange-
Luc. 2. 14. lis (2) decantate dicentes: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Quoniam hæc est mater Domini, (3) per quem vita redonatur. Hæc est virgo fœcunda, multis Prophetarum indiciis prædicata. Hæc est quæ hodierna die completis omnibus cælo assumitur, exuitur carne, cælesti gloria vestitur. Hæc ex genere Abrahæ orta virgo, in cuius semine benedicebantur omnes gentes de tribu Iu-
Gen. 49. 10. da. Unde dictum est: *Non deficiet princeps de Iuda, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.* Ipsa est
Isaiæ 11. virga de radice Iesse, de cuius nimirum rursus radice flos ascendit Christus. Ipsa est Virgo clarissima, stirpe David progenita, cui Deus Pater olim
Psalm. 31. 11. in spiritu: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Ecce ad quam concurrunt, o filii, omnia eloquia Prophetarum: ad quam omnia ænigmata concurrunt Scripturarum: de qua natus est Christus, Deus et homo, pridem in terris, ut ipsa hodie assumpta de corpore renascatur in cælis. Unde et filia Ierusalem esse iure canitur, licèt natus sit ex ea, qui eam olim fundavit Psalm. 86.
Altissimus. Quæ revera mater illa cælestis hodie advenit obviam ornata monilibus suis, de qua dicitur: Vidi Ierusalem descen- Apoc. 21. 2.
dentem de cælo a Deo ornatam (4) auro mundo, et lapidibus pretiosis intextam. (5) Quæ profectò hodie decorata ideo descendit, ut reginam mundi, beatam scilicet Mariam, secum eveheret ad sublimia, et collocaret in throno regni: alioquin officiosissimè prætexta non occurreret, nisi festivitas magna esset.

Propterea, o filii, seu quicumque pueri et puellæ, senes cum iunioribus, omnes vos moribus festivos præparate in festivitate tantæ Virginis. Producite choros lætitiæ spiritualis, (6) quatinus docere possitis cantica quæ auditis, vel quæ canitis. Aliàs autem, quia non est speciosa laus in ore peccatoris, ad hæc festa, donec vos vitiis exuatis, non congruitis. Ipsa igitur stella maris, quam hodie cælum suis recepit sedibus, appellatur: quia secundùm verbum Vide S. Bernardum hom. 2. super *Missus est.*
Hebraicum Maria ita interpretatur. Hinc agite, dilectissimæ, ut lucifer ille qui nescit occasum, oriatur in cordibus vestris, dum in hoc sæculo estis. Nam mare præsens sæculum est: stella autem beata virgo Maria, de qua ortus est ille, per quem il-

(1) *Satagite* Amel. cod.
(2) *Decantare* idem.
(3) *Per quam* Amel.
(4) *Auro mundo* ex Amel. cod. *a viro mundo* Feu-ard.
(5) *Quò* Feu-ard.
(6) *Quatinus dicere possint cantica quæ audistis, vel quæ canitis.* Feu-ard.

Digitized by Google

illuminatur omnis mundus.

Hinc securiùs accedite ad laudem Virginis, et illuminamini: quoniam ipsa est, per quam vera lux in mare huius sæculi refulsit. Ipsa est ancilla Domini, iuxta quod ait ipsa post ineffabilia Gabrielis promis-
Luc. 1. 38. sa: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Quapropter discite, carissimæ, humiliari, discite mites esse: quoniam hæc est sola virtus, quam in se Dominum respexisse præcipuè gloriatur, ut et vos ex eadem humilitate gloriari possitis; nam et ipsa regina nostri orbis dicitur. Agite cum ea, ut regnare valeatis, ubi exaltantur humiles, et deiiciuntur superbi; ubi dominantur mites, et servituti rediguntur obnoxii, qui ad præsens elevantur elati. Ecce iam beatam illam dicunt omnes generationes sæculorum, quæ se dudum tantis insignivit virtutibus, ita ut et sponsa iure dicatur, ac mater sui creatoris.

Ante cuius torum, quæso, rursus ad exequias non threnos doloris, non lamenta fletus, sed carmina Deo dulcia (1) modulate vocibus, quoniam hodie iam læta pervenit ad regis thalamum. Pervenit itaque puerpera, ubi Angelorum melliflua indesinenter sonant organa, ubi hinc inde hymnidici sanctorum vicissim cantica nuptiarum alternant chori: ubi epitalamia sponsi et sponsæ suis suavia redduntur melodiis. Ad quas itaque nuptias hodie beata Dei genitrix cum gaudio introivit, quæ fuit olim conditoris templum, Spiritus sancti sacrarium: sacrarium inquam Dei, quia omnes thesauri sapien- *Colos. 2. 3.*
tiæ et scientiæ in eius utero sunt reconditi, quo et Verbum caro factum est, in quo habitat omnis *Ibi 9.*
plenitudo divinitatis. Sed tamen longè aliter Christus templum Verbi, aliter beata Virgo: quia uterus Virginis acsi hospitium fuit, ex quo Christus Deus ad nos, quasi sponsus de thalamo suo, potentiâ fortis ut gigas, exiit. Porrò Christus Deus et homo, unus mediator Dei et hominum *1. Timoth. 2. 5.*
fuit: non alter Deus, alter homo, ut templum et Verbum duo essent; sed unus idemque Christus Iesus. Qui dum resolvitur in mortem, Deus in suo homine, cùm sit immortalis, propter unitatem (2) subsistentiæ mortuus prædicatur: ac per hoc non alius qui templum, alius qui Verbum, sed Verbum et templum unus est Christus. Et quia unus idemque, nec in passione dividi potest secundùm substantiam, nec in maiestate.

Sic et Dei genitrix speciosa prædicatur, velut columba, pulchra ut luna, electa ut sol; quia *Cant. 6. 9.*
columba illa, quæ super Christum mansit, eam totam repleverat: idcirco ob hanc speciem decoris non immeritò formositate virtutum speciosa laudatur. Pulchra ut luna: quinimò pulchrior quàm luna, quia in eius specie (3) gens omnium Ecclesiarum resplendet, quæ

(1) *Modulata* Feu-ard.
(2) *Substantiæ* Am. cod. pro *subsistentiæ*.
(3) *Genus* est in Amel. pro *gens*, quod est in Feu-ard.

Digitized by Google

quæ sole iustitiæ illustratur, ut caliginem præsentis vitæ destruere possit, et ad ea pertinere nos omnes faciat, quò beata Virgo pervenit, ubi nullum iam patitur defectum luminis; quia laborum eius et gratiæ gloriosus est fructus. Ideo, dilectissimi, imitamini illam, dum vacat et tempus est, quam collaudant omnes sancti et diligunt: quæ hodie processit electa de terris ad cælum, electa ut sol. Et ecce in perpetuum clarior sole, coronata triumphat ante Dominum. In qua nimirum Virgine olim quasi in so-
Psalm. 18. 6. le posuit rex tabernaculum suum, ac processit sponsus ad nos de thalamo suo, rex virtutum, rex gloriæ, ut omnes regnent per eum.

Sap. 4. 1. O quàm pulchra est, admirabilis, casta generatio cum [1] claritate! Quòd si præclara est in virginibus, et præclara cum præconio bonæ famæ, multò magis in Dei genitrice Maria, quæ virgo permansit, et fœcunda mater: cuius sanè memoria inclita virtutum apud Deum et homines immortalis regnat. Qua de causa, filii, imitamini illam, et desiderate illam, quæ hodie iam ornata thalamo, sponsa et coniux, mater et virgo, introivit ad nuptias. Introivit itaque integrè sigillata signo pudoris, quia et virginitas atque castitas omnis insignitur apud Deum, ut accepta sit et probabilis. Qui autem imitantur illam, erunt ex parte eius: et beata quæ nescierit torum in de- *Sap.* 3. 13.
licto; habebit fructum in respectione animarum sanctarum.

Unde quæso vos, o filii, imitamini signaculum fidei vestræ, beatam Mariam, quam, velut ignis ferrum, Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit, et ignivit, ita ut in ea [2] non nisi Spiritus sancti flamma videatur, nec sentiatur nisi tantùm ignis amoris Dei. Hæc namque est hortus conclusus ille deli- *Cantic.* 4. 12.
ciarum, fons signatus, puteus aquarum viventium, reparatio vitæ, ianua cæli, decus mulierum, fastigium omnium virginum: quæ ut cedrus Libani quotidie in terris [3] multiplicatur, dilataturque ramis, et in cælo radicibus, ut crescat ampliùs, solidatur. Exal- *Eccl.* 24. 17 18. 19.
tatur ut palma, floret velut oliva speciosa in campis, et [4] fructificabit in domo Dei in æternum. In qua nimirum domo hodie læta introivit, et sequuntur eam omnium electorum animæ, quæ sunt ex parte illius. O! si permitteretur nobis scire, quæ illius vitæ gaudia ad quæ intravit hodie, quæ illa florentis paradisi amœna, quæ illa societas Angelorum, quantus famulatus cælorum, et sanctarum animarum [5] numerus exultans occurrit! quanta illi hodie

Vv mon-

(1) Nos emendavimus *claritate*, quamvis in utroque et Amel. cod. et Feu-ard. editione legeretur apertè *caritate*. Emendavimus, non tam propter lectionem vulgatam, a qua frequenter recedere videmus, sed magis propter sequentia verba: *Quòd si præclara est in virginibus, et præclara cum præconio bonæ famæ, &c.*

(2) *Non nisi Spiritus sancti flamma*: illa verba *non nisi* desiderantur in Feu-ard. sed habet Amel. cod.

(3) In Feu-ard. *multiplicabitur, dilatabiturque, &c.*

(4) *Fructificat* Amel. *Fructificabit* Feu-ard.

(5) *Innumerus* edebat Feu-ard.

Digitized by Google

monstrata sunt secretorum arcana, quàm ineffabilia sunt gaudia reserata! Non dico explicare verbis, saltem quis nec dignè cogitare poterit quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt.

Idcirco, filii, perpendite Matrem Domini, quæ quasi vitis fru- *Eccli. 24. 23.* ctificavit suavitatem odoris, et protulit cunctis gentibus fructus honestatis et gratiæ. Floruit ut mater honorificata, ut mater pul- *Ibi. 24. 25. 26.* chræ dilectionis et timoris, ut mater agnitionis Dei et spei, in qua gratia omnis spes vitæ et virtutis, et quæ sola refulsit virgo sancta inter filias, acsi lilium inter spinas. Virgo prudens, virgo pudicissima, virgo pulcherrima, et fœcunda: corpore decora atque integra, animo fulgida, fide perspicua, vitæ præclara, amore virginitatis devota, in omni obedientia virtutum parata, et in ministerio sibi credito cautissima: cuius animam in passione Christi pertransivit gladius, et in cunctis angustiis decoxit fervor divini amoris. Ipsa est ergo quæ a Prophetis est prædicata, et a philosophis etiam prædicata, ab Archangelo salutata, a Spiritu sancto fœcundata, et ab eodem obumbrata. Virilis seminis ignara, prole fœcundata, (1) virgo innupta, in filio glorificata, quæ fide concepit, et cum gaudio peperit. Virgo siquidem ante partum, virgo in partu, et virgo post partum: quem totus itaque non capit orbis, in eius se clausit viscera Deus factus homo. Qui cælum et terram adimplet; cui cælum thronus est, terra autem scabel- *Isaiæ 66. 1.* lum pedum eius; qui palmo cælos tenet, et appendit tribus digitis molem terræ, ac pugillo *Isaiæ 40. 12.* concludit, hunc Virgo sancta pannis involvit, et in præsepio re- *Lucæ 2. 7.* clinavit. Ergo qui cuncta pascit cælestia et terrestria, simul et regit, hunc sacratissima Virgo lacte carnis aluit et nutrivit: ad cuius deinde nutum universa reguntur, sub eius disciplina vel arbitrio infans Deus versatur: et quod mirabilius est, defensor omnium et creator quasi profu- *Matth. 2. 14.* gus (2) in Ægyptum fugit. Quid plura? qui cuncta quasi in statera suspensa tenet, cruce suspenditur: super quem beata Virgo multùm doluit, multùmque perpessa est, et gladio passionis Christi vulnerata in anima, teloque transfixa.

O sanctissima omnium feminarum, quæ cum Deo tale tantumque contubernium habuit in terris! Et ecce hodie exaltatur apud eum quem genuit, ut permaneat sine fine gloriosa in cælis. Quæ cum Apostolis degens vixit, et quandiu simul fuêre, unanimiter in oratione per- *Actor. 1. 14.* mansit, conferens cum iisdem, donec omnia complerentur mysteria repromissionis Christi, et ipsi longè lateque causâ prædicationis dispergerentur. Deinceps verò quàm feliciter sub præsidio Angelorum et Ioannis diligentia fuit! O inclita Virgo! ecce remora-

(1) Pro *virgo* legitur in Amel. *viro*: et postea ubi Feu-ardent. *quòd fide*, *&c.* *quæ fide.*

(2) *In Ægypto* Feu-ard.

Digitized by Google

raris in terris, quæ filium tuum redemptorem nostrum Iesum Christum præmittis ad cælos: beatiùs atque feliciùs et tu Angelis commeantibus penetras gloriosa. Secura igitur ac gaudens iam peragis, quia eumdem filium tuum Dominum nostrum iam divinitatis gloriâ (1) consedere ad dexteram Patris non ignoras. Unde quàm beatissima et laudabilis diei huius celebratio rectè colitur, in qua Virgo mirabilis cum laudibus cælestis militiæ (2) intra polorum aulam unâ cum ingenti triumpho excipitur? Ex cuius nimirum carne Dominus Iesus Verbum caro efficitur, qui cunctis in se credentibus ianuas paradisi aperire dignatus est. Qui matrem secum in throno regni collocavit, et in immortalitatis gloriam eam transposuit, ac super choros Angelorum supersolemniter evexit.

Quapropter, dilectissimæ, solemnitatem huius diei dignanter celebrate, de qua exultant Angeli, lætantur Archangeli, de qua gaudet omnis illa cælestis Ierusalem, civitas gloriosa. O! si permitteretur nobis scire quanta iocunditas, vel quanta ineffabilis lætitia illic est, vel quanta exultatio animarum sanctarum de visione tantæ claritatis; quantus famulatus beatorum spirituum, quantusque numerus Angelorum hodie genitrici Verbi Dei gratulabundus occurrit; ad quanta vel qualia gaudia feliciter hodie intravit, quæ profectò nec oculus vidit, nec auris audivit! Sunt enim invisibilia atque ineffabilia, quæ percepit, et ut iam dictum est, filium suum Dominum Iesum Christum, quem pendentem in cruce olim doluerat, multùmque perdoluerat, super omnia elevatum in dextera Patris regnantem iam conspicit. Quem gaudens adorat omnis ordo cælorum, cui venerantes inhærent, et inhærentes immortali Deo inmortaliter vivunt. Cui hodie læta canit ipsa eademque beata mater et virgo: *Adhæsit anima mea post te: idcirco suscepit me dextera tua.* Psalm. 62. 9. Nihil enim lætius, nihilque iocundius quàm quæ ipsa canit: *Tenuisti*, inquit, *manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria* (3) *suscepisti me.* Psalm. 72. 24. Sed et alibi: (4) *Quid enim mihi est in cælo, et absque te quid volui super terram?* Ibi 25. Acsi dicat: Nihil nisi te unicum Dominum ut viderem, quem amavi, quem colui, quem cupivi, quem de toto corde diu quæsivi, ut es. Et ecce iam video, iamque teneo, cui me olim tota devotione commisi, nec dimittam quem amavi. Et quia iam Ibi 26. præ amore defecit cor meum et caro mea, ideo tu Deus cordis mei deinceps pars mea in æternum eris. Porrò ad sodales conversa, fortè et ad reliquos gratulabunda sanctos hodie inquit: Sicut audivimus, o dilectissimi, ita iam videmus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri, quam Deus fundavit in æternum. De qua nimirum nobis du-

(1) *Conscendere* scribit Amel. cod.
(2) *Intra* pro *infra* emendavimus ex Am.
(3) *Assumpsisti me*: Amel.
(4) Feu-ard. *Quid enim est in cælis*, &c.

dudum gloriosa dicebantur, iam conspicimus et fruimur plenissimo caritatis intuitu.

Igitur pro talibus et huiuscemodi gaudiis, quibus exultant cum ea sancti in gloria, et
Psalm. 149. 5. lætantur in cubilibus suis, lætemur et nos, carissimæ, in spe filiorum Dei, et ad ea imploremus suffragiis eorum pertingere, ad quæ illos pervenisse cum beata Virgine credimus corde ad iustitiam, et ore profitemur ad salutem; quia tunc veri laudatores sumus, si ea sectamur quæ et ipsi sectati sunt, et ad eam fidem, quæ per dilectionem est, festinemus venire quantociùs. Alioquin incautè vani inspectores sumus et laudatores improbi, cum ipsi coronantur et accipiunt palmas, eo quòd in agone legitimè certaverint; si non et ipsi pro modulo nostro dignè ad ea pertingere la-
1. Ioan. 2. 6. boramus. *Qui* enim *dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare.*

Propterea, ut sæpe dictum est, imitamini Matrem Domini, quæ vobis sponsum genuit immortalem: imitamini et sanctos, quorum exempla, favente Deo, plurima leguntur. Sequimini sponsum, et festinate ingredi, quò hodie ingressa est beata Virgo ad æternas nuptias. Præparate lampades vestras, ut cùm venerit sponsus, et pulsaverit, vos vigilantes inve-
Lucæ 12. 37. niat; quia beati sunt servi illi quos, cùm venerit Dominus, invenerit præparatos ac pervigiles, sicuti hodie hanc vigilantem invenit. Hodie namque nimis læta meruit audire illud de Canticis:
Surge, veni, proxima mea, sponsa mea, columba mea, immaculata mea; quoniam ecce hiems transiit, pluvia abiit et recessit. Cant. 2. 10. 11.
Cui fortè illa læta respondit propter adventum supernorum civium: *Flores apparuerunt in* Ibi 12.
terra nostra, quia tempus putationis advenit. Ac deinde: *Credo* Psalm. 26. 13.
videre bona Domini in terra viventium: bona siquidem olim sanctis repromissa, bona quæ sunt in Christo Iesu, quem genui, quem alui et nutrivi: ad quem longè diu sitivit anima mea venire ad Deum Psalm. 41. 3.
fontem vivum. Et ecce hodie tandem aliquando gaudens vocata venio, et parebo ante faciem Dei. Unde *paratum*, inquit, *cor meum*, Psalm. 107. 2.
Deus, paratum cor meum; cantabo, et psallam in gloria mea. Ac si patenter dicat: Cantabo et psallam in Christo, qui est gloria mea, quem dedisti mihi filium, ex quo non solùm gloria amplior, verùm et omnibus adoptio præstatur. Ideo iam læta, iam secura, convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit ti- Psalm. 114. 9.
bi: unde placebo ei in regione vivorum. Beata igitur nimium et felix virginitas, quæ talibus tantisque [1] in extremo decoratur donis, et tantis coacervata virtutibus exaltatur, ita ut cum iubilo istud Davidicum hodie iocundans decantet: *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.* [2] Acsi Psalm. 83. 2. 3.
pa-

(1) Feu-ard. edidit: *in extremis decoratur oculis.*

(2) *Acsi patenter dicat*: desunt hæc verba in Feu-ard.

patenter dicat : Cor meum et caro mea exultaverunt priùs in Deum vivum, dum eum in carne parerem, dum lactarem, dum nutrirem, dumque ad incrementa perducerem; nunc autem ipse est rex meus, et Deus meus, quem genui, et fide credidi, corde desideravi.

Quapropter et vos, o filiæ, facite voluntatem Patris, ut sorores Christi et matres sitis, sic-
Matth. 12. 50. ut ipse ait : *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater et soror et mater est.* Facite ergo voluntatem Patris [1] mei. Quia iam sponsæ estis, amate sponsum cui vos vovistis : et quia filiæ per adoptionem estis, [2] sorores vos cognoscat summi regis filius. Sed ne fortè inde aliqua vestrum magis lascivire velit, quia altum nomen est quod quæsistis; meminisse decet, quia eius sanguine magno pro dote emptæ estis. Et
1. Cor. 6. 20. ideo iuxta Apostolum, *Glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Imitamini sponsum, et amate, quia sponsæ estis. Imitamini Matrem virginem et sanctos omnes quos laudatis : quoniam non tantum illis nostra prodest laudatio, quantum nobis eorum imitatio. Unde sponso magis placet imitator devotus, quàm laudator otiosus. Tamen vera laudatio, imitatio est operis. Nam verè laudare Deum et sanctos in ipsum, iam opus virtutis est; dum proficit mens, et accenditur igne divini amoris, solidaturque fundamento veræ humilitatis. Qua profectò humilitate in Christo beata Mater virgo fundata post omnia sibi divinitùs repromissa, *Ecce*, inquit, *ancilla* Luc. 1. 38.
Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Hinc quoque ipsa in cantico : *Quia respexit humi-* Ibid. 48.
litatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Felix igitur et beata mens, quæ inter virtutes eximias et donorum exuberantiam tantum se humiliavit : quoniam [3] Dominus humilia respexit in Psalm. 112. 6.
cælo et in terra, et alta a longè cognoscit. Quòd si in cælo humilia requirit inter Angelos, quid putatis, o filii, in terris, ubi non nisi cum peccato cinis et vermes sumus?

Idcirco imitamini Matrem Domini, et obedite patribus : humiliamini inter virgineos flores, quia ex gratia Dei sunt pudicitiarum dona muneraque virtutum. Implorate precibus : dicite cum Propheta : *Non nobis, Domine,* Psalm. 113. 9.
non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Quotcumque estis, si estis quod vovistis, Dei muneris est, et gratia Redemptoris. Eius, inquam, sunt dona, cuius hodie mater cælos gloriosa conscendit, et penetravit locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei in voce exultationis ac lætitiæ; Psalm. 41. 5. 6.
ubi iugiter sonus est epulantis. Ergo unde priùs cecinerat, *Gu-* Psalm. 33. 9.
state et videte, quoniam suavis est Dominus, inde nunc epulatur cum sanctis omnibus, et lætatur. De qua nimirum fruitione deliciarum Dominus per Esaiam: *Ecce,*

(1) *Mei* deest in cod. Amel.
(2) *Sorores vos cognoscat* : lectio Amel. *Sorores* deest in Feu-ard.
(3) *Dominus excelsus* : Amel.

Isai. 65. 13. 14. *Ecce*, inquit, *qui serviunt mihi, et qui comportant illud, bibent in atriis sanctis meis; vos autem sitietis. Ecce qui serviunt mihi lætabuntur; vos verò confundemini. Ecce qui serviunt mihi, exultabunt præ gaudio; vos verò clamabitis ob dolorem cordis, et propter contritionem spiritus ululabitis.*

Habetis igitur, filiæ, gaudia æternæ vitæ, ad quæ pervenit hodie beata et intemerata virginitas.
Luca 13. 24. Contendite et vos intrare per angustam portam ad thalamum sponsi vestri, cuius dotem et arras pro munere accepistis. Satagite ac procurate promereri bona, quæ vobis sunt repromissa, ut accipiatis cum (1) reliquis: de quibus
Psalm. 26. 4. profectò in Psalmo canit quisque fidelis: *Unam petii a Domino,*
Ibi 13. *hanc requiram:* et *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Quæ nimirum bona beata virgo Maria hodie lætissima percepit, (2) fruitura sine fine cum Angelis: hodie coronatur in regno, quod olim ei præparatum est unà cum sanctis a constitutione mundi: hodie collocatur in throno a dex-
Psalm. 44. 10. tris Dei, sicut canitur in Psalmis: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate virtutum.*

Hinc quæso, cives Ierusalem, quicumque estis viri, quæcumque virgines, quæcumque viduæ, pueri vel puellæ, venite et videte cum omni puritate cordis, conspicite diligentiùs Matrem Domini in æthereis sedibus cum corona diadematis renitentem. Venite, inquam, mente, fide, devotione, et videte coronatam in die solemnitatis eius ac lætitiæ coronâ iocunditatis et decoris, qua coronavit eam Dominus sponsus virginum, rex gloriæ, ac remunerator omnium bonorum. Venite, quæso, et videte, quoniam hodie translata est arca testamenti Dei ad superos, exteriùs inaurata virtutibus, et fabricata interiùs auro purissimæ maiestatis: in qua lex testamenti Dei et manna fuit, quæ de cælo fluxerat, virga quoque Aaron quæ floruerat. De qua nimirum
virga David in Psalmis: *Emittet* Psalm. 109. 2.
Dominus ex Sion (inquit) *virgam virtutis tuæ.* Deinde faciens apostrophem ad eamdem,
Dominare (inquit) *in medio ini-* Ibidem.
micorum tuorum. Quæ profectò virga nobis florens attulit fructum salutis pacatissimum, qui ad tempus intra uterum Virginis mysticum germinavit sacramentum. Hinc quoque de ea in Can-
ticis: *Umbilicus tuus tornatilis,* Cant. 7. 2.
non indigens poculis: et venter tuus acervus tritici, vallatus liliis: eo quòd concinat sibi in omnibus Christi ortus ex Virgine. Verè alvus ille (3) tornatilis fuit, quia in eo sapientia se influxit, quæ miscuit in cratere vinum suum, indeficientem cognitionis gratiam habens, et divinitatis suæ plenitudinem subministrans: in quo nimirum Virginis utero simul acervus tritici et lilii flores Christi gratiâ (4) germinant; quo-

(1) *Cum reliquis virginibus*: Amel.
(2) *Fruitura cum Angelis* est lectio cod. Amel. nam Feu-ard. habet: *fruitur et cum Angelis, etc.*
(3) *Crater tornatilis fuit*: Amel.
(4) *Germinavit*: Amel.

Digitized by Google

quoniam et granum tritici Christus erat, et lilium. [1] Granum quidem, secundùm quod ait: *Amen, amen dico vobis: nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Verùm quia de uno eodemque grano tritici acervi creverunt frumenti, hinc completum est illud propheticum, *Et valles abundabunt frumento*; quia granum illud mortuum plurimum fructum attulit. Hoc itaque granum manna fuit; et ideo omnes homines perpetua cælestium munerum messe saturavit. Unde David, *Cibavit eos* (inquit) *ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos.* In hoc ergo grano etiam lilium esse testantur divina eloquia. *Ego*, inquit, *flos campi, et lilium convallium.* Propter quod uterus eiusdem Virginis per arcam figuratur, quæ cuncta Sacramentorum arcana in se habuit: habuit enim panem vivum illum qui de cælo descendit: habuit et legem testamenti novi, quia legislatorem genuit, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ atque scientiæ. Et ideo rectè arca Sacramentorum Dei Virgo Maria fuit, supra quam sanè propitiatorium et Cherubin hinc inde obumbrantia figurantur; quia Mariæ nullum extrinsecùs obrepsit peccati contagium, sed intus omnis custodia legis et manna fuit, quod est mirabile Sacramentum, ac propitiatio humanæ salutis. Suprà quidem propitiatorium rectè positum est, quia ipse propitiatio nostra super omnia est benedictus Deus.

Ioan. 12. 24. — *Psalm. 64. 14.* — *Psalm. 80. 17.* — *Cant. 2. 1.* — *Ioan. 6. 51.* — *Colos. 2. 3.*

Et ideo, charissimæ, sursum corda erigite, quò hodie, ut ita fatear, arca testamenti ab Angelis gloriosissimè ad sublimia deportatur. Illò [2] mentem figite quò pervenit sexus femineus, et virginitas Domino consecrata, habens supra se illum à quo divinitùs de medio Cherubin responsa dantur fidelibus, et in quo repropitiatio præstatur rectè credentibus. Et ideo quodcumque Deo mente offerre vultis, illuc fide transmittite, illuc vota inferte, inde precibus impetrata reportate; quoniam non aliunde est ex quo Deo Patri placere possitis, nisi in quo Pater totum constituit placitum suum. Hinc rogo de propitiatorio vobis quotidie loquentem audite, quia in ipso et ex ipso est summa redemptionis nostræ. Et si qua sunt fide quæ offerimus, et totum per eum offeramus, in quo sibi Deus placere decrevit; quoniam aliunde non est unde placere possimus. *Hic est*, inquit, *filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* Propterea audite ipsum loquentem in Evangelio, audite in Scripturis sacris, in quibus ab initio voluntas Patris per Filium monstratur. *Matth. 17. 5.*

Et quia hodie introducta est arca testamenti Dei in Ierusalem illam cælestem cum gaudio exultationis, quæso cum hymnis et canticis devotissimè agite diem festum cum omni frequentatione populi. Quòd si David unà cum omni populo dignum duxit ar-

(1) *Granum* emendavimus ex Am. nostro, pro *gratiam*, quod erat mendosè in Feu-ar.

(2) *Mentem figite*: Amel. *Mente fugite*: Feu-ard.

arcam veteris Testamenti cum tanto honore prosequi, ut Scriptura testatur; multò religiosiùs est hanc dignis laudibus commendari. Ait namque sermo divinus, quòd ascendit David, et omnis populus cum eo, ut ferrent arcam Dei, super quam invocatum est nomen Dei exercituum sedentis super Cherubin. Ac deinde
2. Reg. 6. 2. et 1. Paralip. 13. 8. *David*, inquit, *et omnis populus ludebant coram Domino omni virtute in canticis, citharis, et psalteriis, tympanis et sistris, cum cymbalis et tubis.* Rogo, si in figura officiosissimè tanta confertur gloria, quid putas hodie ante beatam Virginem, quando illa in cælestem Ierusalem evehitur, quantus exercitus sanctorum præcucurrit cum hymnis et canticis?

Nec dubium quin illa centum quadraginta quatuor millia, qui in conspectu throni et seniorum sunt, tenentes citharas suas, cecinere cum omni fragore cæli canticum novum, quod nemo potest dicere, nisi ipsi qui hodie festivi veniunt obviam cum citharis suis, ac læti in suo beatam choro excipiunt Virginem, non qualemcumque, sed unam ex numero prudentum, et primam omnium inter primos, quæ vadit post agnum proximior quocumque ierit. Canit autem et ipsa cum eisdem canticum dramatis novum, quod nemo nisi eo in choro dicere valet. [1] Habent igitur sancti organa sua in cælestibus, quibus dulcia canant carmina: habent psalteria et tympana: habent et tubas cum cymbalis, et sistris, in quibus personant Deo dignè laudes singuli in cordibus suis. Unde una virtutum harmonia Deo quotidie offertur cum iubilo in voce exultationis ac lætitiæ. Quæ omnia hodie musici generis cantica sonuerunt fragosè in cælis obviam Virgini, tanquam voces citharizantium. Fortè occurrit primùm ei virginum chorus, inter quas, ut reor, flos purpureus Tecla scilicet et Cæcilia, Agnes quoque atque Perpetua: deinde viduarum laudabilis numerus, ubi [2] vadit et Anna filia Phanuelis unà cum ceteris omnibus; Sara quoque mater nostra, Rebecca atque Rachel cum pronubis sanctis. Quid plura? cuncti greges universi ordinis hodie læti eam suscipiunt, *Hosanna* præcinentes sub dramate iubilationis ante Matrem summi regis, quæ verum fuit templum Dei vivi, et arca testamenti. Ante quam sanè arcam in figura Christi regem devotissimè nudum saltasse legimus, et post sex passus hostias immolasse. Quòd si David gloriam illius quæ evacuatur, tanto tulit honore, quoniam hæc rerum figuratarum gesta sunt; quanto magis arca Dei viventis, de qua natus est Christus, Dei virtus, et Dei sapientia, huc hodie cum laudibus effertur? Illa namque omnia umbra sunt futurorum; in Maria verò manifesta veritas, ante quam Christus rex sub-

(1) Hoc loco legitur in Feu-ard. tota illa periodus: *Dramaton enim genus est carminis, etc.* quæ habetur supra in principio huius sermonis: nos verò reiecimus, quoniam redundat hoc loco, nec in Amelian. reperitur.

(2) *Vadit* habet Amel. *vidit* Feu-ardent. fortè typographi erratum est.

Digitized by Google

subsiliendo pertransiit de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem: sicque Ecclesiam unà cum Matre reduxit ad superos, quoniam ipsa est Dei templum, et arca novi Testamenti, in qua verus Deus versatur: non in figura et ænigmate, sed in veritate pro salute omnium Deus homo immolatur. In cuius profectò sanguine Testamentum confirmatum est novum, quod testatus est cum Patribus nostris, et reconditum in utero Virginis, inde ad nos usque translatum. Quæ nimirum Virgo, acsi arca, hodie de captivitate huius sæculi Angelorum exequiis glorificata reducitur, non in Ierusalem quam decoxit vel evastavit Chaldæorum exercitus; sed in illam veram et cælestem, quam fundavit Deus et non homo, collocatur. Unde velim vos diligentiùs considerare, dilectissimi, cum quantis laudibus prosequi debeamus Dei genitricem, ad cæli palatium procedentem, quam hodie cælestis veneratur exercitus; cui comitantur legiones Angelicæ; in cuius adventu tripudiat ordo cælorum, et exultat sanctorum nu-
Lucæ 15. 7. merus: quia et si gaudium est in cælo super uno peccatore convertente in terris, multò magis gaudere credendum in cælo de adventu et gloria tantæ Virginis. Ideo et nos quæso gaudeamus in hymnis et canticis spiritualibus: iubilemus Deo cum exultatione, qui tantum dilexit nos, ut ipse fieret, (1) propter quòd nos sumus, homo. Ac deinde qui eramus fi- *Ephes.* 2. 3.
lii iræ omnes iuxta Apostolum, fecit filios Dei per gratiam, quod ipse est per naturam.

Quapropter obsecro, accedite ad tantam gratiam per fidem: indesinenter accedite, et videte visionem magnam cum Moyse, quam vidit in rubo. Videte, inquam, iam completum, et admiramini quod prævidebat ipse tantus Patriarcha in spiritu futurum. Alioquin nisi in spiritu videri non potest etiam res gesta; quia visio magna est, quam dignè prævidere et (2) annuntiare nemo potest. Un-
de Moyses ait; *Ibo, et pertransi-* *Exod.* 3. 3.
bo, et videbo (inquit) *visionem hanc magnam.* (3) Verè magnam; videbat enim quod arderet rubus silvestris, et non consumebatur: quod erat multùm mirabile. Sed longè mirabilius erat, quia Deus erat totus in rubo, et Angelus vocabatur. Erat quippe visio corporea valde mirabilis, sed longè mirabilius quod intelligebatur in spiritu: quia præsens totus erat in flamma, et quod per flammam futurum monstrabatur; ita ut nec flamma deficeret, nec rubus ignibus consumeretur innocuis. Quo nimirum incombusto manente, virginitatem beatæ Mariæ conservatam credimus corde, confitemur ore: quo-
niam Spiritus sanctus, quia Deus *Deuteron.* 4. 24.
ignis consumens est, totam inflammavit et incanduit, ita ut mater fieret Christi, et templum di-

(1) *Propter quem nos sumus*: Amelian. cod.

(2) *Admirari*: Amel.

(3) *Verè magnam*: supplevimus hæc verba ex nostro Ameliano, quæ sententiæ multam vim addunt.

Digitized by Google

divinæ maiestatis. Non enim præbebat calori iuncta materies rebus alimenta incendii, neque sentiebat frutex damna naturæ possessa flammis. Ita et beata virgo Maria, quamvis nemo qui Deum
Exod. 33. 20. videat, ipso teste, vivere possit; tamen totam deitatem in se suscipiens per Christum quem genuit, vixit intacta; feliciùs deinceps virgo et incorrupta permansit. Hæc erat visio magna, quam pertransiens Moyses in spiritu prævidebat: unde tremefactus non audebat accedere, quoniam ineffabile erat totum visu quod cernebat. Propterea et vos, Sanctimoniales Christi, nolite parvipendere visum intelligentiæ, ignem divinitatis, quem resplendere recolitis in Maria; quoniam ipse est Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Iacob, ut vox de rubo sonuit, qui natus est ex ea. Ergo pluris est res quam completam cernimus, et permanet in salutem, quàm figura quæ pertransiit ad tempus veritate exhibita. Hinc quoque beatum dicimus Moysem, (1) qui talia a longe et magna futura conspexit; sed beatior Maria, de qua ipsa visio fuit. De qua sanè visione Prophetarum eximius Habacuc tremens factus canit di-
Habac. 3. 2. cens: *Domine, audivi auditum tuum, et timui: consideravi opera tua, et expavi.* Expavit autem, tale aliquid ut vidit: expavit et Moyses, eo quòd incomprehensibile erat homini, quod utrique videbant. Paveamus ergo et nos, ne fortè pereffluamus a tanto mysterio redemptionis nostræ; et adeamus mente cum fiducia per interventum sacratissimæ Virginis usque ad thronum summi Pontificis, ubi pro nobis est hostia ipse, et sacerdos, advocatus, et iudex. Et quia minùs idonei sumus ad hoc, per ipsam rogemus Christum, cuius hodie festum colimus. Rogemus votis omnibus, imploremus precibus, ut ipsa pro nobis rogare dignetur apud eum, quem genuit; quia etsi non sumus tanti meriti ut Moyses, et Prophetæ, aut Apostoli, beati tamen qui Ioan. 20. 29.
non viderunt, et crediderunt. Credamus ergo et nos, (2) et laudemus quæ gesta sunt, visa, et credita, quoniam vera sunt, ut ad ea quæ repromissa sunt pertingere valeamus.

Sed quia laudare dignè nequimus beatam Virginem, quia inferior est eâ nostra laus, veneremur et amemus quantum possumus. Adoremus Deum Patrem, ut veri adoratores, ut Salvator ait, Ioan. 4. 23.
in spiritu et veritate: quia Deus Spiritus est, et qui adorant eum, oportet adorare in spiritu. Aliàs autem nisi in spiritu non adoratur, nec ei rectè servitur. Idcirco egredimini ex iis angustiis carnalibus: exuite vos veterem hominem, Colos. 3. 9. 10.
et induite novum qui secundùm Deum creatus est. Egredimini ex hac (3) dilectione carnali, ne sollicitudo præsentis vitæ ac volupta-

(1) Repræsentamus lectionem nostri Am. correctiorem multò Feu-ard. qui sic edidit: *Qui talia a longe et magna conspexit; sed beatior Mariæ ipsa visio.*

(2) Feu-ard. solum habet: *Et laudemus ut ad ea quæ repromissa sunt, pertingere valeamus.* Cætera supplevimus ex Amel.

(3) Pro *dilectione* habet Am. *delectatione.*

Digitized by Google

ptatis suffocet in vobis verbum vitæ, quod seminatum est in corde. Peregrinamini magis a
2. Cor. 5. 6. corpore, ut cum Deo adesse possitis: quoniam *qui in carne sunt,*
Rom. 8. 8. *Deo placere non possunt.* Vos autem, charissimæ, iam in carne non estis, quæ carnis opera in vobis mortificatis; sed in spiritu.
Ibi 14. *Quicumque ergo spiritu Dei aguntur, ii filii sunt Dei.*

Et ideo dilatamini vos, et erigite mentem ad sublimia, ut possitis comprehendere ea, in quibus Christus sponsus vester in dextera Patris sedet et glorificatur: quatinus ibi adoretis eum in throno, ubi est ipse; (1) quia iam extra mundum est, ubi in circuitu throni eius viginti quatuor senio-
Apoc. 4. 4. res sedere leguntur ante conspectum Dei in sedibus suis, et adorant Christum regem viventem in sæcula sæculorum, mittentes coronas suas ante pedes eius, quas ab ipso acceperunt, dicentes: Gratias tibi agimus, Domine Deus omnipotens, qui es, et qui eras, qui accepisti virtutem, et regnasti in sæcula sæculorum. Ergo ubi adorant hi, et quomodo adorant, quantum fas est mortalibus, etiam in præsentiarùm adorare eum oportet, quoniam Christus in Patre veritas est, veraxque Pater in Christo vero filio totus est, qui unus et verus Deus est, qui in Spiritu sancto adoratur: quia Deus Trinitas est, et ipse Deus
Act. 17. 24. Trinitas in templo suo, et non in manufactis hominum est. Templum autem Dei Ecclesia est, sicut Ioannes testatur in sua Apocalypsi: *Et apertum est,* inquit, Apoc. 11. 19.
templum Dei in cælo, et arca testamenti eius visa est. Quæ profectò arca non illa Moysi fabricata, sed beata virgo Maria est, quæ hinc iam transposita erat; quam beatus Ioannes Evangelista, testis veritatis, cui commissa est, fortè recognoscens venerabiliter affatur. Quia in cælo visa est, monstratur species in genere, sicuti et genus per speciem declaratur. Quoniam beata Maria in templo Dei visa est, scilicet in Ecclesia Dei; Ecclesia verò in eius virginitatis fructu penitùs Domino dedicatur: ac per hoc arca testamenti Dei, ipsa videlicet Dei genitrix, in templo eius non immeritò visa est, (2) quia Ecclesia et ipsa virgo est. Unde Apostolus: *Despondi* 2. Cor. 11. 2.
enim vos uni viro, inquit, *virginem castam exhibere Christo.* Et ideo, dilectissimæ, illuc mentem dirigite, ubi sponsus vester pro nobis introiit, et beata Virgo visa est: quoniam ibi eius festivitas rectè colitur, ubi Christus est sponsus, et æternæ vitæ gaudia celebrantur. Unde quæso, egredimini fide, moribus, mente, atque omni desiderio æternæ visionis, actibus et pollutum nolite tangere. Ascendite sursum per contemplationem, et per (3) conversationem bonæ vitæ, donec apertum est templum Dei in cælo; quatinus ingredi possitis, omnia ubi vobis repromissa bona servantur, et Virgo sancta cæle-

 sti

(1) Amel. cod. *qui.*
(2) *Quia arca et ipsa virgo est.* Amel.

(3) *Conversionem* pro *conversationem*: Feuard.

sti iam immortalitate vestitur. In cælestibus namque sint corda ve-
Matth. 6. 20. stra erecta, ubi est et thesaurus vester. Immo idem et thesaurus æternæ hæreditatis sit in corde vestro, quatinus quod est in cælo, in vobis sit per fidem. Co-
Apoc. 3. 11. ronam itaque vestram nemo accipiat alter, donec veniat spon-
Isai. 62. 3. sus: quin immò vos corona decoris esse possitis in manu Domini per gratiam eius, qui vos ad æterna vocavit gaudia, Iesus Christus, filius Virginis, dominus noster, qui cum æterno Patre unà cum Spiritu sancto vivit et regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

EIUSDEM SERMO II.

DE EADEM ASSUMPTIONE B. MARIÆ SECUNDUS.

Inter præcipuas sanctorum festivitates, charissimæ, hodierna nobis refulsit insignis et gloriosa genitricis Dei Mariæ solemnitas, in qua ipsa beata et venerabilis Virgo assumpta est gloriosissimè ad æthereum thalamum, in quo, ut canimus, rex regum, filius beatæ Mariæ virginis, stellato, immò ineffabili sedet solio. Ubi millia millium ministrant Angelorum iuxta
Dan. 7. 10. Danielis vaticinium, et decies centena assistunt millia: quorum cum laudibus et exequiis gloriosa Dei genitrix hodie de terra exaltata, et de carne evecta, cum triumpho et exultatione suscepta est in cælo, et collocata in paradiso. Hæc est namque sacra et venerabilis solemnitas, fratres, ante mundi constitutionem præscripta et præordinata; sed hodierna die exultanter est impleta. Nobis quidem, dilectissimi, hodierna est annua; sed Angelis in cælo et supernis civibus est continua et perpetua. Sed quia in præsentiarùm nobis continua esse non potest, debet tantò celebrior fieri præ omnibus sanctorum festis, quantò ineffabili utitur privilegio mater Domini Salvatoris, et donum possidet perpetuæ virginitatis. Quia et si impartit præmia iustus iudex, Christus Dominus, secundùm Apostolum unicuique iuxta opera sua; Rom. 2. 6.
huic tamen sacratissimæ Virgini genitrici suæ, sicut incomparabile est quod gessit, et ineffabile donum quod percepit, ita et inæstimabile atque incomprehensibile præmium et gloria, non dico inter cæteras sacras virgines, verumetiam ultra omnes sanctos, quam promeruit. Pervenit namque ad cæli palatium beata et gloriosa, ubi Christus sponsus Ecclesiæ infra thalamum collocavit eam in dextera maiestatis. Ibi siquidem eam assumpsit præcellentissimam inter primos, ubi iuxta David vocem stat regina in dextris Dei Psalm. 44. 10.
in vestitu deaurato, (1) circundata varietate. Hæc igitur dies est, in qua renata inter filias Ierusalem speciosa resplenduit: in qua gloriosa Dei genitrix quasi aurora processit, et vadit post agnum gloriosior quòcumque ille pergit.
Hæc namque est, ut dixi, fratres, festivitas hodierna præcipua et venerabilis nobis; sed venе-

(1) *Multiplici circundata varietate.* Amelian.

Digitized by Google

nerabilior in cælo est Angelis et sanctis omnibus, quorum lætitia et gaudium proculdubio ex huius adimpletur diei exultatione, quando beata Dei genitrix clarior sole refulsit in throno claritatis. Nam Christus, sicut legimus, in
Psalm. 18. 6. sole posuit tabernaculum suum: de quo ipse, ut ita loquar, tabernaculo processit tamquam sponsus de thalamo suo. De quo sanè tabernaculo, acsi ex voce geni-
Eccli. 24. 13. tricis Dei, dicitur: *Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Idcirco absque dubio, fratres charissimi, beata Virgo pro tanta gratia, tantique honoris privilegio materno hodie resedit sublimata in throno: quoniam etsi duodecim leguntur throni, in qui-
Matth. 19. 28. bus duodecim Apostolorum sessurus est numerus, quando iudex omnium, sacratissimæ huius Virginis filius, sedebit in sede maiestatis suæ cum senatoribus suis; non desunt tamen ibidem quàm plurimi alii, inter quos in conspectu Dei etiam viginti quatuor dicuntur residere seniores, et
Apoc. 4. 10. adorare ante thronum Dei viventem in sæcula sæculorum. Sed
Dan. 7. 9. et Daniel testatur, quod throni positi sint: nec eorum tamen explet numerum. Undè liquidò constat, dilectissimi, quia thronus beatissimæ Virginis, paratus ante mundi constitutionem, hodie celsior glorificatur, et (1) veneratur etiam ab Angelis: nec immeritò igitur, quoniam et ipsa facta est thronus Dei et thalamus, in cuius utero veniens sapientia Dei Patris, Verbum caro factum est, et habitabit in nobis. Ioan. 1. 14.
Quòd si anima iusti cuiuslibet sedes est sapientiæ, teste Scriptu- Sap. 7.
ra, multò magis huius anima, fratres charissimi, quam Spiritus sanctus sic (2) implevit, etiam ante conceptionis horam, ut salutaretur ab Angelo. Ait enim: *Ave* Luca 1. 28.
Maria, gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Ad quam ita mox ingressus filius Dei, qui est virtus et (3) sapientia Patris, sic replevit, sicque possedit, ut in ea Verbum caro fieret, et (4) habitaret totus Deus in homine. Et ideo totus in nobis, quia (5) totus Deus in ea fuit: ac per hoc, quem cæli et terra non capiunt, totum concepit Virgo de Spiritu sancto, et peperit pro salute mundi Deum et hominem.

Ideo dilectissimi, cogitate cum omni integritate fidei, cogitate, inquam, animam huius Virginis, quia commercium tanti muneris (6) non scire dignè nec cogitare possumus. Idcirco huius Virginis animam Dominum magnificantem Luca 1. 46.
glorificemus, quam hodie paradisus excepit gaudens, quam Angeli cum laudibus prosequuntur, quam Apostolorum chorus veneratur, quam Martyres candidati beatificant, quam sanctorum Confessorum stolatus concelebrat numerus, cui hodie sanctarum Virginum

(1) *Veneratur*: lectio Amel. pro qua habet Feu-ard. *invenitur*.
(2) *Replevit*: Amel.
(3) *Sapientia Dei Patris*: Idem.
(4) *Habitaret*: lectio Amel. cod. quæ consonat præcedenti verbo *fieret*: quare exclusimus Feu-ard. *habitavit*.
(5) *Totus Christus* habet Amel.
(6) *Non scire*: ex Amel. emendamus Feu-ard. qui edebat *non fide*.

Digitized by Google

num cum suis palmis victricibus exultanter occurrit exercitus. Quoniam hæc est anima illa beata, per quam auctor vitæ ingressus est mundum; per quam omnis maledictio soluta est priorum parentum, et cælestis benedictio in toto venit mundo. Hæc est Virgo, in cuius utero omnis Ecclesia subarratur, coniuncta Deo fœdere sempiterno creditur. Pro talibus et huiuscemodi Sacramentis veneranda est, fratres, hodierna festivitas, sic annua, ut semper nobis continua maneat et venerabilis in mente; quoniam post Christum, qui caput est et Deus totius Ecclesiæ, hæc Virgo gloriosa refulget, etiam super choros, ut cantatur, exaltata Angelicos: clarissima inter Virgines, candidior inter Martyres. Quia
Apoc. 7. 14. etsi illi martyrio coronati dealbarunt stolas suas, et candidas eas fecerunt in sanguine agni; nihilominus hæc beata et venerabilis Virgo candidior dignè prædicatur, eo quòd etsi corpora Martyrum pro Domino supplicia pertulerunt, nihilominus hæc admirabilis Virgo in anima passa, teste Domino, comprobatur. Ait enim Simeon, vel Dominus ad
Lucæ 2. 35. eam: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Quòdsi gladius usque ad animam pervenit, quando ad crucem stetit,
Ioan. 19. 25. fugientibus Apostolis, cum videret Dominum pendentem; etiam plusquam martyr fuit, quia in animo non minus amoris quàm mœroris est intùs gladio vulnerata. Parata enim stetit, si non deesset manus percussoris. Beata Dei genitrix iure plusquam [1] mater est; quæ nimio amore vulnerata testis extitit Salvatoris, [2] et pro mœrore in animo cruciatum sustinuit passionis.

Propterea igitur quia hæc virgo et mater [3] ineffabilibus est donis in præsentiarùm munerata, privilegiis sublimata divinis; credere oportet, quòd hodie omnimoda cælesti ita illustratur gloria, ut nullus in terris possit dignè laudibus venerari. [4] Unde quia quantum debemus eam honorare non possumus, implorandus est Spiritus sanctus, qui eam replevit et ornavit immensis largitatis suæ muneribus, implorandus etiam ipse unigenitus Deus, Dei filius, ut pro modulo infirmitatis nostræ suscipere dignetur laudes utcumque pro ipsa quas offerimus: quia nemo mortalium est, qui dignè possit huius sacratissimæ Virginis laudes dicere, neque possit mysteria quæ in illa completa sunt, verbis explicare. Tamen admodum [5] quantum colenda sit, ostendit Gabriel Archangelus ad eam missus venerabiliter, dum eam prior salutat ex officio debitæ venerationis, et collaudat gratiâ plenam, quam benedictam prædicat inter omnes *Lucæ 1. 26.*

mu-

(1) Feu-ard. edidit: *Plusquam martyr mater est.* Sed nos vocem *martyr* reiecimus, quoniam in Amel. non legitur.

(2) Amel. *et per mœrorem in anima cruciatum sustinuit passionis.*

(3) *Ineffabilibus est donis in præsentiarum munerata*: edimus ad Amel. cod. nam lectio Feu-ard. *ineffabilis est* non cohæret.

(4) Sequimur Amel. ex quo verba aliqua supplevimus; ita enim Feu-ard. *Unde quantum debemus, quia non possumus.*

(5) *Quantum colenda sit*: deest *sit* in Feu-ard. et habet Amel.

Digitized by Google

mulieres, moxque matrem affuturam Domini [1] indicat. Alioquin, charissimi, nisi esset non tantùm ultra mulieres, verumetiam meritis ultra homines, tantus Archangelus non tantam ei exhiberet salutationis gratiam, nec tales tantasque inferret laudes. Quòd si adhuc in carne mortali, [2] etiam ante completa mysterii sacramenta, Archangelus Dei tantam et exhibuit reverentiam, et attulit laudis præconia; quid putatis, charissimi, hodie in cælo quantas deferunt laudes, et glorificant filium Dei, qui natus est ex ea? Hæc est namque, dilectissimi, Maria virgo, [3] ob cuius se naturam Christus quàm sæpe filium hominis testatur ex Evangelio, ubi ait: *Filius hominis venturus est in regno Patris sui.* (Matth. 16. 27.) Necnon et cùm diceret beato Petro unà cum cæteris: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* (Ibid. 13.) [4] ac demum ab eis quæreret: *Vos autem quem me esse dicitis?* (Ibid. 16.) ait Petrus pro omnibus: *Tu es Christus, filius Dei vivi:* non quòd eum negaret filium beatissimæ Virginis Mariæ, quod ait Christus; sed ut demonstraret unum eumdemque filium hominis esse filium Dei: quam fidem tam in Petro quàm in cæteris Apostolis requirebat Dominus. Et ideo, charissimi, veneremur sicut matrem Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi: prædicemus acsi matrem Domini, et perpetuam virginem, quæ hodie pervenit ad thalamum æterni regis, ad easdem nuptias, quæ in utero [5] eius sunt dedicatæ, et pro quibus arras accepit sponsa Christi in dotis titulo, et pignus hæreditatis æternæ, Spiritum sanctum. (Ephes. 1. 14.)

Sed qui minùs idonei sumus de tantis dignè loqui aut cogitare mysteriis, redeamus ad ipsius verba beatæ Virginis, ad ipsius rudimenta virtutum, quatinus ex eius tirocinio humilitatis meliùs [6] disserere valeamus, cur demum ad tantæ pervenerit celsitudinem claritatis. Ait enim inter cætera: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* (Luc. 1. 48.) Hinc quæso, fratres mei, audite [7] matrem Prophetissam Dei: Prophetissam dico, immo ut ita dicam, Evangelistam. Audite quæso, virgines, audiat omnis feminarum ordo humilitatem tantæ Virginis; et nolite credere, si non iam completa sunt omnia, quæcumque prædixit per eam, qui ipsam repleverat Spiritus veritatis. *Ecce enim*, inquit, *ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Ergo quando hæc sancta

(1) *Indicat* desideratur in Feu-ard.

(2) *Etiam completis mysterii sacramentis*: ita Feu-ard. malè, et contra sententiæ veritatem; et prosequitur: *Archangelus Dei exhibuit reverentiam.* Nos repræsentamus lectionem Amel. cod. veriorem, et pleniorem absdubio.

(3) Non minus corrupta est hoc loco Feu-ard. lectio, quæ erat hùiusmodi: *de cuius se natum Christus quàm sæpe &c.* Lectio Amel. cod. plana est, si illud *se* post *Christus* legatur.

(4) Recedimus in his locis a Feu-ard. qui habebat hic: *Ac deinde refert.*

(5) *Eius* supplevimus ex Amel.

(6) Feu-ard. *melius edicere videamur, cur de imis ad tantam pervenerit magnitudinem claritatis.* Verum huic lectioni prætulimus Amelianam.

(7) Loco *matrem* legit Amel. *mecum.*

Digitized by Google

cta et venerabilis Virgo dicebat, nescio, fratres, vel si paucis in eadem gente Iudæorum nota fuisset; loquebatur tamen cum fide, et prædicabat quæ futura noverat. Dicebat autem humilis et ancilla, [1] quæ se beatam noverat: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Quapropter quæso, respicite terras quascumque sol suo illustrat lumine, et videte, quoniam nulla iam penè est natio, nullaque gens, quæ Christum non credat: et ubicumque Christus colitur et adoratur, venerabilis Dei genitrix Maria, beata et felix, necnon et virgo perpetua prædicatur. Et ideo, fratres, parum est ab uno vel a paucis dici, quod ab omnibus ubique prædicatur et creditur. Hoc itaque est, dilectissimi, quod dico, quia creditur. Et ecce per orbem terrarum ubique in omni gente, et in omni lingua beata Maria virgo pronuntiatur, et quot sunt homines, tot habet testes. Verum siquidem dixerim, quia creditur, dum prædicatur. Prædicatur autem, quia verè beata creditur esse apud Deum: et nunc fiducialiùs ubique pronuntiatur, quia verè et fideliter beata creditur.

Tamen quod prædictum est, in omnibus adimpletur; quia in terris beata et gloriosa dicitur, in cælis verò ab omnibus sanctis conspicua collaudatur et præclara. Inde enim, charissimi, hæc festivitas gloriosa, unde illa sublimatur, et beata etiam ab Angelis veneratur. *Quia respexit,* (Luc. 1. 48.) inquit, *humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* [2] Mira et omni devotione plena vox, qua dicitur: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Non enim ait: Quia respexit virginitatem meam, aut innocentiam, aut aliam quarumlibet virtutum gratiam; sed solam humilitatem suam respexisse Dominum humiliter fatetur. Mira itaque disciplina virtutis, et admirabilis philosophia. Siquidem mira et circunspecta professio Virginis, ut et veritas panderetur in sermone, et in nullo offenderetur divina virtus, quæ magnificabatur in professione. Unde cùm audisset omnia quæ ab Angelo ei deferebantur incomprehensibilia, et credidisset inaudita, necnon etiam et quæ ab Elisabeth dicebantur credita: *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum; et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* (Ubi suprà.) Deinde intulit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Verumtamen in nullo de se præsumpsit, in nullo aliquid de se altum sapit; sed tota in Deo exultat, totusque spiritus eius in Deo gaudet, et tota eius anima Dominum magnificat et collaudat. Nihil sibi attribuit meritorum, nihil sibi de se adplaudit; sed solummodo ea quæ Dei sunt requirit et sapit. Idcirco in illo tota exultat, tota gaudet et lætatur: solam sibi vendicat humilitatem ancillæ, quæ ma-

(1) Amel. *quòd se beatam dicerent omnes generationes.*

(2) Feu-ardent. *Mira etenim devotione.*

Digitized by Google

mater veneratur ab Angelo Salvatoris. Nec tamen eamdem humilitatem a se [1] aliquid esse dixit, sed quia Altissimus eam respexit, et acceptam sibi fecit, *ideo*, inquit, *beatam me dicent omnes generationes*. O mira confessio, et mira humilitas! Confitetur humilitatem, quam solam in se respexisse dicit, qui cuncta respicit, et continuò prædicatur beatitudo ipsius, de qua hodie totus testis est mundus. Quæ beata etiam et cum Christo in æternum regnare creditur, quia completa sunt, quæ prædixit. Scriptum quippe est: *Omnis qui se humiliat, exaltabitur.* Exaltata est autem sancta Dei genitrix, non solùm quia humilis inventa est, verùmetiam ineffabiliter gratiâ repleta est. Quam deprecantes veneramur, et venerantes deprecamur; ut ipsa pro nobis intercedere dignetur apud Dominum nostrum, Dei filium, quem de se genuit incarnatum, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Luc.14.11.et 18.14.

EIUSDEM SERMO III.

DE EADEM ASSUMPTIONE B. MARIÆ TERTIUS.

Adest nobis, dilectissimi fratres, hodierna festivitas beatæ Mariæ virginis gloriosa, plena gaudiis et immensis de ascensu eius repleta muneribus. [2] Illustris quidem pro meritis; sed illustrior valde pro gratia qua illustratur, non tantum beata ipsa virgo, verùmetiam per eam omnis Christi Ecclesia. Nec enim gratiam ex meritis gloriosa virginitas promeruit; sed præmia meritorum ex gratia percepit. Et ideo celebritas hodierna inde gloriosior est ceterorum sanctorum natalitiis, quò illustratur beata Virgo et mater Domini ineffabilibus divinorum sacramentorum privilegiis; quia inde creverunt merita, unde plenissimè referta est gratiâ. Et ideo apud Dominum quanta pensanda sint eius merita, vel cogitanda præmia, puto quòd nemo est qui ad purum edisserat, nisi qui potest verè perpendere, qualis vel quanta sit ista gratia, qua repletur ipsa, per quam venit in mundum Dei maiestas. Idcirco, fratres mei, veneranda est hæc solemnitas cum omni devotionis obsequio, et venerandum quod canitur etiam super choros exaltata Angelorum. Nam nulli hominum unquam concessum est tanti uti privilegio muneris, etiam [3] nec Angelo, ut una persona esset in Trinitate, quam de substantia sua genuerit, et esset Deus.

Ideo quæso, sileat insipientia carnis, et celebretur dignè cum laudibus festivitas matris domini et Salvatoris nostri, tanto honore dignissima, quantum est veneranda ex gratia, quia eius honor et gloria, laus et gratiarum actio est Redemptoris. Hodie quippe vocata

Yy pro-

(1) *Aliquam esse dixit*: Amel.
(2) Sequimur Amel. cod. nam Feu-ard. ita edidit: *Illustri siquidem de meritis.*

(3) *Nec* desideratur in Feu-ard. qui paulo infra pro *genuerit*, quod edimus ex Am. habet *genuit*.

Digitized by Google

processit, et immarcessibilem de manu Domini cum palma virginitatis percepit coronam. Hodie in throno regni suscepta est, et resedit. Hodie thalamum intravit, quia simul virgo et sponsa fuit. Hodie siquidem audivit illam vocem blandientis a sede maiestatis, qua dicitur: *Veni electa mea, et ponam te super thronum meum, quia concupivit rex speciem tuam.* Ad quam sanè vocem credimus, quòd gaudens et exultans soluta est beata illa anima, ac perrexit ad Dominum, ubi facta est ipsa thronus, quæ fuerat in carne templum divinitatis. Tantò speciosior præ cunctis et sublimior, quantò et gratia gloriosior refulsit. Hæc igitur divina est recompensatio, fratres, de
Luc. 14. 11. et 18. 14. qua dicitur: *Omnis qui se humiliat exaltabitur.* (1) Fundata enim erat profunda humilitate, et dilatata in charitate, propterea hodie tam sublimiter est exaltata.

Sed quia celsitudinem et magnificentiam throni perscrutari non possumus, saltem thesauros eius humilitatis interdum perscrutemur, ut deinceps eius intervenientibus meritis ad gloriam donorum pertingere valeamus. Nam humilitas custos reliquarum virtutum est: et ideo venerabilis Virgo, quia virtutes multas sibi aggregaverat, custodem earum humilitatem in animo ferebat. Quam post perceptam gratiam ampliavit, et confessa est, se esse ancillam, quæ mater erat creatoris. Nihil nobilius, fratres, Dei matre invenitur, quæ se profitetur ancillam: nihil splendidius, quam splendor elegit gloriæ. Noverat enim beata Virgo, quia humilitas Deo semper placet; et ideo ex nuntio cùm salutatur, nihil altum de se sapit, nihil præsumit, sed tota humilis ad Deum intendit, cui totum deputat quod est, et quod audit. Quapropter et nos discamus Deo deferre, discamus de nobis humilia sentìre semper in omnibus. Discamus humiliari, quia auctor vitæ ideo ad nos cùm esset altissimus, humilis venit, ut nos humilitatem de se doceret magister veritatis. Quia si quis sine humilitate virtutes congregat, quasi qui in vento pulverem portat. Unde ait ipse
in Evangelio: *Discite a me,* Matth. 11. 29.
quia mitis sum et humilis corde. Nec sine causa igitur præcipuè mortales et fragiles humilitatem discere iubet, qui etiam in cælis, ubi immortalis regnat inter Angelos, humilia requirit. Unde Da-
vit Propheta ait: *Quis sicut Do-* Psalm. 112. 6.
minus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cælo et in terra?

Quòd si ab ipsis Angelis in cælo mansuetudo exigitur, quid putatis hîc, fratres, ubi superbia regnat, ut humiliemur quantum necesse est nobis? Hinc
quoque dictum legimus: *Quan-* Eccli. 3. 20.
tò magnus es, humilia te in
omnibus? quoniam *humilem* Proverb. 29. 23.
spiritu, sicut Salomon ait, *suscipiet gloria.* Hoc quippe noverat beata Dei genitrix, fratres,

(1) *Fundata enim erat, et profundata humilitate*: ita cod. Amelianus, sed melius ut edimus ex Feu-ardentio.

Digitized by Google

Isaiæ 66. 2. tres mei, quòd ad humilem, et quietum, et trementem sermones suos, respiciat divina dignatio. Idcirco continuò ait ad Angelum: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Non enim superbit, sed crescit ex dono devotionis obsequium humilitatis: privilegium augetur in omnibus, sed in nullo subripit arrogantia: quoniam non intumescit ad vanam gloriam, quæ beatam se prædicat mox futuram propter humilitatis indulgentiam. Ideo non discurrit quia humilis; nam quantum mansuetus est quisque qui iussis obtemperat divinis, tantum immitis qui aut non credit, aut differt obedire quod audit. Iam humiliat se beata Virgo in cunctis, ut totam suscipiat in se gratiam largitoris; quia quod per partes aliis datum est, tota simul venit in ea gratiæ plenitudo. Hinc quoque ait Evangelista: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.* Magna siquidem gratia, dilectissimi, beatæ Mariæ Virginis magna promeruit præmia æternæ remunerationis: quia multùm se humiliavit inter immensa dona, inter divinitatis commercia, hodie a Domino multum exaltatur gloriosa.

Luce 1. 38.

Ioan. 1. 6.

Denique ideo Christus humilis ad humilem virginem venit, quam elegit, ut de tam profunda humilitate triumphum erigeret salutis, et exaltaret eam, ut cantavimus, etiam super choros Angelicos. Quæ nimirum exaltatio privilegium est gratiæ. Unde cum timore et tremore perfectæ dilectionis recolenda sunt hæc mystica donorum sacramenta; sicque ex his compensanda est huius celebritatis gratia. Quapropter æstimate, fratres, qua reverentia, quo devotionis obsequio nos tantis interesse deceat sacramentis. Cui Angelus ipse non sine metu sancto, nec sine honore debito impendit reverentiam evangelizandi. Sentiebat enim Angelus in beata Virgine iam specialiter Dominum inesse, et futura noverat divini mysterii sacramenta. Ideo tam reverenter ait: *Ave gratia plena.* Luc. 1.
Deinde attendite quàm eximium sit mox quod infert: *Dominus tecum.* Non enim dixit, Dominus sit tecum, quasi visitandi gratiâ; sed Dominus tecum, quia in te novo nascendi inlabitur sacramento. Sicque totus vadens in salutationem propter maledictionem priorum parentum, magnum detegit benedictionis oraculum. *Benedicta tu*, inquit, *inter omnes mulieres.* Quomodo igitur nunc benedicta, charissimi? Ecce de auditu gratia adimpletur, de auditu fides genita, contra fidem credidit. De conceptu deferre honorem cognatis didicit: de ortu filii pudor crevit. Aucta est castitas, integritas roborata, virginitas quoque solidata, omnes perseveraverunt virtutes. Extremuit omnia, quæ et prima mirabilis eius refulsit humilitas.

Quæ cum omnia ab Angelo didicisset, et repleta donis cælestibus fuisset, ait: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*: quam vocem mox secutus est effectus.

Fit itaque gravida mox beata Virgo, quæ hodie assumpta est in cælis cum gaudio: fitque sacrarium Spiritus sancti, et consilium Verbi. Quæ ideo beata iure dicitur inter omnes mulieres, quia omnes ex ea beatificantur. Collata quippe est gratia et beatitudo in specie, ut diffunderetur in omne genus Ecclesiæ. Unde nec immeritò beata et venerabilis hodie præcellit in genere totius corporis, quæ ultra omnes fœcundata est in specie prolis. Interea iure antefertur in cælestibus, quæ ita ditata est ac repleta præ omnibus in terris divinis muneribus. Quapropter festivitas hodierna celebritas est omnium supernorum civium gratissima, quia eius est assumptio de corpore, ex qua orta est veritas et iustitia, quæ de cælo prospexit, in qua omnes Psalm. 84. iustificamur, et exultant sancti in gloria.

Hinc, fratres, quæso, iunga- Psalm. 149. mus vota cum supernis civibus, et iuxta modulum infirmitatis nostræ exæquamur laudibus, quoniam quod natum est ex ea, commune est omnium gaudium. Illi siquidem hodie occurrunt lætantes, et suscipiunt eam gaudentes cum hymnis et laudibus: nos prosequamur cum omni devotione cordis, et integritate fidei. Sicque prosequamur, ut ad illa ineffabilia dona, quæ percepit beata Dei genitrix, quandoque pertingere valeamus. Fortè igitur hodie interrogaverunt quidam sanctorum eminus prospicientes, illud de Canticis: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus mirrhæ et thuris?* Quoniam in ascensu eius multa flagrabant ornamenta virtutum, incendio divini concremata amoris. Quæ ideo quasi virgula fumi, quia ipsa est virga illa de radice Iesse, quæ Isai. 11. hodie ascendit. Gracilis quidem et delicata ex aromatibus universi pigmentarii pulveris, sed conflagrata incendio caritatis. Et ideo benè in modum fumi virgulæ ex aromatibus, quia facta est tota in holocaustum Dei, quæ odoramenta virtutum spargebat de se usque ad cælos; et non qualiacumque, sed universi pulveris pigmentarii. Unde fratres, admiratio illa Angelica non de virginitate sola, quæ fuit singularis in Maria, sed de immensitate gratiæ venit; quia universæ virtutes in ea respergebant ex incendio divini amoris suavitatem odoris, ita ut in ea esset forma, non solum virginum, verùm etiam omnium Ecclesiarum Dei. Quoniam virginitas et vita beatæ Mariæ speculum et species fuit totius castitatis, et integritas virtutum, decus pudicitiæ, et magisterium valde eximium probitatis. In qua rogo, videant virgines quid vitare, quid corrigere, quid tenere debeant honestatis; quia primus discendi amor, S. Ambr. lib. de Virg. ut ita fatear, nobilitas est magistri. Habetis ergo, virgines, egregii magisterii formam: habetis exemplar in ea perfectæ virginitatis. Ecce via, qua pergere debetis: ecce beatitudo et gloria, ad quam pervenire vultis. Illuc indesinenter votis et desiderio anhelare oportet, ut ad ea quandoque feliciter perveniatis.

Ve-

Digitized by Google

Verùm quia de propagine carnis nulla nobilior Dei matre refulsit, nulla splendidior ea processit, quam splendor paternæ gloriæ ineffabiliter divinitùs illustravit; quam virtus Altissimi obumbravit, ut virgo pareret; quam divina gratia replevit, ut virgo conciperet; quam sapientia Dei Patris præ omnibus elegit, ut placeret; quæ corpus Christi sine contagione sui corporis generavit; quæ omnes virgultos in odorem suavitatis ardore caritatis Domino concremavit, ut tota holocaustum Deo fieret. Cuius caro et sanguis origo fuit benignissimi Salvatoris, cuius anima templum extitit in quo factum commercium nostræ redemptionis est. Bona siquidem domus, carissimi, in qua tota simul divinitas inlabitur Verbi, in qua sapientia Dei Patris septem sibi columnas erexit, super quam omnis innititur domus, et fabricatur Ecclesia. Quid dicam, fratres mei, quidve loquar de iis rebus mysticis, in quibus omnis humanus sermo silendo et admirando, potiusquam loquendo crescit, pro quibus Angeli gratulantur et decantant: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis?* (Lucæ 1.) Quòd si tunc ad partum Virginis talia cantarunt, credimus, dilectissimi, quòd hodie dignas concelebrant exsequias, et suscipiunt cum gloria matrem sui creatoris gaudentes, quam Spiritus sanctus adimplevit, quam sapientia Patris, scilicet Filius Dei, possedit.

Unde et nos gratias agamus creatori nostro, quia donorum eius privilegia nostra sunt munera, nostraque conspersio; quoniam fermentum quod conspersum est in specie, redundavit in genere, *donec fermentaretur totum. Et factùm est unum corpus, unaque conspersio nova; Christus et Ecclesia.* (Lucæ 13.) Unde necesse est, carissimi, festivitas quæ per fidem flagrat in mente, ut habeatur et contempletur ab omnibus in specie; sitque in nostris oculis gloriosa, quæ nunc tantum in cordibus resplendet credita. Tunc quippe illa nobis erit festivitas continua et sempiterna, quæ nunc est in mente hodierna et diurna: ita ut sit illa iure quæ nunc flagrat in fide, anhelat in spe, ut permaneamus; pulsat in caritate, ut ingrediamur ad eam festivitatem in qua est beata et gloriosa Dei genitrix regina hodierna die assumpta per Iesum Christum Dominum nostrum, qui cum Deo Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

EIUSDEM SERMO IV.

DE ASSUMPTIONE B. MARIÆ QUARTUS.

Fratres dilectissimi, cùm aliquid pro amore creatoris in creatura eius dignis laudibus prædicatur, aut excolitur, ad Dei proculdubio laudem refertur, qui auctor ipsius creaturarum operis invenitur. Sicuti et in quodam laudabili ac mirabili artificio, quicquid in eo magis laudibus celebratur, ad laudem artificis iure colligitur. Hinc quoque in Propheta scriptum est: *Laudate Do-*

Digitized by Google

Dominum, inquit, *in sanctis eius*. Unde in primis, dilectissimi, gratiæ vestræ dignitatem humiliter imploro, ut veniam detis præsumptioni vel imperfectioni meæ, qui cùm sim tardus ingenio, indoctus eloquio, tamen ex amore eius, quod in assumptione sanctæ Dei genitricis ac semper virginis Mariæ matris Domini legitur, more infantium balbutientium susurrare conatus sum, qui se sponte ad hoc ingerunt, quod dignè explere nequeunt. Sed ab omnipotente Domino non tam effectus, quàm voluntas requiritur, secundùm quod scriptum
Luc. 1. est: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*.

Est igitur sancta et venerabilis virgo Maria, mater Domini nostri Iesu Christi secundùm carnem, ex semine Abrahæ orta ex tribu Iuda, virga de radice Iesse, clara ex stirpe David, filia Ierusalem, stella maris, ancilla Dei, regina gentium, domina regum, sponsa Domini, mater Christi, conditoris templum, Spiritus sancti sacrarium, velut columba speciosa, pulchra ut lu-
Cant. 4. na, electa ut sol, signaculum fidei, reparatio Evæ, introitus vitæ, ianua cæli, decus mulierum, caput virginum, hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium. Multiplicatur ut ce-
Psalm. 51. drus Libani, florens ut palma, velut oliva fructifera in domo Dei. Virgo sancta, virgo prudens, et una ex numero prudentium virginum. Virgo pulcherrima, virgo pudica, corpore decora, animo fulgida, fide perspicua, mente præclara, amore virginitatis devota, ad obediendum parata, ministerio sibi credito cauta, in persecutione pacifica, in passione Christi mente compassa est. A Prophetis Dei prædicta, a Philosophis sanctis præfata, ab Archangelo salutata, a Spiritu sancto fœcundata, atque ab eodem obumbrata, seminis viri ignara, prole filii fœcunda: virgo innupta, ex filio læta, fide concipiens, gaudio pariens: virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum. Quem mundus totus non capit, in suo sacro alvo hæc Virgo inclusit. Qui mundum pugillo continet, eum beatissima Virgo pannis involvit: et qui præsentia maiestatis suæ in cælis Angelos pascit, Virgo hunc sacra sacrato ubere matris aluit lacte. Et insuper ad cuius arbitrium totus orbis terrarum regitur, huius gloriosæ Virginis uberibus conditor mundi infans nutritur. Et sub cuius defensione proteguntur regna terrarum, cum ipso virgo Maria fugit in Ægyptum. Et qui totum mundum quasi in statera suspensum tenet, in cruce confixum virgo Maria cernens aspexit. Qui præsentia maiestatis e cælis numquam defuit, ascendentem etiam in cælum oculis propriis contemplata esse virgo Maria creditur.

O beatissima et sanctissima omnium feminarum Maria! quàm feliciter in terris remanes, quæ filium tuum, immò et Dominum redemptoremque nostrum Iesum Christum in cælos præmittis! Immò enim tu multò beatiùs et feliciùs cælos penetrans, quia filium tuum

Digitized by Google

tuum in sua gloria sedere ad dexteram Patris non ignoras. O beatissima et gloriosa celebratio noctis huius! in qua virgo venerabilis Maria cum laudibus cælestis militiæ poli aulam cum ineffabili triumpho excipitur; ex cuius carne Dominus Iesus Verbum caro efficitur; quam ad immortalitatis gloriam transmutatam, ac super Angelos elevatam nullus fidelium ambigit.

O dilectissimi! si permitteretur scire nobis, quod tamen quia nec mens humana corde concipit, nec ore promit, quantus famulatus animarum sanctarum, quæ reverentia gaudens sanctorum Angelorum spirituum in adventum animæ beatæ Mariæ supernis sedibus impenditur, atque excolitur, cuius filium Dominum nostrum Iesum Christum super se elevatum, gaudentes cernunt, cernentes inhærent, inhærendo immortali immortaliter vivunt! Agitè ergo nunc gaudentes quod agitis, celebrate solemniter quod celebratis, et a cordibus vestris pigritiam mali corporis excludite. Quo excluso animos vestros flamma sancti amoris accendite, voci cantilenæ sensum accommodate, sapienter psallite. Et inter hæc, ut inserar precibus vestris apud intercessionem beatæ Mariæ, quam summo cordis desiderio amantes colitis, veniam mihi obsecro, impetretis. Et quia illa mater meruit effici creatoris nostri, nos mereamur habere illam apud filium suum, immò et Dominum suum, redemptoremque nostrum intervenientem et in omnibus auxiliatricem. Et quia illa meruit virtute Altissimi obumbrari, nos mereamur eius precibus adiuvari, ipso adiuvante, qui vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

EIUSDEM SERMO V.

DE ASSUMPTIONE B. MARIÆ QUINTUS.

In illo tempore. Intravit Iesus in quoddam castellum, et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam: et reliqua. *Luc. 10.*

Hom. Ildeph. de eadem lectione.

Congruè satis et convenienter videtur a Patribus fuisse sancitum, ut in memoria Dei genitricis recitetur evangelica lectio, quæ narrat illas duas mente et carne sorores Dominum Iesum excepisse hospitio. Cui enim illa venienti in mundum templum præparavit in virtute sacratum, et perpetuæ virginitati dedicatum, huic istæ, ut Evangelium loquitur, temporalis habitationis præparaverunt hospitium, et piæ humanitatis, ac sincerissimæ caritatis præbuerunt obsequium. Harum enim vita et actus ita fuerunt mirabiles, et fidelium recordatione celebres, ut duarum vitarum figuram eas rectè tenere asserant divinarum litterarum catholici et doctissimi viri. Martha igitur, quæ curam domûs gerebat, et tanto talique hospiti ea quæ necessaria erant, præparabat, activæ vitæ figuram, ut diximus, præferebat. Per Mariam verò, quæ ad pedes Domini se-

sedens instantissimè sermonis eius audiebat colloquia, vita perspicuè præmonstratur contemplativa.

Eia, fratres charissimi, videamus, si Domina nostra, immo Domini nostri et Dei genitrix et semper virgo Maria utramque vitam ad plenum exercuit, et activam laudabilem, quam opere Martha excoluit, et contemplativam optimam, quam Maria audiendo et eligendo obtinuit. Sanè sicut dilectum domini Ioannem [1] Theologum, de humanis, et corporalibus actibus Domini Iesu pauca dixisse, et multa de natura divinitatis eius, potentia, et maiestate dixisse et scripsisse, teste sacratissima serie descriptionis eius, cognoscimus; ita Domini genitricem non adeo fuisse credimus intentam activæ conversationi, quoniam se totam contulit divinæ speculationi. Non enim ad activam, ultra quàm matrem Domini decuit, se contraxit; sed toto mentis affectu et desiderio ad vitam se contemplativam erexit. Et ne ex toto esset vitæ exors activæ; postquam electa est a Domino, salutata ab Angelo, obumbrata a Spiritu Sancto, fœcundata Dei verbo, exurgens de loco, per iter devium et abrupta montium veniens ut deferret amicis actualis vitæ laboriosum officium, Zachariæ vatis ingreditur domum, Elisabeth salutans cognovit in spiritu in sinum eius nobile pignus depositum; et in iis paucis, ut diximus, Marthæ complevit actum. Si Martha felix quæ activæ vitæ præferebat figuram, quanto magis istæ sanctissimæ, de quibus loquimur, personæ extiterunt felices, quæ tantorum gaudiorum et munerum meruerunt fieri compotes? Quæ maior potest esse felicitas, quàm in matre Domini, et ut ita dicam, in aula regali, in [2] aula virginali fœcunditas regnet et virginitas? quàm cùm infœcunda et vetusta generat, et parit sterilitas? et cùm ætas senectutis et antiquitatis nomen promeruit novæ paternitatis? Et ut beatus Hieronymus iocundo sermone prosequitur, Ioannes etiam ad introitum Mariæ exultavit et lusit, et per os Virginis audiebat verba [3] Domini, et de utero matris gestiebat in occursum eius erumpere. Quomodo, quantum, et qualiter officiis et obsequiis speculativæ vitæ cum altera Maria se subdidit, Gabriëlis Archangeli profiteatur assertio, sermonis Evangelici prosequatur oratio, quia ad hæc narranda nostræ parvitatis deficit sermo. Unum profecto scimus: quia omnis eius vita et actio [4] intenta fuit sermoni Dominico. Et sicut de altera Maria dictum est: ista optimam partem elegit, quia *Luc. 10.* prima omnium feminarum Deo virginitatem obtulit, et idcirco promeruit, ut Dei filius Angelo nuntiante ex ea corpus nostræ redemptionis susciperet. Diximus enim eam semper intentam fuisse speculationi divinæ; sed oportet

Luc. 1.

(1) Amel. *Evangelistam.*
(2) Amel. *in alvo virginali.*
(3) Amel. *Domini pertonantis.*
(4) Idem: *intenta fuit semper in Domino.*

Digitized by Google

tet nos hoc ipsum catholicis verbis astruere.

Ut enim humano usu loquamur, ubi erat corpore quando Angelus a Deo mittebatur ad eam? utique in domo parentum. Ubi spiritu? verùm ut diximus, in illo divinæ speculationis intuitu. Quid agebat? sine præiudicio alicuius inreprehensibiliter vivens, ut suæ professionis proprium erat, orabat, legebat. Quomodo orabat? canticum quod cecinit tympanisans, et exclamans. Quid legebat? forsitan occurrebant ei divinæ Scripturæ testimonia ad illud ineffabile sacramentum, quod in ea gerebatur, sine dubio pertinentia. Nonne in pignore quod gerebat, illud impleri posse credebat Mosaycum: *Prophetam*, inquit, *suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tamquam me ipsum audietis?* (Deut. 18. 15.) Et multas alias in aperto cernebat Prophetarum sententias, per quas tanti sacramenti atque mysterii præmonstrabatur, et ad liquidum declarabatur veritas. Nonne ad hoc pertinere videbatur illud Iacobi Patriarchæ testimonium dicentis: *Non auferetur sceptrum de Iuda, et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est: et ipse erit expectatio gentium?* (Genes. 49. 10.) Quid manifestius, quàm quod ille fatebatur Balaam ariolus, et [1] falsiloquus, Dei nutu veridicus? *Orietur*, inquit, *stella ex Iacob, et exurget homo de Israel.* (Num. 24. 17.) Sciebat enim Dei genitrix in arcem divinæ contemplationis assumpta, Davidicis edocta testimoniis, processurum de se Dominum tamquam de thalamo suo sponsum; (Psalm. 18. 6.) et ipsum speciosum, ut idem Propheta præcinit, præ filiis hominum. (Psalm. 44. 3.) Non enim dubitabat ad se pertinere, Spiritus sancti illustrata lumine, quod Isaiam Prophetam recolebat dixisse: *Ecce virgo concipiet et pariet filium. Et egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.* (Isai. 7. 14. et 11. 1.) Quid apertius? quid iocundius? Et virginem parituram, et virgam de radice Iesse processuram, nobilissimus Prophetarum pronuntiat.

Placuit igitur inserere huic nostræ declamatiunculæ sententiam Psalmi octogesimisexti, quem ad memoriam Dei genitricis et mysterium Dominicæ incarnationis et nativitatis beatus Ambrosius, vir per cuncta laudabilis, et verus assertor fidei catholicæ, adeo festivè voluit exponere. Et idcirco, ut dixi, sententiam tanti Pontificis pauperculo nostro operi apponere volui, ut quod dignè non potuit prosequi ingenioli nostri paupertas, sententiæ tanti Pontificis nobilitet et commendet auctoritas. Ait enim secundùm antiquam interpretationem iam dictus doctissimus doctor: (Ambrosius oratione funebri *de excessu fratris sui Satyri.*) Mater Sion dicet, homo, et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus. (Psalm. 86. 5.) Matrem autem secundùm divinitatem habere non potuit, quia auctor est matris. Ille homo factus est, non divina generatione, sed humana: [2] quique homo factus est, Deus homo natus est.

(1) Amel. *ex se falsiloquus.*

(2) *Quia qui*: Amel.

Isai. 9.6. Sed et alibi habes: *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis.* In puero enim nomen ætatis : in filio est plenitudo divinitatis. Factus est ex matre, natus est ex patre : idem tamen et natus et datus : non divisum, sed unum putes. [1] Unus enim Dei filius et natus ex Patre, et ortus ex Virgine, distanti ordine, sed in uno concurrente nomine, sicut et præsens lectio docet: quia homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus. Homo utique corpore, altissimus potestate. Etsi Deus et homo diversitate naturæ, idem tamen non alter in utroque. Aliud ergo speciale naturæ suæ, aliud nobiscum commune : sed in utroque unus et in utroque perfectus. Non igitur mirandum est, quia et dominum eum et Christum fecit Deus. Fecit ergo Iesum eum utique, qui ex corpore nomen accepit : fecit enim de quo etiam patriarcha David scribit : Mater Sion dicet, homo et homo factus est in ea. Quasi homo ergo factus, dissimilis utique, non divinitate, sed corpore: nec discretus a Patre, sed exceptus in munere.

Huius muneris gratiam, Angelo nuntiante, virgo Maria Dominum concipiendo promeruit, pariendo obtinuit, et post partum virgo perpetua permanens incorrupta possedit. Eiusdem gratiæ muneribus conferta, ut fas est credere, omne tempus Dominicæ infantiæ, pueritiæ, et adolescentiæ cum ipso peregit : et obsequium maternæ dilectionis et dulcedinis, ut vera mater humanitatis suæ, filio ministravit. Quæ fuerunt inter se illorum colloquia, quàm dulcia, quàm amabilia, quando in matre fulgebat virginitas, et lætabatur fecunditas; in filio apparebat humanitas, et latebat divinitas; quantum, vel quale illud erat deificum ac virginale consortium, non dico nostrum, sed omnium hominum prorsus excedit intellectum. Deinde idem ipse qui erat unigenitus Virginis matris, cùm voluit apparere unicus Dei Patris, tempore sui baptismatis hoc ipsum ostendit maiestas Trinitatis; cùm Pater auditur in voce, Filius videtur in homine, Spiritus sanctus in specie dignatus est apparere columbæ. Est enim huius rei magnitudinis testis magnus præ ceteris homo, nomine Ioannes, a Deo missus. Iste verò tantus homo, qui hactenus erat Dominicæ incarnationis et nativitatis arcanorum mirabiliter conscius cum sanctis, factus est minister mirabilis mysterii huius. Matth. 3.16. et 17.

Nos ergo, fratres, ut corde credamus, et ore confiteamur, tres denominatas, [2] distinctas, et discretas personas Patris, et Filii, et Spiritus sancti unius esse divinitatis, æternitatis, [3] immensitatis, et gloriæ, ammoneant nos et doceant veritatis veracissima verba Prophetarum, et Apostolorum, et Evangelistarum veridica testimonia. Et ut in tribus personis summa, simplex, æter-

(1) Amel. *Unus enim Deus filius ex Patre, et ortus ex virgine.*

(2) *Distinctas* deest in Feu-ard.

(3) *Universitatis et gloria* : Feu-ard.

Digitized by Google

æterna, et incomprehensibilis credatur, confiteatur, et adoretur Trinitas, invitet nos sanctarum Scripturarum sinceritas, et catholicorum Patrum, eorum videlicet fidelis authoritas nos doceat, in quorum intellectu et scriptis fidei pietas et veritas non vacillat.

Mysterio itaque baptismatis peracto, ac præsentia totius Trinitatis consecrato, Iesu non alieno, sed suo spiritu, et propria
Matth. 4. 1. voluntate desertum petiit, ubi ad tentandum eum malignus spiritus invenit: qui ipsius virtute superatus, Angelis ministrantibus, recessit ab eo confusus. Postea a beato Ioanne invenitur, et ob incomparabilem innocentiam ab eo
Ioan. 1. 29. Agnus mundi peccata tollens appellatur. Et ne lumen divinitus accensum sub modio poneretur, exivit ad publicum: et quia totum invenit mundum criminibus et peccatis obnoxium, omnibus medicinæ indixit remedium, in suo adventu appropinquare dixit regnum cælorum. Et ut illud
Isaiæ 9. 2. Isaiæ impleretur vaticinium: *Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis*; deinde ipso divinitatis suæ lumine præeunte, ex diversis huius vitæ conversationibus et officiis, ut Evangelia loquuntur, discipulos vocavit, et
Luc. 6. 13. ex illis duodecim elegit, quos Apostolos vocavit, per quos humano generi salutis iter ostendit. Quorum semper conventui, nobili contubernio semper adhærebat sanctissima Virgo: cum illis semper habitabat, seseque Dominicis conspectibus frequenter præsentari gaudebat.

Eam verò optimam partem, quam soror Marthæ Maria in specie et figura gerebat, Dei genitrix iure vera firmissimè retinebat, et cum Apostolis de humanis Christi actibus, ut veriùs ac specialiùs cognoscebat, veriùs ac specialiter conferebat: ut ab ea discerent qualiter arcanum tanti mysterii et ipsi crederent, et lucidiùs aliis enarrarent, et cùm opportunum fuerit, sine omni ambiguitate scriptis mundo transmitterent. Ipsa
verò, ut sanctus Evangelista Ioannes refert, Domini miraculis non- *Ioan. 2. 1.*
nunquam interfuit: in iis et in ceteris divinitatis eius operibus et virtutibus, ultra quàm dici po-
test, gloriabatur. Et si Maria *Luc. 7. 37.*
quondam peccatrix, cui donando peccata erat propitius, intentè audiebat verba ex ore eius; quantò magis hæc, quæ erat mente et corpore sancta, audiebat ardentiùs, cuius idem ipse et dominus erat et filius? Ceterum ut Simeonis iusti prophetia imple-
retur dicentis: *Tuam ipsius ani- Luc. 2. 35.*
mam pertransibit gladius; tempore Dominicæ passionis cum di-
lecto discipulo ante crucem sta- *Ioan. 19. 25.*
bat, et ut verbis dulcissimis utar
Ambrosii, piis oculis spectabat, *Libro 10. in Lucam,*
non pignoris mortem, sed mun- *cap. 33.*
di salutem, ubi audire meruit: *Ecce filius tuus;* et dilecto discipulo de ea dictum: *Ecce mater tua.*

Circa sepulturam verò Dominicam, multo magis quàm mulieres illas sanctas, quidam dicunt fuisse sollicitam: quorum opinionem, nisi fallor, astruere

Digitized by Google

videtur bonus ille Sedulius poëta Evangelicus, orator facundus, scriptor catholicus. Si enim scire volumus, quid Dei genitrix post resurrectionem Domini, antequam ipse cælos ascenderet, agebat; sine dubio loca Dominicæ nativitatis, passionis, sepulturæ, et resurrectionis frequenter circumiens, invisere cupiebat. In eisdem etiam locis lacrymas fundebat, et sanctissimi oris sui oscula dulcissima imprimebat. Deinde admotum sibi refugium, apostolicum videlicet contubernium, (1) pasta intuitu Dominicorum locorum cum gaudio remeabat. Credimus eam interfuisse gaudiis Dominicæ ascensionis, et in die sancto Pentecostes cum sanctis Apostolis percepisse gratiam Spiritu sancti, quem constat eam plenissimè habere ab ipsa conceptione Christi. Si quis verò adhuc studio pietatis, vel piæ curiositatis affectu indagare voluerit, quid post ascensionem Domini egerit, quàm sanctè et iustè vixerit, et cum quibus habitaverit; soli Deo cognitum esse videtur, et Gabriëli Archangelo, cui eius tota causa commissa esse prædicatur a Domino, et Angelis sibi conlætantibus, secumque loquentibus, Ioanni etiam dilecto Domini discipulo, qui ab ipsa
Ioan. 19. 27. cruce eam suscepit in sua sollicitudine et cura; videlicet ut virgo virgini deserviret, et Domini matri rependeret servitutis et dilectionis obsequium, qui eum præ ceteris sua dilectione fecerat dignum. Beatissimo etenim Petro Apostolorum principi, ceterisque Apostolis non incognita fuit eius purissima vita et actio, sancta quoque et admirabilis et prædicabilis conversatio: quippe quia cum eis semper fuit, (2) ab ipsorum conversionis initio usque ad illum diem, in quo unigenitus Dei filius homo ex ea vera fide genitus, a laboribus huius vitæ illam voluit eripere, et ad gloriam sibi a sæculis præparatam, ut creditur et prædicatur, super choros Angelorum dignatus est elevare.

Huius diei lætitiam hodie totus mundus concelebrat. Hodie namque ob venerationem assumptionis Dei genitricis Angeli lætantur, virgines gratulantur, Patriarchæ et Prophetæ Deo laudes referunt; quia præsagia et vaticinia sua per eamdem Dei genitricem completa esse cognoscunt. Apostoli et Evangelistæ tripudiant, cum in carne Deum venisse, et de Virgine natum vera fide scriptis suis pronuntiant. Gloriantur etiam hodie matres, genitrici Dei sui solemnia dignis laudibus celebrantes. Gaudent summi Pontifices, Confessores, et Doctores catholici, dum per eorum doctrinam fideles Dei credunt, et colunt Dei filium suscepisse quod non erat, et non amisisse quod erat. Et genitricem Dei prædicant virginem peperisse, et post partum virginem extitisse. Dicam aliquid plus si audeo, dicam fideli præsumptione, dicam pia temeritate. Totus mundus hodie condigna iubilatione lætatur et gau-

(1) *Pasta intuitu*: Am. *postea intuitu*: Feu.

(2) *Ab ipso conversationis initio*: Amel.

Digitized by Google

gaudet: tartarus tantummodo ululat, fremit, et submurmurat; quoniam gaudium et lætitia huius diei claustris infernalibus inclusis aliquod remedium et refrigerium præstat. Non audent, ut opinor, ministri tartarei hodie attingere suos captivos, quos recolunt redemptos illius sanguine, qui pro mundi salute est dignatus nasci de Virgine. (1)

De cuius Virginis meritis et gloriosissima hodierna eius assumptione divinæ legis interpres, sanctus videlicet Hieronymus, et alii egregii doctores tanta ac talia potuerunt et voluerunt dicere, quibus nos nec audemus aliquid nec debemus adiicere. Et qui ad plenum vult cognoscere gloriam solemnitatis hodiernæ, Sermonem, quem supradictus pater Hieronymus edidit ad sanctam Paulam et ad Eustochium filiam eius

Auctor sermonis *de Assumptione ad Paulam et Eustochium* falsò putatus Hieronymus.

(1) Non videmus, quid in huius periodi sententia iure reprehendi possit; quæ si accipiatur de animabus iustis, quæ in Purgatorio torquentur quousque leviorum criminum sordes eluerint, tota nostro iudicio pia est et catholica: pium enim est, nec improbabile cogitare in solemnioribus Mariæ Festivitatibus prædictarum fidelium animarum tormenta levari, immo etiam interdum finiri precibus et meritis tantæ Virginis. Quid autem huic loco prohibet hanc interpretationem adhiberi? Certè non locus Purgatorii, quod in inferioribus terræ partibus situm, adeoque in claustris infernalibus collocatum creditur. Non tormenta, quæ a ministris tartareis infligi dicuntur; neque enim animæ purgandæ ab aliis quàm a dæmonibus torquentur. Non denique captivorum nomen, quo utitur auctor Sermonis: animæ enim quæ dæmoniorum potestati quantùm ad pœnam subiectæ sunt, in carcere inferiori ad tempus detentæ, meritò illorum captivæ dici possunt.

Verumtamen fac loquatur de damnatis, qui hoc nomine communiter intelliguntur, æternis suppliciis ob gravia scelera addictis. Quid? Adeonè absonum est et inauditum aliquod vel his levamen suarum pœnarum contingere posse, quæ tamen non ideo sint aliquando finem habituræ? At verò D. Augustino non ita incommoda visa est similis de damnatis cogitatio, quamvis ipse non probaverit. En eius verba in Enchiridio cap. 112. tractantis versum illum Psalmi 87. *Non obliviscetur misereri Deus, nec continebit in ira sua misericordias suas.* " De his sine scrupulo intelligitur, qui vasa misericordiæ nuncupantur, quia et ipsi non pro meritis suis, sed Deo miserante liberantur; aut si hoc ad omnes (*scilicet etiam ad damnatos*) existimant pertinere, non ideo necesse est ut damnationem finiri opinentur eorum, de quibus dictum est: *Ibunt hi in supplicium æternum....* Sed pœnas damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari; etiam sic quippe intelligi potest manere in illis ira Dei, hoc est, ipsa damnatio, ut in ira sua non tamen contineat miserationes suas; non æterno supplicio finem dando, sed levamen adhibendo vel interponendo cruciatibus: quia nec Psalmus ait, *ad finiendam iram suam*, vel *post iram suam*, sed *in ira sua....* Manebit ergo sine fine mors illa perpetua damnatorum, id est, alienatio a vita Dei, et omnibus erit ipsa communis, quàmlibet homines de varietate pœnarum, de dolorum relevatione, vel intermissione pro suis humanis motibus suspicentur."

Congruunt etiam in hanc sententiam, quæ Prudentius cecinit in Hymno 5. indicans per Festum Paschale non nihil quietis et relaxationis damnatis indulgeri:

Sunt et spiritibus sæpe nocentibus
Pœnarum celebres sub styge feriæ.
Illa nocte, sacer qua rediit Deus
Stagnis ad superos ex Acherontiis,
Marcent suppliciis tartara mitibus;
Exultatque sui carceris otio
Umbrarum populus liber ab ignibus,
Nec fervent solito flumina sulphure.

Quis ergo miretur, quæ Prudentius poëta christianus et piissimus de Paschali festivitate dixit, fuisse ab huius sermonis auctore pia quadam (ut ipse loquitur) temeritate translata ad Festum Assumptionis B. Virginis Mariæ? Nulla itaque in sententia erroris species, quæcumque illi interpretatio adhibeatur. Quamquam priorem nos ab omni doctrinæ novitate remotiorem, nec minus auctoris menti consonam iudicamus.

Digitized by Google

eius virginem, et ad ceteras virgines, non solum præsentes, sed etiam ad superventuras transmisit, legat. In eodem verò Sermone non solum possunt addiscere virgines feminæ, sed etiam masculi, quomodo debeant virginum virgini virginaliter ac viriliter militare. Hodie, reverendissimi patres, et charissimi fratres, domini et seniores, matres et sorores, celebremus devotissimè beatæ Dei genitricis et semper virginis Mariæ celeberrimum festum, ut per eius singulare meritum, et orationes omnium sanctorum, sanctarumque virginum, pium mereamur habere atque propitium Virginis filium, et virginum sponsum, Dominum nostrum Iesum Christum, qui vivit et regnat cum Deo Patre et Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen.

EIUSDEM SERMO VI.

DE ASSUMPTIONE B. MARIÆ SEXTUS.

Hodie, fratres charissimi, gloriosa et perpetua virgo Maria, cælos ascendit: hodie de terris et de præsenti sæculo nequam erepta, secura de immarcessibili gloria ad cæli pervenit palatia. Hac, inquam, die meruit exaltari super choros Angelorum: quoniam ut credimus in dextera Patris sublevata (1) in cælestis regni solio, post Christum gloriosa resedit, quæ meritò Domini templum, Spiritus sancti sacrarium et appellatur et creditur. Hæc est illa virgo gloriosa, cuius ineffabile meritum longè ante et figuris legalibus, et Prophetarum oraculis prænuntiabatur. Nam quid aliud præsignabat virga illa Aaron, quæ in tabernaculo Domini posita, tertia die inventa est germinasse; iamque dilatatis foliis eruperant flores, qui turgentibus gemmis in amigdalas deformati sunt? Virga ista sacra est virgo Maria, quæ neque sata, neque radicata, sine ullo cultore, tertio die, hoc est, tertio sæculi tempore, sancto Spiritu est fecundata, nobisque Deum genuit et hominem Christum: cuius utraque substantia, bene per amigdalam est figurata. Amigdala namque ex carne, osse, et nucleo constat: sic Deus et homo in una persona est Iesus Christus. Et in amigdala quidem caro exterior amarissima est; nucleus verò interior vescentes grata dulcedine reficit. Sic et Christus per humanitatem passionis amaritudinem sensit, per divinitatem impassibilis mansit.

De hac virga Isaias Propheta prædixerat: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.* Isaia 11. 1. Virgo namque Maria, cuius hodie ad cælos ascensionem colimus, de stirpe David regis, qui filius fuit Iesse, nobilissima prosapia, et regali stemmate exorta processit; et flos de radice eius ascendit, quia verus ille Nazareus, et flos munditiæ Christus per eam, ex ea incarnatus, in mundum venit. Hic est ille flos sacerrimus, qui de seipso in epithalamium Ecclesiæ loquitur: *Ego*

(1) *In cælis regni solio*: edebat Feu-ard.

Digitized by Google

Cant. 2. 1. *Ego flos campi, et lilium convallium.* Flos enim campi, qui non aratus, nec seritus fuit, quia de Virgine sine virili ministerio natus apparuit. Lilium autem convallium extitit, quia ad insinuandum humilitatis exemplum, pauperes parentes, de quibus nasceretur, elegit: dignatus pro nobis ipse pauper fieri, ut nos sua potestate divitiarum et divinitatis suæ donaret esse participes. Beatus quoque Ezechiel Propheta huius sacræ Virginis se conscium fuisse prophetico spiritu
Ezech. 44. 2. 3. testatur dicens: *Vidi portam in domo Domini clausam, et dixit ad me Angelus: Porta hæc, quam vides, non aperietur. Princeps in ea sedebit, ut comedat panem coram Domino.* Porta namque in domo Domini clausa, virgo est Maria semper intacta. Vir non transiet per eam, quia Ioseph non cognovit eam. Clausa fuit in æternum, quia Maria virgo est ante partum, virgo in partu, et virgo post partum. Princeps in ea sedit, ut comederet panem coram Domino; quia Dei filius in utero illius novem mensium spatio moratus est, indeque egressus, et tamquam sponsus de thalamo suo, ut comederet panem coram Domino, iuxta quod ipse dixit:
Ioan. 4. 34. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius qui misit me, Patris.*

Tot igitur et tantis hæc sancta virgo et mater Domini Prophetarum prænuntiata vaticiniis, hodie ad cælos assumpta est, meritorum fructus, et laborum præmia perceptura. Ascendens namque Dei filius in cælum, matrem castissimam ad tempus ad hoc dimisit in terris, ut ei locum immortalitatis in æthereis mansionibus præpararet, ut cum eo in perpetuum regnaret. Et hæc est præsentis diei solemnitas, in qua gloriosa et felix ad cælestem assumpta est thalamum. Quæ profectò eius festivitas tantò excellentior est omnium sanctorum festivitatibus, et incomparabiliter admiranda, quantò et ipsa Dei genitrix cæteris sanctis incomparabilis, magisque habetur mirabilis. Unde et ex persona supernorum civium in eius ascensione admirans Spiritus sanctus ait in Canticis canticorum: *Quæ* Cant. 3. 6.
est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi? De deserto enim præsentis sæculi hæc virgo hodie ascendit; atque ideo mirabantur animæ electorum, quænam hæc esset, quæ virtutibus meritorum etiam dignitatem supervinceret Angelorum. Quasi virgula autem fumi ex aromatibus ascendit, quia delicata, et divinis extenuata disciplinis, multis virtutum erat repleta odoribus, per quas quotidie se in holocaustum Domino concremabat incendio pii amoris, et desiderio charitatis.

Nec diu hæc sancta sacratissima Virgo post Domini ascensionem in terris potuit remanere, quam desiderabant Angeli, cælum etiam et ipsum de eius ascensione quærebatur: atque ideo Spiritus sanctus invitabat dicens: *Veni columba* Cant. 2. 10. 11.
mea, immaculata mea; iam enim hiems transiit, imber abiit et recessit. Quodque arden-

Digitized by Google

dentissimè vellet assumere, ostendit crebra ingeminatione in-
Cant. 4. 8. quiens: *Veni de Libano, sponsa mea: veni de Libano, veni.* Et pulchrè de Libano venire iubetur, hoc est, de candidatione; Libanus enim candidatio interpretatur. Et hæc virgo sancta candidata erat virtutibus, et dealbata Spiritus sancti muneribus, columbæ lacteæ servans simplicitatem, et virginitatis immaculatum candorem; atque ideo sola digna fuit, per quam, et ex qua Dei filius, ad reconciliationem humani generis veniens, carnem assumeret. Unde et ei soli Angelica
Luc. 1. 28. illa salutatio conveniens fuit: *Ave Maria, gratiâ plena.* Ceteris enim electis ex parte gratia datur, huic vero Virgini tota se infudit plenitudo gratiæ. Quod considerans Propheta David ait:
Descendet, sicut pluvia in vellus. Psalm. 71. 6.
Vellus enim virginitatem præsignat. Sicut enim vellus cùm sit de corpore, corporis non subjacet passioni; ita virginitas cùm sit in carne, vitia carnis ignorat.

Descendit ergo sicut pluvia in vellus, quia cælestis imber, hoc est unda divinitatis virgineo velleri placido se infudit illapsu,
quando Verbum caro factum est, Ioan. 1. 14.
et habitavit in nobis. Nec sanè illud omittere debemus, quod multi pietatis studio libentissimè amplectuntur: eam hodierno die a filio suo domino Iesu Christo ad cæli corporaliter sublevatam palatia. Quod licèt pium sit credere, a nobis tamen non debet affirmari, ne videamur dubia pro certis recipere. (1)

Ve-

(1) Neque in hoc loco quidquam reperimus, quod erroneum, aut impium fuerit pronuntiare, si tempora illa attendamus, quibus auctor sermonis hæc scribebat circa corporis Virginei assumptionem. Primùm enim tota huius periodi sententia (sicut alia quamplurima huius sermonis) nostro iudicio desumpta est ex sermone de Assumptione B. M. Virginis, quem non semel citat hic auctor, falsò credens esse D. Hieronymi; sed qui ab eruditis putatur esse auctoris cuiusdam Græci, qui parùm latinè sciret; sive sit Sophronius ferè S. Hieronymo suppar, sive alius, ut placet aliquibus, plus uno sæculo posterior. Deinde etiamsi sermo iste sæculo septimo conscriptus fuisset, potuit nostro iudicio idipsum sine ulla nota ab illius auctore affirmari: nempe assumptionem corporis Virginei in cælum, quamquam ab aliquibus pia devotione crederetur, rem verò tunc temporis fuisse nec satis exploratam, neque inter illas veritates recensitam adeo apertas, de quibus nefas esset ullo pacto dubitare. Nondum enim illis temporibus hoc Festum ab universa Ecclesia celebrabatur, nondum omnium Doctorum consensus in prædictam veritatem conspiraverat, quemadmodum hodierna die fieri videmus, quando universa Catholica Ecclesia Virginem in corpore assumptam toto terrarum orbe concelebrat, et omnium Theologorum suffragia ita consentiunt, ut qui aliter sentire auderet, impietatis, et temeritatis notam meritò incurreret.

Quod verò sæculo septimo mirandum non sit, quòd auctor sermonis cum huiusmodi dubitatione, et cautione de assumptione corporis Virginei locutus fuerit, exemplo comprobamus alterius sermonis in eiusdem festi celebritate conscripti, eodemque sæculo, aut fortè posteriori, ut colligitur ex auctoritate S. Isidori, quem proprio nomine laudat. Fuerat hic sermo cum aliis eiusdem notæ S. Augustino aliquando attributus, postea verò ut spurius reiectus est. Quisquis tamen fuerit illius auctor, de Virginis assumptione ita loquitur, num. 2.

" Hoc idcirco dicimus, fratres, quia
" sicut iam in consuetudinem Christi su-
" scepit Ecclesia, hodierna die ad cælos
" assumpta fuisse traditur Virgo Maria.
" Sed quo ordine hinc ad superna trans-
" ierit regna, nulla catholica narrat hi-
" storia. Non solum autem respuere apo-
" crypha, verùm etiam ignorare dicitur
" hæc eadem Dei Ecclesia. Et quidem sunt
" nonnulla sine auctoris nomine de eius
" assumptione scripta, quæ, ut dixi, ita
" caventur, ut ad confirmandam rei ve-
" ri-

Digitized by Google

Verum enim hoc sit, necne, nos tamen credere convenit eam filio suo in cælestibus conregnare, nosque post Deum in omni veritate confirmare, meritis et precibus præmunire. Si autem vultis scire, quid post Domini ascensionem egerit, hoc unum certum est, quia virgo sancta corpore et mente permansit, conversata cum Apostolis, donec ipsi per diversas regiones prædicaturi sunt missi. Et licèt omnes Apostoli eam venerarentur, eique officio dilectionis famularentur, plus tamen et specialiùs ceteris Ioannes usque ad finem vitæ dilexit et coluit; quique sibi commissam Virginem virgini accepit in suam, et sic ei, quasi filius matri, assistit et obsecutus est, recordans illud quod a benigno magistro
Ioan. 19. 26. in cruce audierat: *Mulier, ecce filius tuus.*

Huius igitur sacrosanctæ Virginis et matris Domini hodiernam festivitatem spirituali lætitia celebremus, quæ, sicut Evangelium loquitur, optimam par-
Luc. 10. 42. tem elegit, quæ non auferetur ab ea. Quod quamvis historialiter de illa Maria sorore Lazari, ardentissima dilectrice Christi, dictum intelligitur, specialiter tamen beatæ Dei genitrici convenire creditur, quæ optimam partem elegit; quia ei singulariter datum est matrem esse, et sigillum castitatis non perdere: prolem suscipere, et incorrupta virginitate gaudere. Nam cùm sint in Ecclesia tres ordines fidelium, coniugatorum videlicet, continentium, atque virginum; hæc sola superexcellenti et incommutabili dono mater potuit esse virgo, servare pudorem, et intactis suis visceribus edere Deum et hominem: unde meritò eam Dei confitemur genitricem. Iam ergo ad eam, de qua loquimur, preces et vota vertamus, opem intercessionis eius poscamus singuli, poscamus omnes. Oremus ut sit (1) protectrix in prosperis, submoveat noxia, suggerat profutura, admittat preces supplicantium intra sacrarium divinitatis, nobisque impetret consortium suæ beatitudinis, favente et adiuvante Domino nostro, filio eius Iesu Christo, cui est cum Deo patre imperium et immortalitas per infinita sæcula sæculorum. Amen.

„ ritatem legi minimè permittantur. Hinc „ sanè pulsantur nonnulli, quia nec corpus eius in terra invenitur, nec assumptio eius cum carne (ut in Apocrypha „ legitur) in catholica historia reperitur. ....

„ Sed nec invenitur apud Latinos aliquis tractatorum de eius morte quidpiam apertè dixisse. Nam illum Evangelii versiculum, quem Simeon dixit ad „ Domini Matrem, *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, beatæ recordationis Ambrosius cum tractaret, ait: „ Nec historia nec litteræ docent, Mariam gladio vitam finiisse. Hinc et Isidorus, incertum est, inquit, per hoc „ dictum utrum gladium spiritus, an gladium dixerit persecutionis. .... Restat „ ergo ut homo mendaciter non fingat „ apertum, quod Deus voluit manere occultum. Vera autem de eius assumptione sententia hæc esse probatur, ut secundùm Apostolum sive in corpore, sive extra corpus ignorantes, assumptam „ super Angelos credamus."

Hæc dicta sunto, ut auctoris dictum ab acerbiori censura defendi posse, ratione et exemplo ostenderemus.

(1) Amel. *protectrix in adversis, provectrix in prosperis, submoveat, &c.*

Aaa EIUS-

Digitized by Google

EIUSDEM SERMO VII.

IN [1] ASSUMPTIONE B. MARIÆ SEPTIMUS.

Celebritas hodierni diei nos admonet, ut in laude Virginis Mariæ immorari debeamus, quia revera indignum est, ut in die tantæ Dei genitricis laudes Domini nostri sileat lingua carnis. In hac siquidem die competenter beata Virgo Maria sponso illi cælesti
Psalm. 72. 24. liberè proclamat: *Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria assumpsisti me.* Hodie, inquam, et ipsa congruè ab
Cant. 2. 10. 11. sponso audit: *Veni proxima mea, speciosa mea, columba mea, quoniam ecce hiems transiit, pluvia abiit.* Ipsaque iam beata
Ibi 12. respondit: *Flores visi sunt in terra nostra: tempus sectionis*
Psalm. 34. 9. *advenit. Anima mea exultabit in Domino, et delectabitur su-*
Psalm. 33. 3. *per salutari suo:* Et *in Domino laudabitur anima mea, au-*
Psalm. 26. 13. *diant mansueti et lætentur:* Et *credo videre bona Domini in terra viventium.*

Videamus itaque, fratres, quæ sit hæc Virgo tam sancta, ad quam Spiritus sanctus venire dignatus est; quæ tam speciosa, quam Deus elegit sponsam; quæ tam casta, ut possit esse virgo post partum. Hæc est, inquam, Dei templum, fons ille signatus, et porta Dei clausa. In eam itaque sanctus descendit Spiritus: hanc
Luca 1. 35. virtus obumbravit Altissimi, et ex ea potens virtutum Christus egreditur. Hæc est immaculata coïtu, fecunda partu, virgo castitate: hæc concepit virgo, non ex viro, sed de Spiritu sancto: hæc peperit, non dolore, sed gaudio: hæc nutrivit Angelorum et hominum cibum.

Felix certè et omni laude dignissima, quæ sine humano semine cælestem sæculo protulit panem, et mundi genuit Salvatorem! O fidei pactum! O fidei secretum! Promittit Angelus virgini filium nasciturum: virgo gaudet, cupitque effici mater. Verè magnum et salutare mysterium: quæ sic peperit, ut mater et virgo possit dici. Lacta Maria creatorem tuum, lacta panem cæli, lacta præmium mundi. Prebe lambenti mammillam, ut ille pro te præbeat percutienti maxillam. Tu illi ut mater temporalem ministra substantiam, [2] ut ipse nobis et tibi vitam tribuat sempiternam. Lacta ergo eum, qui fecit te, qui talem fecit te, ut ipse fieret in te. Lacta eum, qui fructum fecunditatis tibi dedit conceptus, et decus virginitatis non abstulit natus.

Videte, fratres, quàm dignè Domino consecrata virginitas famulatur, quam sic amare dignatur, ut una eademque femina, et virgo dici possit, et mater; quàm præferenda gratia, et cunctis sæculis prædicanda, quæ sola et genitricis dignitatem obtinuit, et virginalem pudicitiam non

(1) *Assumptione* ut habet Amel. non ut Feu-ard. *in Nativitate*, de qua nec verbum in toto Sermone.

(2) Quæ sequuntur verba desiderantur in Feu-ard. ad sententiæ perfectionem.

Digitized by Google

non amisit. Electa est quæ auctorem suum ederet: denique viro inexperta se parituram obstupuit, quæ thalamum ignoravit. O quàm beata mater ista, quæ sine contaminatione concepit, et sine dolore peperit medicinam! Felix inquam mater, per quam generis nostri vita est reparata, quæ de cælo suscepit prolem, et mundi genuit Salvatorem. Hæc enim mirabili et ineffabili modo omnium rerum et suum peperit Salvatorem. Electa quippe est virgo integra, cui fecunditas matris daretur; et facta est fecunda mater, in qua virginis integritas servaretur. Si enim cogitemus virginem, quæ sine concupiscentia carnis concepit carnem, et sine viro concepit virum, et si voluerimus quærere rationem, in ipsa nostra inquisitione subcumbimus, cum scri-
Isai. 53. 8. ptum sit: *Generationem eius quis enarrabit?* Nam et ipsa beata Maria, cuius hodie natalitia celebramus, quem credendo peperit, credendo conceperat.

Denique cum Dominicum illi partum Angelus nuntiasset, ac illa quippe castitatis conscia divinæ dispensationis gratia, Ange-
Lucæ 1. 34. lo respondisse fertur: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Angelus ei placido
Ibid. 35. vultu respondit: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Non expavescas partum virgo, nec metuas, neque multum sis inexperta formidine. Tantum crede, et concepisti: ama, et peperisti. Spiritus enim sanctus superveniet in te; proinde non est quod metuas: et virtus Altissimi obumbrabit tibi; (1) inde est quod gaudeas. Tunc enim sequeretur dolor partum, si præcederet libido conceptum; nunc verò Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, id est, refrigerabit te sub sua umbra Spiritus idem sanctus, ne (2) in fervore concupiscentiæ torrearis. Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. His Maria auditis, iam fidei semine gravida, priùs et Christum mente quàm ventre concipiens, respondit Angelo: *Ecce* Ibid. 38.
ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum. Nec mora: ut assensus Virginis panditur, sponsus immaculatum corpus ingreditur, et qui toto mundo non capitur, puellæ innuptæ membris infunditur.

Nam audite, fratres, quomodo porta, per quam ingressus est Dominus, semper fuit clausa, quam Ezechiel Propheta in visione divina respexit: *Convertit* Ezech. 44. 1. 2.
me, inquit, *ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad orientem; et hæc erat clausa. Et dixit Dominus ad me: Porta hæc quam vides, clausa erit, et non aperietur, et vir non transiet per eam: quia Dominus Deus Israël ingredietur et egredietur per eam, et semper erit clausa.* (3) Ecce ubi evidenter ostendit nobis, quia san-

(1) Malè Feu-ard. *nec est quòd gaudeas.*
(2) Feu-ard. *in furore concupiscentiæ terrearis.* Amel. *in fervore... tenearis.* Nos verò non dubitavimus emendare *torrearis* ex certa coniectura.
(3) Feu-ard. *Quæ ubi evidenter*, &c.

Digitized by Google

sancta Maria semper virgo fuit, virgo permansit: virgo ante partum, virgo in partu, et virgo post partum. Concepit, et virgo est: generat, et virgo est: lactat, et virgo est. [1] Mater quippe esse potuit virgo Maria, mulier esse non potuit. Magnum mysterium! magnum donum! magna gratia! Ancilla peperit Dominum, creatura peperit creatorem. Visceribus fecundis, et genitalibus integris, virgo mater Dominum effudit in terris. Concipiens virgo, pariens virgo,[2] permanens virgo: virgo gravida, virgo fecunda, virgo perpetua. Quid miraris, o homo? Deum sic nasci oportuit, quando dignatus est esse homo. Interea toto affectu ad auxilium beatæ Virginis nos conferamus, omnes unanimes eius omni nisu patrocinia imploremus. Et dum nos eam supplici obsequio frequentamus in terris, ipsa nos sedula prece commendare dignetur in cælis apud Dominum Deum nostrum, qui in Trinitate vivit et regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

EIUSDEM SERMO VIII.[3]

IN LAUDEM B. V. MARIÆ.

Scientes, fratres dilectissimi, auctori nostro multum nos debere conditos, plus redemptos, redemptionis nostræ commercium veneremur, et illum sacratissimum uterum, ex quo homini Deus unitus apparuit, etsi non honorificamus meritis, saltem celebremus obsequiis; [4] scientes erroris nostri tenebras, partim eius fulgore respersas, quia quod protoplastorum negligentia, [5] primæ matris contumax tam arrogantia quàm gula perdiderat, huius sacræ Virginis partus non solum restauravit diruta, sed etiam tribuit sempiterna. Et idcirco cunctis præconiis veneremur auctricem, quæ dum auctorem suum concepit, excelsum nobis redemptorem ostendit in sæculo. Et quia ad vicem matris eius, matris nostræ Ecclesiæ forma constituitur, ipsa eam inter procellas sæculi frementes aspiciat, ipsa inter cursus mundiales continua oratione confoveat. Neque enim dubium,[6] illam quæ meruit pro liberandis dare pretium, posse liberatis impartiri suffragium. Nostra inter hæc oratio iugis ad Deum dirigatur, ut qui pro honore nominis sui viscera illa quæ sanctificavit, intravit, nosque sedulitate debita veneramur, prosit nobis ad remedium, quod per eam se nobis dedit in pretium.

Meritò beata Maria [7] singulari a nobis præconio attollitur, quæ singulare commercium mundo præbuit. Meritò inter feminas tunc etiam lætabatur, cum singularem medicinam pudico alvo gestabat. Sentiebat quidem pondera ven-

(1) Edimus ex Amelian. cum Feu-ard. edidisset: *Mater quippe esse potuit beata Maria, mulier esse potuit.*

(2) *Permanens virgo*: deerant hæc verba in Feu-ard. deinde Amel. pro *fecunda* scribit *fœta.*

(3) Hic sermo reperitur ad litteram inter eos, qui aliquando S. Hieronymo tribuebantur: postea inter spurios editus.

(4) *Scientes* deest in Feu-ard.

(5) *Prima mater* Amel.

(6) *Illa, quæ meruit .... possit liberatis, &c.* Feu-ard.

(7) *Singulari* deest in Feu-ard.

Digitized by Google

ventris, quæ pudorem non perdiderat castitatis. Mirabatur partus insignia, quæ nulla noverat viri contagia. O benè fecunda virginitas, quæ novo inauditoque genere, et mater dici possit et virgo! Peperit eum a quo cœpit: portavit, a quo creata extitit; siquidem ipse est auctor Mariæ, qui est ortus ex Maria. Sic inenarrabili modo beata Maria et mater virgo est, dum fructus peregrinationis extitit, et integritatis dispendium non incurrit. Apud quam ita cælestis providentia negotii ipsius conditionem disposuit, ut magis obedientiam exhiberet in mandato, cùm honorificentiam agnosceret ex Angelo. Neque enim fidem derogat nuntii, quæ dignitatem intelligit, nuntiante sibi Angelo et dicen-
Luc.1.35. te: *Spiritus enim sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbravit tibi: ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Credidit ammonita, quod audivit: meruit sanctificata, quod credidit.

Denique [1] tantum se ad cæli fastigium sublevavit, ut Verbum in principio apud Deum, id est, Dei filium de summa arce susciperet. Cumque semper mysticum divinitatis arcanum [2] carni nostræ fragilitatique commisceret, latuit in homine divinitas, ut divinitati humanitas non periret: et sub velamento assumptæ carnis absconditus, pretiosiùs redemit perditos, quàm si defendisset ab imminente hoste captivos. Immensa pietas, et supra quàm fari possit, prædicanda maiestas! Viscera puellæ aula sancti Spiritus replebat, innupta Virginis vulva Verbi semine crescente tegebat. Replebantur, inquam, arcana viscerum, sacri Spiritus fecunditate repleta; et erat spes in partu, quia non erat voluptas in coïtu. Stupebat speciosissima genitrix, [3] et apud se tacita mirabatur; urebatur æstu cogitationis ambiguæ, et percussa rerum novitate obstupescebat mirabiliter: sciens enim suam integritatem, mirabatur ventris ubertatem.

O felix Maria! O genitrix gloriosa! O puerpera sublimis, cuius visceribus auctor cæli terræque committitur! O felicia oscula labiis impressa lactantis, cùm [4] inter crepundia reptantis infantiæ, utpotè verus ex te filius tibi matri adluderet, cùm ex Patre Dominus imperaret. Nam auctorem tuum ipsa concipiens edidisti in tempore puberem, quem habueras ante tempora conditorem. O felix puerperium! delectabile Angelis, expectabile sanctis, necessarium perditis, congruum profligatis: qui post multas assumptæ carnis iniurias, et ad ultimum [5] verberatus flagris, potatus felle, patibulo affixus, ut te veram matrem ostenderet, verum se hominem patiendo tormenta monstravit.

Tu

(1) Amelian. scribit: *Tantum se deiecit fastigium, ut verbum &c.*

(2) Feu-ard. *Carnis nostræ fragilitatemque commisisset.*

(3) Apud Feu-ard. solum legitur: *Et apud se tacita, rerum novitate obstupescebat mirabiliter.*

(4) Edebat Feu-ard. *inter crebra indicia.*

(5) Pro *verberatus* habet Feu-ard. *urebatur.*

Tu verò beata gloriosaque Maria, inter ista et propter ista laudabilis; quæ sic fecunditatis meruisti donum, virginitatis quòd non amisisti suffragium. Tu es enim benedicta inter mulieres, tu præclara cunctis virginum catervis, tu sequeris agnum quocumque perrexerit. Tu virgineos choros, et ab incentivis carnis illecebris alienos, per albentia lilia rosasque vernantes ad fontem [1] perennis vitæ potandos invitas. Tu in illarum beatarum virtutum felicissima regione primi ordinis dignitatem adepta, plantis roscidis oberrans, inter paradisi amœnitatis gramineos choros tenero poplite pergens, felicique palma violas immarcessibiles carpis. Tu concinentibus sine fine coniuncta choris, Angelis Archangelisque sociata, indefessa voce *Sanctus* clamitare non desinis. Sed quid dicam, pauper ingenio, cùm de te quicquid dixero, minus profectò est quàm dignitas tua meretur? Si matrem gentium te vocem, præcellis: si formam Dei appellem, digna existis: si nutricem cælestis panis te vocitem, lactis dulcedine reples.

Lacta ergo mater cibum nostrum: lacta panem cælestem: lacta cibum Angelorum: lacta eum qui talem fecit te, ut ipse fieret in te: qui tibi munus fecunditatis attulit conceptus, et decus virginitatis non abstulit natus: qui priusquam nasceretur, te matrem creavit, ex qua nasceretur; ut illinc procederet tamquam sponsus de thalamo suo, quo mortalibus oculis possit videri. Quanta fuit hæc dignatio, ut crearetur ex te, quam creavit; portaretur manibus, quas formavit; suggeret tua ubera, quæ ipse implevit? Quas itaque laudes caritati Dei dicamus? quas gratias ei agamus? qui nos ita dilexit, ut propter nos homo fieret, [2] ut uterum nostræ conditionis intraret, ut contumelias nati infantis subiret, atque cuncta humanitatis necessaria sustineret?

Agentes ergo quantum sufficimus, creatori nostro gratias, [3] natalem pretiosissimæ illius genitricis cum gaudio celebremus. Dignum namque est cum summa ei gratulatione famulari, per quam virginitatis insignia pullularunt. Siquidem ipsa virgo extitit ante coniugium, virgo in coniugio: virgo prægnans, virgo pariens, virgo lactans. Et data marito, et mater non de marito. Sanctæ quippe matris omnipotens filius nullo modo natus virginitatem abstulit, quam nasciturus elegit. Exultent ergo virgines, virgo peperit Christum: nihil ex eo quod noverat putent exterminatum; quia mansit virgo post partum. Exultent viduæ natalem Virginis celebrantes: Anna vidua Virginem matrem agnovit. Exultent coniugatæ solemnia beatæ matris frequentantes: Elizabeth coniugata Virginem matrem Domini

ni

(1) *Per huius vitæ* edebat Feu-ardentius.

(2) Quàm malè Feu-ardentius *ut veterem nostræ conditionis initiaret.*

(3) Hoc loco Amelianus codex habet (sicut et paulò infra) *natalem, vel conceptionem*, scilicet activam B. M. V. quæ totius sermonis subiectum est.

Digitized by Google

ni est salutata. Exultent pueri, continentiam voventes puero; ipse verò integritatem continentiæ pueritiæ consecravit, qui suæ matri fecunditatem attulit, virginitatem non abstulit. Ipsi honor, gloria, et potestas per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

EIUSDEM SERMO IX.

DE ASSUMPTIONE B. MARIÆ OCTAVUS.

(1) Merito itaque sancta et venerabilis Dei genitrix, Virgo Maria, cælorum Regina, mundi Domina, singulari a nobis præconio extollitur, quæ singulare commercium mundo præbuit. Denique tantum se ad cæli fastigium sublevavit, ut Verbum in principio apud Deum, de summa cæli arce susciperet. O felix Maria, et omni laude dignissima! O genitrix gloriosa! O sublimis puerpera! cuius visceribus auctor cæli terræque committitur. Hæc est immaculata coïtu, fecunda partu, virgo lactans Dominum cæli, Angelorum cibum et hominum nutriens. O felicia oscula lactantis labris impressa! O felix puerperium, lætabile Angelis, optabile sanctis, necessarium perditis, congruum profligatis! Quas ergo laudes, o Domina, totius mundi salvatio, fragilitas generis humani tibi persolvet, quæ solo tuo commercio recuperandi aditum (2) invenit? O quam venerandum, et præ ceteris honorandum hunc diem! in quo Dei genitrix virgo Maria de mundo migravit ad Christum, quæ dolori non subiacuit post partum, non labori post transitum. O admirabilem thalamum, de quo speciosus forma prodiit sponsus! O lux gentium, spes fidelium, tabernaculum gloriæ, templum cæleste, cui Apostoli sacrum reddunt obsequium, ad cuius Angeli canunt triumphum, quam Christus amplexatur! O beata Maria! gaudens ingredere paradisum, quæ de terris ad cælestem vitam translata es ab Angelis, et inter choros virginum, sicut sol fulgens, suscepisti principatum super Archangelos in cælo. O excellentissima! quam hodie paradisus excepit gaudens, quam Cherubin et Seraphin cum laudibus prosequuntur, quam martyres candidati beatificant, quam sanctorum stolatus concelebrat numerus, cui omnium sanctarum virginum cum suis (3) palmis victricibus exultans occurrit exercitus. O clarissima inter virgines, quæ cum laudibus et exequiis hodie exaltata, et magno cum triumpho in cælos gloriosissimè evecta! Accipe itaque, piissima ac misericordissima, quascumque exiles meritis tuis impares gratiarum actiones; et cùm vota susceperis, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, et retribue nobis gratiam reconciliationis. Sit per te excusabile quod (4) malè gessimus, accipe quod of-

(1) Ferè totum ex superiori sermone desumptum.
(2) *Invenisti* Feu-ard.
(3) *Palmis* ex Amel. nam Feu-ard. habebat *psalmis*; sicut paulò infra *charissima* pro *clarissima*.
(4) Feu-ardentius *quod per te ingerimus*.

Digitized by Google

offerimus, impetra quod rogamus: quia potentiorem ad placandam iram iudicis invenire non possumus, quàm te quæ meruisti mater existere eiusdem redemptoris et iudicis. Succurre ergo, genitrix Christi piissima, miseris ad te confugientibus, adiuva et refove omnes qui in te confidunt. Ora pro totius mundi piaculis, interveni pro clero, intercede pro monachorum choro, ora pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuam clementiam, quicumque invocant tuum nomen gloriosum. Sit tibi compassio super afflictionem captivorum, sit pius affectus super cælorum peregrinos. Et quia te sine fine in cælis gaudentem atque lætantem aspicis, quatenus ut preces nostras quas tibi cum fletibus fundimus, ad Deum ipsa admittas, eumque ut proprium filium pro nobis interpelles, ut cùm ille in fine sæculi iudex advenerit, cum ipso et nos appareamus in gloria: qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

EIUSDEM SERMO X.

IN PURIFICATIONE S. MARIÆ.

In illo tempore: Postquàm impleti sunt dies purgationis Mariæ secundùm legem Moysi, tulerunt Dominum Iesum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum, adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. Luc. 2. 22.

Series huius lectionis cùm multa alia, tum præcipuè virtutem commendat humilitatis, quæ ceterarum est mater et custos; adeo ut sine hac alia virtus nulla haberi queat. Hanc ergo nobis præsens lectio non minùs in Domino salvatore, quàm in venerabili eius commendat genitrice; quorum uterque cùm ab omni legis præcepto liber extiterit, uterque tamen causa commendandæ humilitatis, sponte se legalibus subdere voluit institutis. Perpendat ergo unusquisque quantam obedientiam præceptis debeat divinis purus ac peccator homo, si tantum se pro hominibus humiliare voluit totius peccati immunis Deus homo. Ut autem quantum Deus unà cum genitrice sua a præcepto legis immunes extiterint, noverimus, ipsum legis mandatum diligentiùs perscrutemur.

Mulier, inquit Deus in lege, *quæ suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus. Octava autem die circuncidetur infantulus, et ipsa triginta tribus diebus manebit in sanguinis sui purificatione.* Levit. 12. 2. 3. 4. Cùm ergo mulierem, quæ suscepto semine peperisset, immundam decernat, et per temporum spatia expiari iubeat; illam utique ab hac excludit necessitate, quæ non de virili semine, sed de Spiritus sancti concepit obumbratione. Sed Dominus legis sponte se voluit subdere legi, ut nos a maledicto legis absolveret: similiter et intemerata eius genitrix, quæ se noverat nihil legi debere, humilitatis tamen gratiâ legale voluit exequi præceptum, ad-

Digitized by Google

adimplens illud viri sapientis: Eccl. 3. 20. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.*

Postquam autem impleti sunt dies purgationis eius, (vel Domini scilicet, vel matris illius; uno enim eodemque ordine mater cum filio expiari iubebantur) *tulerunt illum* (haud dubium, quin puerum Iesum) *parentes eius in Ierusalem ad templum Domini, ut sisterent* (id est statuerent, consecrarent) *eum Domino.* Pueri Hebræorum, qui ex omni regno Ierusalem deferebantur, siquidem ex tribu Levi fuissent, ibidem detinebantur in templo Domini perpetuò servituri. Si verò ex alia tribu fuissent, dato pretio redimebantur a parentibus ad propria referendi. Et puerorum quidem purificatio in hostiarum oblatione constabat: matrum verò in hoc quòd quadraginta diebus tam ab ingressu templi Domini, quàm a viri toro prohibebantur; non quòd ex legitimo et nuptiali connubio sit culpa filios procreare, sed quia ipse legitimus et nuptialis coïtus a culpa iniquitatis non possit esse extraneus.

Bonum namque nuptiarum ab ipso humani generis initio divinitus concessum novimus. Unde Apostolus honorabile connu- Hebr. 13. 4. bium, et torum immaculatum sine dubitatione commendat. Cum igitur legitimæ nuptiæ liberaliter sint a Deo tributæ in fide et dilectione, si libidinis voluntate non agantur, necessariò prolem edunt peccato primi hominis vitiatam. De bonis itaque nuptiis adeo bonum est quod nascitur, ut etiam malum non sit, si sine adulterio vel fornicatione nascatur. Deus enim humanæ naturæ fecunditatis dona contulit, libidinis verò malum creatura Dei non est, sed pœna peccati: proinde de [1] munditia nuptiarum mundus homo non nascitur, quia interveniente sordida libidine iniquitas seminatur. Hinc et beatus David, qui se noverat de legitimo connubio generatum, huius tamen rei conscius, maculam carnalis generationis non sine gravi gemitu deplorabat dicens: *Ecce, in iniquitatibus conceptus* Psalm. 50. 7. *sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Hæc paucis dicta sunt, ut noverimus, maculam originalis peccati non in legitimis nuptiis, sed in voluptate et delectatione constare libidinis.

Quòd autem mulier quadraginta diebus, edito partu, ab ingressu templi prohibebatur, ideo iuxta litteram factum videtur, ut quot diebus infans in utero formatur, tot etiam diebus eius purgatio celebraretur. Dicunt enim Physici, id est, qui de genituris singularum rerum disputant, quòd susceptum semen a femina sex primis diebus lactis habeat similitudinem, sequentibus novem vertatur in sanguinem, reliquis autem duodecim solidetur: dehinc decem et novem aliis per singula membrorum liniamenta formetur, inde usque ad tempus pariendi magnitudine sui augeatur.

(1) Amel. cod. habet *immunditia.*

Qui numeri simul iuncti quadraginta et sex faciunt. Sex verò et novem et duodecim et decem et novem, quadraginta et sex faciunt : quo numero, ut dictum est, infans in utero matris concipitur.

Unde et ipsum primi hominis vocabulum, quod est Adam, eumdem numerum per Græca elementa exprimit. Secundùm enim Græcorum calculationem, qui singulis litteris certum præfigurant numerum, [1] et unum, et quatuor, item et unum, et quadraginta faciunt, quæ litteræ nomen Adam exprimunt; numeri verò quadraginta sex reddunt. Ioan. 2. 20. Hinc Iudæi in Evangelio, licèt ignorantes quid dicerent, veraciter tamen de templo Dominici corporis, quod ab eis erat in morte solvendum, et ab ipso post triduum resuscitandum, locuti sunt. Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc: quo utique dierum numero corpus Dominicum in utero Virginis formatum credimus [2], more Scripturarum usitatissimo, annos pro diebus, a toto scilicet partem intelligentes. Quòd autem purificatio non quadraginta sex diebus, sed quadraginta tantum expleri iubetur, mos est Scripturæ usitatissimus, minores numeros quidem causam transcendere solere, infra maiores includere.

Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. Ex quo Domi- Exod. 12. 14.
nus per Ægyptum transiens primogenita Ægyptiorum peremit, et filios Israël inde eduxit, omnia sibi primogenita filiorum Israël consecravit, tam de hominibus, quàm de pecoribus: ea lege, ut pecora quidem, si munda essent, in sacrificio eius offerentur; immunda verò, aut mu-

(1) Amel. cod. *A unum : D quatuor : item A unum : M quadraginta faciunt.*

(2) Non inficiamur hæc verba paulò duriora esse prima fronte; quibus significari videtur conceptionem corporis D. N. Iesuchristi fuisse ad instar ceterorum hominum quadraginta dierum spatio peractam, contra quod cum SS. PP. credimus Catholici omnes adversus Heterodoxos, nempe Spiritus sancti virtute mirabiliter operante fuisse in instanti perfectam. Verùm nè statim condemnemus auctorem, facit non multum dissimilis quidam S. Augustini locus, (quemadmodum in monito ad lectorem diximus) quem videtur hic noster auctor in suo sermone scribendo præ oculis habuisse. Est autem locus Augustini in libro de diversis quæstionibus 83. quæst. 56. *de annis quadraginta sex ædificati Templi*, *Ioan.* 2. 20. in cuius enodatione postquam ordinem, quem natura dicitur a Physicis observare in humani corporis formatione, totidem fere verbis, quibus auctor noster, recensuit, post varias numeri 46. multiplicationes, et combinationes factas, ex quibus tandem numerus dierum, quibus novem menses continentur, eliceretur, concludit: *Non ergo absurdè quadraginta sex annis dicitur fabricatum esse templum, quod corpus eius significabat; ut quot anni fuerunt in fabricatione templi, tot dies fuerint in corporis Dominici perfectione.*

Quem Augustini locum cum nullus non Theologus congrua interpretatione exposuerit, non erit difficile ex illorum commentariis auctoris nostri verba similiter interpretari. Consulatur Petrus Lombardus 3. libro Sent. distinct. 3. atque in hunc Magistri locum eius commentatores, e quibus unus nunc nobis occurrit D. Bonaventura, qui ita loquitur: *Dicendum quod in Scriptura frequenter tunc res dicitur fieri, cum innotescit : et per hunc quidem modum verbum Augustini est intelligendum, quia etsi corpus Dominicum ab instanti conceptionis fuit formatum, non tamen apparuit nec percipi potuit præ parvitate quantitatis molis; sed post quadraginta sex dies ad tantam quantitatem perfectionis deductum est, quod aspectibus hominum patere potuit, &c.*

Digitized by Google

mutarentur, aut redimerentur, aut interficerentur, iuxta quod in lege scriptum est. Primogenitum verò hominis, siquidem ex tribu Levi fuisset, ut dictum est, ibidem detinebatur; si autem ex alia tribu, pretio redemptum ad propria referebatur. Pretium autem erat quinque siclorum post unum mensem pondere sanctuarii.

Allegoricè hæc omnia primogenita unum illum ac singularem significabant primogenitum, qui cum esset in substantia Dei Patris unicus, factus est in substantia hominis primogenitus omnis creaturæ, id est, omnium hominum, iuxta quod Apostolus de
Apoc. 1. 5. eo dicit: *Qui est primogenitus mortuorum et princeps regum terræ*; qui verè ac singulariter sanctus Dominus fuit, quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius. Tropologicè nos quoque omnia primogenita nostra in sacrificio Domini offerimus, cùm quidquid boni per eius gratiam in mente concipimus, non nostris viribus, sed eius gratiæ attribuimus. Immunda nostra pretio quinque siclorum redimimus, cum quæcumque prava per quinque corporis sensus commisimus, digna satisfactione punimus.

Et ut darent, inquit, *hostiam.* Hostia hæc pauperum
Levit. 12. 6. 7. 8. erat: nam in lege præcipiebatur, ut parentes pro puero agnum offerent immaculatum, et turturem sive pullum columbæ. Si verò manus illorum agnum invenire non posset, offerrent duos turtures, vel duos pullos columbarum. Redemptor autem noster, memor per omnia nostræ salutis, non solùm homo pro nobis, verùm etiam pauper homo fieri dignatus est; et pauperem pro se hostiam offerri, ac de pauperibus nasci parentibus voluit, ut nos sua paupertate spiritualium divitiarum et cælestis regni participes efficeret, secundùm quod ait Apostolus: *Cùm* 2. Cor. 8. 9.
esset dives, pro nobis pauper factus est, ut illius paupertate nos ditaremur. Non autem vacat a mysterio, quòd hæ volucres maximè in sacrificio Domini offerri iubebantur; nam per has, quisque mundandus esset, in lege expiari præcipiebatur. Columba enim simplicissimum est animal, et a fellis amaritudine alienum. Turtur verò castitate præeminet, adeo ut si casu proprium perdiderit, deinceps alium non requirat coniugem. Quòd Dominus has aves sibi in sacrificio præcipiebat offerri, significabat se sanctorum castissima simplicitate, quasi gratissimo delectari sacrificio. Notandum etiam quòd utraque hæc avis gemitum pro cantu edere solet, significans geminam sanctorum in hoc sæculo plorationem: quo tam pro reatibus suis deflent, quibus ad liquidum, quandiu hîc sunt, carere non possunt, quàm pro eo quòd diutius a regno differuntur. Quòd verò columba gregatim incedere solet, turtur autem solivagus est; per columbam, activa vita, quæ multorum est communis; per turturem verò contemplativa, quæ paucis est imitabilis, designatur.

Digitized by Google

Et ecce homo in Ierusalem, cui nomen Simeon. Veniens in carne Dominus, non solum ab Angelis, verùm etiam ab omni hominum conditione testimonium habuit; quia dignum erat, ut qui ad salutem omnium veniebat, ab omni ætate, sexu, et conditione ei testimonium perhiberetur. Iam ergo ei testimonium perhibuerat illa sublimis et Angelica dignitas, quando in eius nativitate exultando clamarunt: *Gloria in excelsis Deo.* Perhibuerat Virgo quæ genuerat: perhibuerat et coniugatus Zacharias, cum coniugali sua Elisabeth: perhibuerat puer Ioannes adhuc in utero matris positus. Restabat ut aliquis continens et senex ei testimonium redderet, qui utique talis inducitur, de cuius assertione nemo dubitaret: *Homo*, inquit, *iustus et timoratus.* Bene autem cum dixisset iustus, addidit et timoratus; quia iustitia sine Dei timore custodiri nullatenus valet. Re autem vera iustus erat, quia non suam tantum, quàm totius populi consolationem expectabat.

Luca 2. 14.

Et responsum acceperat a Spiritu sancto. Magnum desiderium habuerunt antiqui sancti Christum videndi in carne, [1] qua eum noverant oraculis Prophetarum ex Virgine nasciturum, ut ipse Dominus manifestavit, quando discipulis in Evangelio ait: *Dico vobis quòd multi Prophetæ, et Reges, et iusti voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt.* Quod huic sancto seni Simeoni gratiâ meritorum concessum est. Accepit quippe [2] responsum a Spiritu sancto quo plenus erat, non visurum se mortem temporalem, nisi prius videret in carne Christum, qui omne humanum genus redimeret. *Et venit in spiritu in templum*: non est putandum quòd sine corpore, solo spiritu in templum venit, illum quem diu desideraverat, visurus.

Luca 10. 24.

Et cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, ut facerent secundùm consuetudinem legis pro eo, et ipse accepit eum in ulnas suas, id est, in brachia sua. Misticè sanctus iste senex mundum designat, quasi longo senio, et gravi iam ætate declivem. Accepit ergo puerum senex Christum in ulnas, quia mundus in ultima sui ætate Dei filium incarnatum accepit, et ab eo vetustate peccatorum exutus, in novam christianæ religionis infantiam est regeneratus. *Et benedixit Deum.* Sciebat beatus iste senex beatos fore, qui Christum in carne viderent: et ideo tam prolixò tempore in corpore optabat manere, donec corporalibus etiam oculis eum cerneret, quasi securus iam de totius humani generis redemptione: *Nunc*, inquiens, *dimittis, Domine, servum tuum in pace.* Ac si diceret: Dimittis in pace, quia video pacem. Christus enim est pax nostra, qui factus est nobis secundùm Apostolum a Deo Patre pax, et reconciliatio. Quare autem se in pace optaret dimitti, manifestat: *Quia viderunt,*

Ephes. 2. 14.

(1) *Qui eum noverant* Amel.

(2) *Responsum in mente* idem.

Digitized by Google

runt, inquiens, *oculi mei salutare tuum.* Salutare Dei Christum Dominum dicit, per quem Deus Pater mundum reconciliavit, et genus humanum æternæ saluti reformavit, ut quicumque vellent in eum credere, in fide et dilectione eum conspicerent. Constat autem Dominum in primo adventu nequaquam ab omnibus populis visum fuisse: sed quod dicit, *ante faciem omnium populorum*, more prophetico, (1) prophetiæ oculum ad futurum diem iudicii intendit, quando Christus per humanitatem ab omni carne videbitur, ut videat eum omnis oculus, et reddat unicuique secundùm opera sua.

Lumen, inquit, *ad revelationem gentium.* Utrique populo Iudaico scilicet, atque gentili Christus lumen extitit; quia utrumque a tenebris ignorantiæ infidelitatis ad verum lumen divinæ cognitionis perduxit. Specialiter autem (2) plebis Israeliticæ fuit: quia ex eodem populo incarnatus, inter eos conversatus, et miracula inter eos eatenus inaudita est operatus. Notandum autem quòd priùs dixit, Christum venisse lumen ad revelationem gentium, deinde ad gloriam plebis Israel: quia prophetali intuitu primùm gentes ad fidem Christi convertendas, postmodum verò Iudæos in fine mundi in eum credituros prævidit. Tale est et illud Psalmistæ, qui cùm de vocatione gentium præ-
Psalm.97. misisset: *Notum fecit Dominus salutare suum, ante conspectum gentium revelavit iustitiam suam;* mox de ultima Iudæorum conversione adiecit: *Recordatus misericordiæ suæ, et veritatis suæ domui Israel.* Huic quoque rei et Apostolus concordat, *Cùm plenitudo*, in- Rom. 11. 25.
quiens, *gentium introierit, tunc omnis Israel salvus fiet.* De qua rursum conversione Psalmista: *Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem*: id est, Iudæi in finem mundi, quasi in vesperam, ad fidem Christi conversi, esurient panem illum, qui de cælo descendit, et ut eumdem Ioan. 6. 59.
accipere mereantur, civitatem super montem Christum positam, hoc est, sanctam Ecclesiam, quasi canes circuibunt, ut quem nunc (3) velut acerrimi venatores impiè insectantur, tunc piè devotionis latratibus tueantur.

Hæc breviter de Evangelicæ lectionis textu dicta sufficiant; quæ licèt satis abundanterque huius solemnitatis causas manifestent, non ab re tamen est, si aliquid de eius vocabulo compendiosiùs dicamus. Vocatur itaque Græco vocabulo *Yppapante*, quod Latinè obviatio dici potest. *Ypante* enim græcè, obviare dicitur. Proinde hæc festivitas tali vocabulo notatur, quia cum Dominus hodierna die in templum a parentibus fuisset delatus, et a sanctis quos plurimos tunc temporis Ierosolymis fuisse non dubium est, ei obviari credimus. Agitur autem hæc festivi-

(1) *Prophetice oculum.... intenditur.* Ita Feu-ard. malè.

(2) *Gloria plebis* Amel. cod.
(3) *Velut cervum venatores*: lect. Am.cod.

vitas mense Februario, quem Romani adhuc pagani a Februo, id est, Plutone sic vocaverunt, quem potentissimum purgationis credebant. [1] Februare enim, purgare dicimus. Quo mense lustrabatur civitas. Cùm enim Romani omnes gentes sibi subiugassent, tributum eis imposuerunt, eo tenore, ut quinto quoque anno idem tributum persolveretur. Quo expleto, et censu persoluto, ab omni populo, ut dictum est, civitas lustrabatur, et diis manibus sacrificia offerebant, quorum auxilio et viıtute totum orbem se subiugasse putabant. Quam lustrandi consuetudinem congruè et religiosè christiana mutavit religio, cum eodem mense, hoc est, hodierna die in honore sanctæ Dei genitricis et perpetuæ Virginis Mariæ non solum clerus, sed et omnis plebs Ecclesiarum loca cum cereis et diversis hymnis [2] lustrando circumeunt; non iam in memoriam terreni imperii quinquennem, sed ob recordationem cælestis regni perennem: quando iuxta Evangelicam parabolam omnes sancti cum bonorum operum lampadibus in fine mundi sponso Christo obviantes, ab eo in thalamum æternæ felicitatis sunt intromittendi. Quò et nos ut admitti mereamur, sanctæ Dei genitricis auxilium sedulò imploremus, ut sua potenti intercessione apud clementiam filii sui nobis omnium impetret veniam criminum, quæ hodierna die purgationem subiit temporalem sine sordibus peccatorum. Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

ADNOTATIO FRANCISCI FEU-ARDENTII.

(1) *Plinius*: Vulgata priscis temporibus opinio obtinuit, Februa esse omnia, quibus malefactorum conscientiæ purgarentur, delerenturque peccata, aut manes defunctorum placidi redderentur. *Varro de Vita Populi Roman.* In eorum sacris liba quum sint facta, incerni solent farris semine, ac dicere se ea Februare, id est, purgare. *Ovidius* 2. *Fast.* Februa Romani dixere piamina patres: Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem. *Et paulò post*: Denique quodcumque est, quo corpora nostra piantur: Hoc apud intonsos nomen habebat avos. *B. Augustinus lib.* 7. *de Civit. cap.* 7. Terminalia eodem mense Februario celebrari dicunt, cùm fit sacrum purgatorium, quod vocant Februum; unde mensis nomen accepit. *Idem lib.* 18. *contr. Faustum Manic. cap.* 5. Ianuarius a Iano appellatus est, Februarius a Februis sacris Lupercorum. *Albinus lib. de Eccl. Offic. De festivitate ista dicit Beda sacerdos et doctor eximius in lib. de temporibus*: Secundum mensem dicavit Numa Februo, id est, Plutoni, qui lustrationum potens credebatur; lustrarique eo mense civitatem necesse erat. Sed hanc lustrandi consuetudinem bene mutavit christiana religio cum in mense eodem, die sanctæ Mariæ, plebs universa cum sacerdotibus ac ministris hymnos modulando, devota per Ecclesias, perque congrua urbis loca procedit, datosque a pontifice cereos in manibus gestant ardentes. *Eisdem verbis eadem tradunt Amalarius Fortunatus lib.* 3. *de Eccl. Offi. cap.* 43. *Rabanus Maurus lib.* 2. *de Institut. Cleric. cap.* 33. *Qui copiosiora desiderat, consulat Ioannem Carnotensem Serm. de Purificat. S. Mariæ, Rupertum lib.* 3. *de Divinis Offic. cap.* 25. *et Guilielmum Mimatensem Episcopum lib.* 6. *Rat. Divin. Offic.*

(2) *Lustrantibus* habet Feu-ard. et paulo infra ubi est *terreni imperii*, edidit *æterni imperii*: quorum utrumque emendavimus ex Amel.

ITEM

Digitized by Google

ITEM SERMO XI.

IN NATIVIT. S. DEI GENITRICIS, SEMPERQUE VIRGINIS MARIÆ.

Audite, fratres, et intelligite: considerate qualiter omnipotens Deus per ineffabilem pietatem suam condidit mundum: et proprietate sua maxima hominem ad imaginem suam plasmavit, et constituit eum colonum paradisi, ut vita perpetua perfrueretur, et Angelorum consortio quotidie congauderet: qui per infirmitatem carnis quam acceperat, promissionem quam accepit, non custodivit, suadente adversario, qui per superbiam perdidit quod habebat, et per invidiam homini nocuit. Ubi enim infirmiorem partem invenit, ibi prius suasit. Per ipsum lapsum quo ipse cecidit, in ipso genus humanum prostra-
Gen. 3. 5. vit. Dixit enim ad mulierem: *Si comederetis ex hoc fructu, eritis sicut Dii, scientes bonum et malum.* Hoc initium peccati superbia fuit, ut homo de terra factus in mente conciperet, ut fieret æqualis Deo. Scire enim voluit, quod nequaquam habere potuit. Tunc enim deiecti sunt de paradiso in hoc mundo in istam convallem lacrymarum, ubi cum labore et sudore vitam suam finierunt, et in ipsa ærumna posteros suos reliquerunt; quia scriptum est: Mors dominata est in Adam, et ita dominabitur in omnes eius filios.

Dum conditor mundi omnia per sapientiam suam (1) considerasset, et tam fragilem mundum, et caducum in omnibus, et pronum semper ad deteriora cerneret, lapsum de bonis, ruere in malis; doluit per magnam pietatem suam, et quem ille pro benignitate ad imaginem suam considerat, et ipse sponte perierat, qualiter revocasset in pristinum locum, ubi eum constituerat, procuravit. In longinquo ergo disposuit per sapientiam suam, ut per semetipsum redimeret, quod per semetipsum plasmavit. Voluit per pietatem suam et omnipotentiam suam visitare mundum, ut ipse qui hominem fecerat, per visitationem suam redimeret. Præparavit sibi vas, ut per ipsum potuisset apparere hominibus. Scriptum est enim, *Sapientia ædificavit sibi domum*, vel templum, Proverb. 9. 1.
hoc est, Mariam Virginem. Consideremus in quantum possumus, quia nec lingua sufficit loqui, quod voluntas cupit proferre, quanta fuit benignitas Dei, ut de tam longinquo inquireret sibi templum, ubi habitaret. Quia Maria Virgo non sic est nata, sicut solent pueri vel puellæ nasci; sed de (2) Anna sterili, et patre iam sene, extra consuetudinem mulierum, post refrigescentem calorem, et sanguinem iam tepidum in pectore refrigescentem, et omnem amorum libidinis discessum, mundo corde et corpore ab omni pollutione carnali, orta est. Sic enim Dominus voluit, ut de tali vasculo mater sua

(1) *Creasset* Feu-ard. meliùs verò Amelian. *considerasset*.

(2) *De anu sterili*: ita Amelianus.

Digitized by Google

sua nasceretur. Quod nunc scimus, quia per Spiritum sanctum illo ordinante, et benigniter præcipiente, præparavit sibi matrem, quæ præcessit omnibus matribus. Talis enim fuit, qualis nec antea visa est, nec habebit sequentem.

Honorabilis dies, et sacra festivitas, in qua nata est Virgo Maria Dei genitrix. Hoc est gaudium nostrum, hæc est festivitas nostra; quia quando voluit fecit, ut nos per suam magnam misericordiam per Virginem visitaret. Exultemus et lætemur omnes in celebrationem hodiernæ festivitatis beatæ Dei genitricis et semper virginis Mariæ, quia præclara et sancta est, in qua inchoavit Redemptor omnium visitationem mirabilem, et nos de captivitate ad pristinum locum revocare dignatus est. Adiuvet nos, quæsumus, ipse omnipotens Deus per gloriosam intercessionem suæ matris, in qua felix eius est inchoata nativitas, ut per eius intercessionem cum eo vivamus, qui propter nos dignatus est mortem suscipere, ut nos cum ipso vitam perpetuam mereamur habere; præstante ipso domino nostro Iesu Christo, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XII.

DE S. MARIA.

Ex cod. Amel. ex quo primus eum edidit P. Florez.

Creator omnium et auctor vitæ, dilectissimi fratres, sicut fides vestra optimè novit, Dominus Deus est, quia scriptum est: *Apud te, Domine, est fons vitæ: et in lumine tuo videbimus lumen.* Psalm. 35. 10. Et Adam primus homo creatus est a Deo valdè benè; sed per Evam suadente serpente deceptus est valdè malè. Auctor verò mortis diabolus est, sicut scriptum est: *Per invidiam diaboli mors introivit in orbem terrarum: et imitantur eum qui sunt ex parte eius.* Sap. 2. 24. 25.

Ipse enim diabolus rectè a Deo conditus est, et in veritate noluit stare; sed mox ut creatus est, per superbiæ suæ vitium offenso creatore, cælesti sede caruit. Quas sedes Dominus reparare cupiens, Protoplastum, scilicet Adam et Evam uxorem eius ex terra in terram condidit, ex quorum genere ruinas vacuas cæli repararet. Sed auctor mortis hanc reparationem invidens, fontem rudem humani generis, tamquam rivulos nativitatis per arva spargeret, venenum suæ mortis immiscere festinavit. Sic ergo genus humanum, quasi unam arborem adhuc in radice teneram, tamquam in propaginis prole prodiret, vitiavit.

Indè est ergo, quòd radix vitiata quotidie indesinenter frondet, frondesque eius indesinenter per mortem marcescunt: et sæpe contingit quòd aurum fulgens reperiatur in luto, et ex pungenti spina, pulchra rubens oriatur et rosa. Hoc enim operante providentia divina, ex radice vitiata sine vitio prodiit virga, quæ intelligitur beatissima Virgo Maria, attestante Isaia Propheta, qui dixit: *Exiet virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.* Isai. 11. 1.

Hu-

Digitized by Google

Huius enim gloriosæ Virginis, id est, sanctæ Mariæ figuram tenuit virga illa, quæ fuit in ministerio Aaron sacerdotis, iubente Domino a sancto Moyse in tabernaculo posita: quæ altero die sola fronduit, nucesque protulit; quia proculdubio sola Virgo Maria fuit, quæ Dominum peperit, et post partum virgo permansit. Per hanc ergo auctor vitæ auctorem mortis patenter damnavit, dum per mulieris filium damnavit mulieris peccatum. Scriptum est enim: *Initium peccati a muliere cœptum est, et nos per illam morimur.* Et iterum: *Adam non est seductus, mulier verò seducta.* Ita e contrario: a muliere cœpit reparatio vitæ, per cuius filium dominum nostrum Iesu Christum omnes resurgimus, quia scriptum est: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.*

Numer. 17. 7. 8. — *Eccli. 25. 33.* — *1. Timoth. 2. 14.* — *1. Cor. 15. 22.*

Videamus ergo, fratres carissimi, qualiter sibi istæ duæ mulieres distent. Ad Evam enim auctor mortis per tortuosum serpentem mortem suasit; e contra beatæ Mariæ auctor vitæ per Gabriëlem Archangelum salutis auxilium misit. Evæ enim suasit diabolus, ut comederet cibum vetitum; Mariæ nuntiavit Angelus, quòd conciperet per obedientiam promissionis filium.

Eva comedens prohibitum pomum et sibi nocuit et viro; beata Maria concipiens nobis datum filium, sicut scriptum est, *puer natus est nobis, filius datus est nobis*, et feminis profuit et viris. Illa enim in animo furto rapere visa est divinitatis essentiam, attestante sanctæ Trinitatis eloquio: *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis*; Maria autem humilem se confitetur Domini esse ancillam: ait enim ad Angelum: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Sancta Maria per obedientiam humilitatis obumbratur a virtute altissimæ divinitatis; Eva per corruptionem concipiens, et in dolore pariens, sub viri potestate fuit. Maria per mysterium Spiritus sancti fide concipiens, gaudio pariens: inde Reges, et Principes ovantes eius cupiunt subiici potestati. Eva de paradiso mittitur ad exilium; Maria de exilio huius sæculi elevatur ad cælum.

Isai. 9. 6. — *Genes. 3. 22.* — *Luce 1. 38.*

Eva timens post partum absconditur inter ligna paradisi; Maria virgo gaudens post partum circumdatur cætibus Angelorum cælestis militiæ dicentium cum gaudio: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Eva posteros ex sua carne nascentes homines transmisit ad inferos; benedicta Maria ex sua prole natos dirigit ad cælos. Ex carne Evæ dicuntur filii hominum; ex beatæ Mariæ filio renati non dicuntur filii hominum, sed filii Dei. Ut quid ulterius immoror protrahendo plurima? Eva obfuit, Maria profuit. Eva luxit, Maria illuxit. Sileat ergo nunc a feminis per beatam Mariam mortifer et malè suasibilis sibilus, quia iam sumus omnes redempti per gloriosæ Virginis Mariæ filium. Cadat et improperium Evæ, quia universi sumus læti per partum sanctæ Virginis Mariæ.

Luce 2. 14.

Digitized by Google

Exultet et lætetur celebrando hunc diem solemniter Christianorum caterva, quia vita quam destruxerat Eva, reparatur per beatam Mariam. Sed et potius gaudete, beatæ puellæ, Virgines Christi, quæ per exemplum beatissimæ Mariæ, sanctissimæ virginis, carnales nuptias contemnentes, dolorem partus, potestatem viri, curam carnis, luctum pignoris, et sollicitudines mundi evadentes, ut sine impedimento vivere studeatis, et probetis, sicut nos monet beatus Apostolus dicens: * Dominum exorando, terrena desideria respuendo, polum in dote merebimini, quia sociatæ beatæ Mariæ thalamo Christo placebitis. Funera non plangetis, cum sine fine gaudia sumetis; quia immortaliter vivit amor vester Christus Dominus Iesus. Et quia semper vivit Christus, cum quo est amor vester, regnaturæ estis et vos pariter cum omnibus sanctis. Fusis ergo precibus, fratres carissimi, cuncti Dominum communitèr deprecemur, ut qui sanctæ Mariæ Virginis dignatus est propter nostram redemptionem, nostramque salutem habitare nobiscum, et qui eam super astra cæli ac super virginum choros facit regnare in cælestibus, ipse nos, eius meritis suffragantibus, iubeat fieri in sanctorum congregatione participes, ut non inveniat in animabus nostris ille sævus accusator quod perimat; sed eius immensa pietas nos misericorditer pertrahat ad coronam: qui vivit et regnat cum Deo Patre per omnia sæcula sæculorum. Amen.

* Hic desiderantur verba Apostoli ad orationis contextum.

Heic desinit cod. Amelianus.

ITEM SERMO XIII.

IN DIEM SANCTÆ MARIÆ.

Editus a P. Florez ex codic. suo MS. sæculi XIII.

Exhortatur nos Dominus Deus noster pariter et admonet, dicens: *Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus unus est.* Deut. 6. 5. Deus noster hic non potest extimari, non potest mutari, non potest numerari, dicente propheta David: *Magnus Dominus noster, et magna virtus eius, et sapientiæ eius non est numerus.* Psalm. 14. 6. 5. Optime nostis ista, fratres carissimi, qui corde fortiter tenetis catholicam veritatem; audite tamen breviter quod adiuvante Domino proposui explanandum. Deus unus est Pater, Deus unus est Filius, Deus unus est Spiritus sanctus. Non tres Dii, sed unus Deus. Tres in vocabulo, sed unus in Deitate substantiæ. Sed dicet mihi hæreticus: ergo si unum sunt, omnes sunt incarnati. Non: sed ad solum Christum pertinet caro. Nempe aliud est anima, aliud ratio; etenim in anima est ratio, sed una est anima. Sed aliud agit anima, aliud ratio. Anima vivit, ratio sapit. Ad animam pertinet vita, ad rationem pertinet sapientia. Et licèt unum sint, anima sola suscipit vitam, ratio sola suscipit sapientiam. Sic et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus licèt unum sint, et unus Deus sint, ad solum Christum pertinet caro, sicut ad solam rationem pertinet sapientia.

In sole candor et splendor uno ra-

radio sunt ; sed calor exsiccat, splendor inluminat. Aliud suscipit calor, aliud splendor. Et licèt calor et splendor ab invicem non queant separari, suscipit calor fervorem, non inluminationem : suscipit splendor inluminationem, non fervorem. Aliud simul, aliud singulares agunt ; tamen ab invicem non separantur. Sic et Filius suscepit carnem, et non deseruit Patrem, nec defuit a Patre. Suscepit, inquam, Filius carnem in proprietate, sed tamen et Pater et Spiritus sanctus non defuerunt maiestate. In divinitate æqualitas, in carne sola Filii proprietas : non tamen ab eo Patris, et Spiritus sancti recessit aliquando divinitas. Cum ergo una sit deitas, una sit divinitas, impleverunt quidem carnem Christi et Pater, et Spiritus sanctus; sed maiestate, non susceptione. Vis scire, quòd cum
Ioan. 8. 16. eo fuit Pater ? Ipse Dominus dicit : *Non sum solus, quia Pater mecum est.* Audite et de Spiritu sancto, quia cum eo erat:
Luc. 4. 1. Evangelista testatur, quia Iesus egressus a Iordane plenus Spiritu sancto. Ecce sic solus dominus noster Iesus Christus suscepit carnem, et tamen Pater, et Spiritus sanctus non defuerunt maiestate. Si cælum et terram implet Pater, implet et Spiritus sanctus : carnem Christi deserere non potuerunt, quando in divinitatis unitate manserunt.

Ad hoc citharam respice, ut musicum melos sonis dulcibus reddat, tres pariter esse videntur : ars, manus, et chorda. Et tamen unus sonus auditur. Ars dictat, manus tangit, resonat chorda. Tria quidem pariter operantur, sed sola chorda resonat quod auditur. Nec ars, nec manus sonum reddunt, sed ea cum chorda pariter operantur. Sic nec Pater, nec Spiritus sanctus suscipiunt carnem, et tamen cum Filio pariter operantur. Sonum sola chorda excutit : carnem solus Christus accepit. Operatio in tribus constat ; sed quomodo pertinet ad solam chordam soni retinctio, sic pertinet ad solum Christum carnis humanæ susceptio.

E contra Iudæus : Contra naturam, inquit, parere virgo Maria non potuit. Et detestandus Manichæus: Si caro, inquit, erat, virgo esse non potuit : si virgo peperit, phantasma fuit. Utrisque respondendum est. De historia veteris Testamenti necessarium exemplum contra Iudæum. Dominus sancto Moysi præcepit de Num. 17.
singulis tribubus singulas virgas afferri. Adlatæ sunt duodecim virgæ ; inter quas una erat, quæ Aaron fuerat sacerdotis. Positæ sunt a sancto Moyse in tabernaculo testimonii. Virga autem Aaron post alterum diem invenitur subitò produxisse flores, et frondes, et peperisse nuces. Delectat hoc mysterium cum caritate vestra contra perfidiam iudaicam commisceri, ubi maximè figura intervenit sacramenti. Virga hæc protulit quod ante non habuit, nec radicata plantatione, nec defossa sarculo, non animata succo, nec fecundata seminario ; et tamen cum illic deessent universa iure naturæ, protulit virga quod nec semine suggeri potuit, nec ra-

radice. Virga ergo potuit contra naturam nuces educere; et Virgo sancta Maria non potuit contra naturam ex iussu Dei filium generare? Dicat igitur mihi Iudæus incredulus, quemadmodum arida virga floruit, et fronduit, et nuces protulit: et ego dicam illi, quemadmodum Maria Dei filium concepit, et peperit. Profectò Iudæus nec conceptum poterit virgæ explicare, nec Virginis partum. Veniat ad Ecclesiam: exponitur illi, ut agnoscat. Verumtamen ordinem officii naturaliter Virgo peregit, expectans tempora pariendi; virga autem non habuit tempora germinandi: Virgo enim decursis novem mensibus peperit; virga autem alia die, quod natura non habuit, germinavit. Sed Virginem dicis parere, natura nullatenus patitur. Deus enim qui mirabile signum ostendit contra naturam, ut asina loqueretur, ipse mirabilius facere voluit, ut Christus de sancta Maria Virgine nasceretur.

Num. 22. 28.

Audiat et versutus ille Manichæus aliud sacramentum. Solis radius specular penetrat, et soliditatem eius insensibili subtilitate pertraiicit: et talis videtur intrinsecus, qualis et extrinsecus. Itaque fratres, nec cum ingreditur violatur, nec cum egreditur dissipat, quia in ingressu et egressu eius specular integrum persevérat. Specular ergo non rumpit radius solis; integritatem Virginis ingressus aut regressus vitiare poterat Deitatis?

Sed quid ulterius immoror? Audiat Christianus quod non vult audire Iudæus, vel hæreticus Manichæus; ut hic proficiat in fide redemptus, ille autem deficiat induratus. Virga illa unde aiebamus Aaronis Virgo Maria fuit, quæ verum nobis Christum sacerdotem concepit, et peperit, de quo David cecinit dicens: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Superiore namque versu iam dixerat: *Virgam virtutis suæ emittet Dominus ex Sion, et dominabitur in medio inimicorum suorum.* Esaias quoque Propheta repletus Spiritu sancto canit, et dicit: *Exiet virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet: et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiæ, et pietatis, et replevit eum spiritu timoris Domini.* Quòd ergo hæc virga nuces protulit, imago Dominici corporis fuit. Nux enim trinam habet in suo corpore substantiæ unionem: corium, testa, et nucleum. In corio caro, in testa ossa, in nucleo interior anima designatur. In corio nux carnem significat Salvatoris, quæ habuit in se asperitatem vel amaritudinem passionis. In nucleo interiorem declarat dulcedinem deitatis, quæ tribuit pastum, et luminis subministrat officium. In testa lignum interserens crucis, quod non discrevit in quod foris, vel intus fuit; sed quæ terrena et cælestia fuerant, mediator ligni interpositione sociavit.

Psalm. 109. 5.

Isai. 11. 1. 2. 3.

Sed quia non desunt qui dicant, non posse fieri, ut Christus de Maria Virgine nasceretur, asserentes, cum sint immundi, quod pars

Digitized by Google

pars illa corporis fuerit turpis. Quòd si aliquid ibi fuisset immunditiæ, sua præsentia Dominus purificaret. Adtende solem radios suos ubique mittere in sordibus, in cloacis, in locis etiam squalidissimis. Immunde hæretice: cloacas intrat sol, et non inquinatur; Deitas potuit inquinari a vulva Virginis? Anima tuá impia, anima infidelis et tenebrosa, quæ ista sibi confingit, adtendens spiritibus erroris, ubi est? Numquid tantum in capite? Numquid tantum in oculis, et non etiam in intestinis tuis, ubi sunt stercora tua? Immunde hæretice: anima tua non inquinatur ab stercore tuo, et Iesus inquinari potuit ab opere suo?

Sunt etiam qui dicunt, quia sancta Maria habuerit filios ex Ioseph post partum Domini, quod nefas est dici. His breviter respondemus. Genitalia ex quibus in mundum procedimus, portæ dicuntur; et non solum dicitur, sed etiam scribitur. Sanctus enim Iob sic dicit de die nativitatis suæ: *Qui non conclu-*
Iob 3. 10. *sit,* inquit, *portas ventris matris meæ, ne me pareret.* Iam videte, fratres, quomodo porta, per quam ingressus est Dominus, semper fuerit clausa. Sic enim ait
Ezech. 44. 1. Ezechiël Propheta: *Et converti me*, inquit, *ad viam portæ sanctuarii, quæ respiciebat ad orientem, et ecce erat clausa. Et dixit Dominus ad me: porta hæc, quam vides, clausa erit, et non aperietur. Vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israël egredietur per eam, et semper erit clausa.* Ecce ubi evidenter ostenditur nobis, quia sancta Maria semper virgo fuerit. Virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum. Cantet ergo tibi, Domine, omnis terra canticum novum, quia fecisti in cælo novum: ut virgo sine virili complexu virilem conciperet et pareret sexum. Concepit, et virgo est: generat, et virgo est: lactat, et virgo est. Maria sancta, hæretice, mater esse potuit, mulier esse non potuit. Intumescunt ubera virginis, et intacta manent genitalia matris. Utique corrumpi non potuit quæ integritatem genuit. Magnum meritum, magnum donum, magna gratia. Ancilla peperit Dominum, creatura peperit creatorem, filia peperit patrem: filia divinitatis, mater humanitatis. *Verbum caro factum est, et* Ioan. 1. 14.
habitabit in nobis.

EIUSDEM SERMO XIV.

Ex cod. MS. P. Florez.

Carissimi, Filius Dei sine tempore natus ex Patre, quid erat antequam veniret in homine? Facite itaque vos quæsisse, et dixisse: Antequam Christus de Maria Virgine nasceretur, putas erat, aut non erat? His cogitationibus respondet ipse Dominus: quando enim ei dictum est a Iudæis, *quin-* Ioan. 8. 57. 58.
quaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? respondit, et dixit: *Amen dico vobis, ante Abraham ego sum.* Ergo erat. Sed quid erat? Ne fortè aliquis dicat, Angelus erat, audite oraculum. Sanctum Evangelium respondet vobis. Nostis, quod erat

Digitized by Google

erat Christus, et quæritis quid Iohan. 1. 1. erat? *In principio erat Verbum.* Ecce quid erat. In principio erat Verbum: non in principio factum est Verbum, sed erat Verbum. Dic quale Verbum? Vis audire quale Verbum? *Et Deus erat Verbum.* O Verbum! Tale Verbum quis explicet verbis? *Et Deus erat Verbum.* Sed fortè Deus factus est a Deo? Absit. Unde scimus quòd absit? Noli dicere factum. Audi quod sequi- Ibid. 3. tur Evangelium: *Omnia per ipsum facta sunt.* Omnia quid est? Omne quidquid factum est a Deo, per ipsum factum est. Quomodo ergo ipse factus est? Numquid ipse se fecit? Postremò si ipse se fecit, erat qui se faceret. Si ergo qui se faceret erat, numquam deerat.

Quomodo ergo in Virgine tale Verbum? Quomodo Verbum Dei in utero Virginis? Angelos non deseruit, Patrem non deseruit. Quomodo ergo in illo utero includi potuit? Absit. Esse potuit, includi non potuit. Quomodo, inquit, esse potuit tantus in loco tantillo? Ergo nec capit uterus quem non capit mundus. De verbo meo vobiscum ago. Ecce quod loquor, quod vobis dico, hoc comprehendite. Hoc certè miramur, quomodo Christus carnem accepit? De Virgine natus est, et a Patre non recessit. Ecce ego quod loquor vobis antequam ad vos proferam verbum, iam in corde habeo verbum. Non enim dicerem vobis, nisi antea cogitarem. Quando cogitavi quod vobis dicerem, iam in corde meo verbum erat. Et quærebam, quomodo veniret ad te, quod erat in me. Attendi cuius linguæ esses. Inveni te latinum. Latinè tibi proferendum est verbum. Si autem Græcus esses, græcè tibi loqui deberem, et proferrem ad te verbum græcum. Prorsus verbum quod est in corde meo, antecedit linguas istas. Quæro illi sonum, quasi vehiculum, unde perveniat ad te, quod non recedit a me. Ecce audistis, et quod erat in corde meo, iam est et in vestro. Et in meo est, et in vestro est. Et vos habere cœpistis, et ego non perdidi. Sicut verbum meum adsumpsit sonum, per quem audiretur, sic verbum Dei adsumpsit carnem, per quam videretur. Et sicut verbum meum quod ad vos accessit, a me non recessit; sic verbum Dei cum in utero matris fuit, Patrem penitus et cælestia non reliquit. Quia qui per humanitatem gignebatur in carne, per divinitatem cum Patre regnabat et regnat ubique. In utero Virginis ita teneri potuit, includi non potuit. Sicut sapientia hominis animo reunitur, nec tamen quolibet vinculo religatur; sic quoque magnus Deus parvo Virginis habitavit in utero, sicut semper habitat in corde purissimo. Quantum potui dixi. Et tamen quid dixi? Quis dixit? Homo loqui vult de Deo. Tantus est, talis est, ut nec loqui eum possimus, nec de eo tacere debeamus. Accipiat in voce nostra affectum, non defectum. Gratias tibi, Domine, quia volui dicere. Quàm longè est a tua magnitudine quod dixi, tu scis. Tamen de mo-

Digitized by Google

modicis micis mensæ tuæ pavi conservos meos. Pasce tu interius quos regenerasti, et nutristi. Domine Deus nos voca, ut ascendamus ad te: firma, ne recedamus a te. Ut cum nos in hac vita cum pietate correxeris, et ad te sine confusione perduxeris, laudemus nomen tuum in sæcula sæculorum. Amen.

DEO GRATIAS.

FINIS OPERUM DUBIORUM S. ILDEPHONSI ARCHIEPISCOPI TOLETANI.

AP-

Digitized by Google

APPENDIX
OPERUM SUPPOSITORUM SANCTO ILDEPHONSO.

LIBELLUS DE CORONA VIRGINIS.

PRÆFATIO.

Dubia Ildephonsi opera sequuntur ea, quæ ipsi falsò adscripta comperimus. In quibus primus nobis censendus occurrit libellus inscriptus: CORONA B. MARIÆ VIRGINIS, *quem ipsi adiudicare laboravit ante omnes Petrus de Alva, e Franciscana Familia Theologus satis notus cum propter multam doctrinam, tum verò maximè ob insignem in Dei genitricem devotionem, cuius cultui gloriæque sese totum multos annos mancipasse videtur. Hic ergo in tom.2. Bibliothecæ Marianæ, quam maximo conatu adgressus, morte præoccupatus affectam reliquit, hanc Coronam edidit sub hoc titulo:* CORONA B. MARIÆ V. AUCTORIS ANONYMI; FORTE ILDEPHONSI ARCHIEPISCOPI TOLETANI. *Fatetur equidem, in MS. vetusto S. Ecclesiæ Toletanæ, ex quo eam primus evulgabat, sine auctoris nomine reperiri. Quem auctorem cum frustra quæsiisset, consulens catalogos Scriptorum Ecclesiasticorum, quos constasset Coronas Virgini calamo contexuisse, subiit illius animum cogitatio illa, forte non alteri quàm S. Ildephonso Toletano fuisse adscribendam. Huic coniecturæ aliquæ rationes suo iudicio favebant, quibus eo lubentiùs permoveri se passus est, quo sibi videbatur domesticæ laudi ea ratione pulcherrimè ac honestissimè inserviri posse.*

Verumtamen, quamquam libellus ea est pietate ac doctrina conscriptus, ut Ildephonso nostro dignus fuerit, tot habet in se notas, tamque aperta alterius auctoris indicia, ut sine iniuria adscribi S. Ildephonso non possit.

Namque rem vel leviter examinantes, elocutionis genus totum est ab Ildephonso alienum, atque sæculo XII. penitus conforme. Quod ex canticis sive rhythmis apparet, quibus undique conspersa est oratio: qui cum versibus Leoninis constent, sæculo XII. posteriores esse nemo dubitabit. Idcirco enim Leonini appellati sunt, sive quòd a Leone quodam Monacho Gallo eo sæculo inventi fuere, ut placet Ducangio aliisque non paucis; sive quòd ab eodem Leone frequentari cœpti eodem sæculo. Illud certum, Patribus Gothis huiusmodi carminis genus in usu non fuisse, ut ex S. Eugenii versibus exploratis colligi potest. Ea enim carmina quæ sub Ildephonsi nomine circunferuntur a Pseudo-Iuliano et aliis, commentitia sunt, et proprio cerebro conficta.

Quæ

Digitized by Google

Quæ omnia etsi minus valerent ad id evincendum, attamen auctoritates, quæ in hoc libello leguntur ex S.Bernardo desumptæ, litem dirimere videntur, omnemque dubitationem de medio tollere. Videsis in cap. 17. orationem illam D.Bernardi, quam nemo non memoriter recitare solet : In periculis, in rebus dubiis, etc.

Itaque quæ pro S. Ildephonso congerit pio studio laudatus Alva, leviora sunt, quàm ut quemquam movere possint. Quòd enim asserit in eodem cod. MS. alia quædam opuscula explorata eiusdem S. Doctoris reperiri, quàm levis momenti sit, iam sæpe nos ostendisse meminimus. Neque codicis vetustas aliquid momenti adfert, nisi sæculo XII. multò antiquior esset, quod negamus. At verò Ildephonsum in Mariam Deigenitricem insigniter devotum opuscula in eius laudem scripsisse constat. Equidem ita est; sed opusculum quale fuerit scimus, et cuius argumenti: atque DE CORONA VIRGINIS *nullum inscriptum legimus. Præterea de stilo totiusque sermonis habitu quidquid adducitur, eiusmodi est ut per se totum evanescat; vix enim aliquid habet cum stilo Patrum Gothorum commune. Qua in re ad iudicium lectoris non ineruditi, quemadmodum sæpe aliàs fecimus, libenter provocamus.*

Ut ut res sit, libellus certè dignus est, qui ab omnibus legatur: legi enim vix posse credimus sine intimo quodam pietatis et devotionis sensu erga Deiparam. A nobis autem necessariò edendus fuit et propter Petrum de Alva, et propter alios multos ad quos ex Alva opinio illa manavit, esse Ildephonsi nostri fœtum. Fecimus autem sicut et in ceteris, ut cum cod. MS. Bibliothecæ S. Ecclesiæ Toletanæ ex pluteo 5. num. 9. (diverso absdubio ab eo codice quem vidit Petrus de Alva, nos verò minime reperimus) collatum, emendatumque quantum in nobis fuit, ederemus. Vale.

INCIPIT PROLOGUS
IN CORONA BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.

Eccli. 45. 14. *Corona aurea super caput eius expressa signo sanctitatis.* Gloriosæ Virginis imperatoriam maiestatem, omnium virtutum gloria decoratam, margaritis omnium charismatum adornatam, sapientiæ et scientiæ (1) fulgore illustratam laudare, benedicere, et prædicare docent Scripturæ, hortantur creaturæ, monent figuræ, peneque (2) omnes scientiæ Theologicæ sacræ paginæ. Ad hoc etiam incitamur per signa mirifica, per oracula de cælo lapsa, per occulta mysteria, per doctrinam propheticam, per significationem mysticam, per lectionem Evangelicam, per Apostolicam tubam. Iam enim laudant eam cæli cælorum, sol,

 et

(1) *Fulgore* deest in Alvæ editione.

(2) *Omnis* Alva.

Digitized by Google

et luna , et stellæ , et lumen, totus orbis terrarum , chori et legiones Angelorum , et omnes phalanges spirituum supernorum. Quapropter Spiritu sancto inspirati [1] sancti Dei homines ex omni natione, quæ sub cælo est, conati sunt illam extollere mirandis laudibus, deauratis eloquiis, sermonibus rutilantibus et præclaris. Ego verò, cui tam opulenter ac splendidè non sunt data dona charismatum, illam ex infusa scintillula elucidabo, vel pro posse, licèt balbutiens [2] vernula, demonstrabo, ne ingratus inveniar ad ubertatem eius degustatam. Ut autem iuxta verbum prælibatum eius sanctissimus vertex ornatu ampliori refulgeat, impono illi quamdam coronam auream, duodecim lapidibus insignitam, sex præclaris [3] luminibus splendidam, sex floribus pulcherrimis odoriferam, et omni suavitate respersam. Ordo autem situationis hanc seriem continebit. In primo loco inseram Topazion, in 2. Lucanum, in 3. Sardium, in 4. Lilium, in 5. Calcedonium, in 6. Arturum, in 7. Sapphyrum, in 8. Crocum, in 9. Achatem, in 10. Sidus marinum, in 11. Iaspidem, in 12. Rosam, in 13. Carbunculum, in 14. Solem, in 15. Smaragdum, in 16. Violam, in 17. Amethystum, in 18. Lunam, in 19. Chrysolitum, in 20. Solsequium, in 21. Chrysopasum, in 22. Oriona, in 23. Beryllum, in 24. Camamillam. Ut tam ex pretiosis lapidibus, quàm ex luminaribus fulgentibus, quàm etiam ex decoris floribus corona insigniùs nobilitetur, pulchrificetur, et decoretur, et a Domina placentiùs et gaudentiùs acceptetur. Unde rogo te, alma Virgo, mundissima, sincera, et clarissima, Regina nobilissima, ut hoc tantillum servitii gratanter suspicias, in tua gratia sub tuo præsidio me suscipias, et omnibus ereptum periculis, quandoque choris Angelicis me coniungas. Filiis verò gratiæ hîc te glorificantibus vel tuam opem poscentibus te exhibeas, rogo, placidam ac serenam : tuo obtentu mereantur veniam de peccatis: tuo ducatu perveniant ad gloriam paradisi. Amen.

EXPLICIT PROLOGUS.

CAPUT I.

Ostenditur, qua ratione corona hæc nostræ Dominæ esse debeat.

In desiderio animæ meæ, in gaudio Spiritus sancti, in caritate non ficta, in verbo veritatis te cupio extollere, te laudare, te benedicere, Virgo sole speciosior, aspectu pulchrior, fide et gratia vernantior; cùm sis pulcherrima, et serena, clara, fulgens, et amœna, amabilis velut rosa, placens, grata, et speciosa. Verùm tanta est dignitas tua et excellentia, quòd si ad laudandum et glorificandum te linguis hominum loquar et Angelorum, et noscerem omnia arcana mysteriorum, habe-

(1) *Sancti* addimus ex MS. nostro.
(2) *Vernulam* edebat Alva malè: quod emendavimus ex MS.
(3) *Lucibus* Alva.

Digitized by Google

beremque et omnem scientiam Scripturarum, priùs mihi deficeret virtus et potentia, quàm tantorum præconiorum eorum exordii forent explicata ad liquidum elementa. Tu enim es incomparabilis cunctis mulieribus in pulchritudine, in decore, et in elegantia: clarior omnibus hominibus in virtute, gratia, et sapientia: gloriosior Angelis in eminentia dignitatis, in excellentia [1] sanctitatis, in adeptione gloriæ et honoris. Exaltata super choros Angelorum, super thronos Apostolorum, et Prophetarum, omniumque civium supernorum, ad dexteram amantissimi Filii tui coronata resides. Ibi tua merita recitantur, tua præconia gloriosè extolluntur, tuæ laudes et prærogativæ venerabiliter et devotissimè ab omnibus prædicantur. Quid ergo ego miser et peccator addere possum ad tam ineffabilia? Sed ad hoc tantùm hic stilus meus ducitur, ut tuæ laudis ibi stilla aliqua dirigatur. Corona hæc quam tibi, Domina, polliceor, meritò debet esse aurea; nam ut aurum excellit omnia genera metallorum, sic tu, Domina, in cælo et in terra super omnes obtines principatum. Tibique omne genu curvatur cælestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confitetur, quòd Mater domini nostri Iesu Christi in gloria es Dei Patris, amicta solè sicut vestimento, coronata serto splendifero duodecim stellarum, gloriâ et splendore decorata: et sicut aurum claritate conspicuum, et formâ decorum, sic tu, Domina, es sanctitate clarissima, virtutibus et miraculis fulgentissima, præclaris meritis radiantissima, mente et corpore formosa et decora.

ORATIO.

Virgo Regina, sole induta, duodecim stellis coronata, in cælis exaltata, cùm sis pia, et omnibus viscerosior, maris stella serenior, vide hostilia iacula quibus confodior, aspice dolores quibus excrucior, cerne tentationes quibus illidor. Ne diù hostis sæviat, ne prosternat, ne subiiciat, dextera tua ipsum deiiciat, infernus deglutiat: et ne in morte caliget oculus fidei, tunc mihi refulgeat radius tuæ claritatis. Dum corpus necat mors dura et aspera, et mentem turbant mala præterita, dum contremiscit tota conscientia, assistat nobis tua præsentia: et ne perturbemur ab adversariis, defende nos tuis præsidiis. Transeamus cum spe sanctæ resurrectionis securi de gloria perpetuæ claritatis. Amen.

CAPUT II.

Topazius lapis pretiosus in corona Virginis.

[2] Omnium gratiarum Virgo plena, tota clara et serena, sanctum et benedictum reclinatorium, aureum et perlucidum, in decorem et gloriam Dei filio coaptatum, ad laudem et gloriam tuæ excellentiæ, in primo loco tuæ coronæ

(1) Ubi MS. habet *sanctitatis* repetit Alva *dignitatis*.

(2) *Omni* edidit Alva.

Digitized by Google

næ inclitæ affigo lapidem Topazion, splendorem omnium lapidum [1] superantem; qui benè ad ornatum tuæ nobilis coronæ pertinet, eo quòd tu, dulcissima Domina, ut cunctas feminas vincis pulchritudine carnis, sic et omnes sanctos et omnes Angelos superas excellentia sanctitatis. Nam omnis vita tua, cunctis extitit sanctitatis exemplar et perfectionis, et morum disciplina regularis. Si in fide quis commendatur, quis in illa locupletior te? Si in spe, quis longanimior? Si in caritate, quis ferventior? Si in religiositate, quis honestior? Quis studiosior in lectione? Quis devotior in oratione? Quis subtilior in contemplatione? Quis viscerosior in pietate? Quis mansuetior in lenitate? Quis purior in castitate? Quis mundior in virginitate, et in temperantia? Quis copiosior in scientia? Quis eloquentior in iustitia? Quis fortior contra adversa? Quis sanctus, vel Angelus divina arcana profundiùs penetravit? Quis copiosiùs divinam gratiam ad se traxit? Quis altissimam maiestatem limpidiùs et clariùs contemplatus fuit? Meritò ergo, Domina, in ornamento tui capitis obtines Topazium, omnibus lapidibus præstantiorem; quia tu omnes sanctos et Angelos superas in pulchritudine virtutum, in splendore charismatum, et in coronis meritorum. Idcirco propter omnium bonorum quam possides pulchritudinem, et totius misericordiæ affluentissimam ubertatem, peccatores trahis ad veniam, pugnatores perducis ad bravii coronam, iustos ducis ad gloriam incorruptam. Tu, Domina mundi, Regina cæli, servitutem ademisti, libertatem restituisti, sustulisti mortem, vitam donasti, dum salvatorem nostrum Dei filium peperisti. Tu, Domina, in angustiis nos recreas, in adversis confortas, in infirmitatibus corroboras, in morte liberas, a dæmoniis nos eripis, a morte perpetua subtrahis, paradisi ianuam nobis pandis, Redemptori nostro coniungis. Tu, mater indulgentiæ, ligata solvis, soluta reseras, adversa mitigas, contrita sanas, reos solvis, reficis delinquentes, lapsos relevas, recreas desperatos, honorem renovas, fiduciam reformas, vires gratiamque infundis. Tu indignationem compescis, amissam hereditatem restituis, nos separas a diabolo, purificas a peccato, reconcilias Deo.

ORATIO.

O! [2] Virgo aurea, mater Dei sanctissima, Angelorum gratulatio, Patriarcharum exultatio, Prophetarum lætitia, Apostolorum gaudium, Martyrum suavitas, Confessorum dulcor, Virginum harmonia, pias aures ad me flecte, illos tuos misericordes oculos ad me converte. Cæcus sum, lumen infunde; infirmus sum, salutem tribue; mortuus sum, vivifica me. Tuo enim aspectu mellifluo lætificantur gemebundi: tuo tactu [3] lenissimo sanantur infirmi: tuo

(1) Malè Alva *imperantem.*
(2) *Virga aurea* MS.
(3) *Levissimo* Alva.

Digitized by Google

tuo odore roseo mortui reviviscunt : et omnia bona , quæ fiunt in cælo , vel tuis meritis donantur , vel tuis precibus obtinentur. Respice igitur , Domina , hunc peccatorem miserum , peccatis tenebrosum , multis miseriis circundatum. Per te , Virgo sanctissima , mea vincula dirumpantur, mea debita dimittantur , mea diruta reparentur , mea vetera renoventur , mea confracta solidentur , mea perdita restaurentur, mea imperfecta perficiantur. Per gratiam tuam voluntas mundetur , mens resplendeat , animus inflammetur , liquescat pectus, dulcescat gustus , aspectus decoretur. Adiuva me lucerna per quam illuminor , dulcedo per quam reficior , virtus per quam consolidor , fortitudo per quam sustentor. Longè fac a me verbum iniquum et dolosum, cogitatum (1) malignum , opus nefarium. Gratiâ tua totam dirigat vitam meam ; præsentia tua illustret meam mentem ; misericordia tua me perducat ad vitam æternam. Nam verè tu es (2) vita recta ad illam gloriam, prout hîc unitur. O Mater ! qua tenditur ad cæli fastigium , hîc per te recipitur conventus humilium. Favus , et mel dulzoris , et candor floris: mundi domina , caritatis nectura, amoris coniunctura, mundans crimina : virginalis dignitas decorata lilio , fecunda virginitas exaltata solio : Angelorum Regina, salutis medicina , flos convallium; virtutum disciplina , munditiæ cortina, lumen cordium : Regina supernaturalis, carina (3) mundialis, Christi solium , duc tecum parvulorum ad gloriam sanctorum (4) post exilium. Amen.

CAPUT III.

Lucanum sidus in corona Virginis secundum locum obtinet.

Tu igitur, Virgo præclara , felix cæli porta, amœnitas paradisi , Angelorum domina , Regina mundi , sanctorum lætitia : advocata credentium , fortitudo pugnantium , revocatrix errantium, medela pœnitentium : ad laudem et gloriam tuæ imperialis maiestatis , in secundo loco tuæ coronæ gloriosæ affigo Lucanum. Est autem Lucanum corpus sphericum et rotundum , clarum et lucidum, pulchrum et gratiosum: quæ omnia , sanctissima , valde tibi conveniunt : idcirco merito in corona tua debet situari. In forma circulari et rotunda æternitas designatur, non habens principium , neque finem : nam licèt tu, Domina, esse cœperis ex tempore , (5) coram Deo quodammodo æterna extitisti, eo quòd a sua maiestate fuisti æternaliter præordinata, (6) ante mundi constitutionem

(1) *Malignum* deest in Alvæ edit.

(2) Locus hic depravatus est nec minus in nostro codice , quàm in Alvæ edit. Nam primò *vita* in utroque legitur , cum fuerit apertè scribendum *via* : deinde *prout hic unitur* nihil significat , sicut nec *sinitur*, quod nos in MS. legimus. Tandem Alva conlectatur pro *O Mater* ! legendum *amatur*, quod tamen nec sensum aperit sententiæ.

(3) *Mundialis* supplevimus ex MS. et certe desideratur ad rhythmi consonantiam.

(4) *Post* deest in edit. Alvæ.

(5) Corruptus hic locus in Alvæ edit. *Corona Deo quodammodo æterna Deo extitisti.*

(6) Hoc loco interserit cod. MS. *ab initio, et ante sæcula præscita , et præordinata.*

Digitized by Google

nem in matrem Dei electa, sancta, et immaculata; ut per te Deus nobis suam pacem de cælis mitteret, genus humanum redimeret, ruinam Angelicam repararet, vinctos de inferni claustris educeret, et cæli ianuam reseraret. Fuisti etiam clara operibus sanctis, clarior salutaribus exemplis, clarissima meritis gloriosis. Coram Deo et hominibus fuisti amabilis et grata, super decorem mulierum gratiosissima, super pulchritudinem Angelorum elegantissima. O quàm magna es in meritis, Mater Dei! O quanta est dulcedo pietatis et misericordiæ tuæ! Terrestria reparas, cælestia restauras, ima summis confœderas, et omnibus ad te clamantibus misericorditer gratiam administras. Idcirco qui misericordia indiget, accedat ad te, et viscera tua inveniet misericordia redundare. Qui ex contrariæ partis impulsu in fide dubitat, respiciat ad te, et quod erat dubitans, solidè stabilietur. Qui per carnis concupiscentiam oblectatur, tuam gratiam invocet, et periculum castitatis auferetur. Qui superbia et elatione in mente pulsatur, in te vertat intuitum, et de merito tuæ humilitatis tumor animi detumescet. Qui iracundiæ facibus est accensus, oculos levet ad te, et de tua tranquillitate mitescet. Qui de via vitæ per errorem abductus fuerit, ad te stellam maris respiciat, et in luce tua ad veritatis semitam reducetur. Ad omne periculum pietas tua subvenit, et potens est subvenire. Et meritò quidem, cum sis mater Dei, Regina mundi, cælorum Imperatrix, sponsa Spiritus sancti. Tu enim facis in Christo manere, et ad divina pervenire. Tu in æternitate Dei viges, et in veritate Dei luces, in bonitate Dei gaudes. Tu segregatos a vitiis reddis gratiæ, socias sanctitati, fugas scelera, lavas vitia: reddis lapsis innocentiam, mœstis lætitiam: fugas odia, paras concordiam. Tu bella compescis, iras comprimis, superbos calcas, humiles amas, discordes sedas, inimicos concordas, præsentes socias, absentes invitas, terrena cælestibus, et ima divinis concilias. Tu peperisti Deum cæli, Regem terræ, orbis Dominum, reparatorem mundi, mortificatorem mortis, restauratorem vitæ, perpetuitatis auctorem: nec ipsum concipiendo, sensisti libidinem, nec pariendo, dolorem. Pro quo partu benedicto offero hoc laudis carmen:

Conditor alme siderum,
Natus ante Luciferum,
Mundum salvare cupiens,
Ad huius mundi vesperum
Candoris intrat uterum,
Tamquam sponsus egrediens.
Per Prophetas prædicatur,
In figuris demonstratur,
Hoc grande mysterium.
Oraculo Gabriëlis
MARIÆ lato de cælis,
Clarum fit indicium.
Ut de flore vel lilio
Gratus odor emittitur,
Sic de MARIÆ gremio
Verbum Patris emittitur.
Gloria fecunditatis,
Et honor virginitatis
In corpore MARIÆ,

Ut

Ut candor manet in rosa,
Et albedo speciosa
Monstratur in ebore.

Qua propter cùm omnium bonorum post Deum sis causa, te affecto et desidero laudare, tuam pulchritudinem amare, tuam beatitudinem venerari, tuam celsitudinem glorificare, tuam benignitatem deprecari.

ORATIO.

Lucem igitur miserationum tuarum supernè infunde, ut anima mea peccatis sordida, gratiâ tua sit diluta, tua gloria illustrata, tuo dulcore dulcorata, tuo amore inflammata, tua protectione conservata. Partus (1) tuus virgineus et deificus me captivum redimat, me ægrum sanet, me cæcum illuminet, me mortuum suscitet, et ab omni peccato et periculo me præservet. Domina mea, quam honorabo; dulcedo mea, quam amabo; Regina mea, quam reverebor; sponsa mea, cui me servabo, gratiam tui aspectus super me converte, ut in decore tuo videam lucem, et inter tenebras videam veritatem, et inter vanitatem videam vitam, et devitem mortem. Et cùm sis omnium gratiarum plenissima, interiora mea ab omni malitia dilue, cor meum templum Dei perfice, tuo sancto amore illud reple, ut te amando desiderem, desiderando te quæram, quærendo inveniam, inveniendo amplectar, et teneam, et in te (2) suaviter requiescam.

CAPUT IV.

Tertiò locatur Sardius lapis in corona Virginis.

Virgo mater pietatis, thronus summæ maiestatis, cui servit Angelorum et hominum natura, quam collaudat omnis creatura: ad cuius nutum humescunt arida, recalescunt frigida, reviviscunt mortua: cuius vita nihil sanctius, cuius conscientia nihil purius, cuius osculis nihil beatius, cuius amore nihil honestius, cuius amplexu nihil castius, cuius dote nihil utilius. Ideo ego peccator in te tanta conspiciens, tibi desiderans complacere, et quodam modo applaudere, ut tua corona resplendeat insigniùs, in tertio illius loco (3) colloco Sardium lapidem pretiosum, splendore purpureo decoratum. Sardius igitur rubicundo splendore tuam illustrat coronam nobilem, cùm spiritale martyrium colorat et purpurat mentem tuam. Cùm enim amantissimus Filius tuus, tuæ virginitatis sponsus, vinctus flagellis cæditur, sputis illuditur, opprobriis lacessitur, contumeliis fatigatur, illusionibus dehonestatur, cruci clavis affigitur, felle et aceto potatur, in latere lancea perforatur, tota efficeris dissoluta, omni mœrore confecta, omni dolore cruciaris, omni cruciatu torqueris, omni acerbitate amaricaris: vulneraris in mente, translancearis in anima, iacularis in corde, confoderis in pectore, martyrizaris gladio, in visceribus totali-

(1) *Tuus* deest in Alvæ edit.

(2) Ubi MS. noster habet *suaviter* legit Alva in suo *sua vita*.

(3) *Colloco* deest in Alvæ edit.

Digitized by Google

liter iugularis. Sed nunc gaude, Domina, quia quem vidisti morientem in terris, nunc conspicis regnantem in cælis: teque dolorum suorum participem, illuc suæ gloriæ et gaudii facit consortem, donans tibi perennem honorem, ut tibi omne genuflectatur, et omnis lingua tibi laudes confiteatur, (1) tamquam Matri Dei, et sponsæ Spiritus sancti, filiæque amantissimæ Dei Patris, quæ sedes a dextris Regis æterni, ut Regina clarissima, gloria et honore coronata, in vestitu deaurato mirabili varietate circundata, omnium Angelorum et sanctorum concentu et harmonia excellentissimè collaudata. Unde pro utroque, scilicet dolore mortis filii, et ineffabili gloria, qua nunc lætaris in cælis, his verbis aliquomodo te cupio demulcere.

Ave Virgo cælibata
Comparata lilio,
Ense crucis iugulata
(2) Transfixaque gladio.
Sed resurgente filio
Tuo sis exhilarata,
Tristitiaque fugata
Cumulata gaudio.
Nunc in cælis exaltata
Resides in solio:
Solarique pallio,
Condecenter adornata,
Stellis claris coronata,
Nobili tripudio
Virginum Collegio
Veneranter cogitata,
Omniumque iubilo
In æternum collaudata. Amen.

Meritò igitur, clementissima Domina, ab omnibus es laudanda et glorificanda, cùm omnibus conferas gratiam, neminique exaggeres pœnam. Tu enim confers terræ pacem, cælis gratiam, salutem perditis, vitam mortuis: regis prospera, repellis adversa, vitia extinguis, virtutes succendis, reddis casta corpora, corda pura: pacem membris, mentibus das quietam fidem, gentibus vitæ ordinem, moribus disciplinam. Tu namque, Domina, es admirabilis singulari virginitate, amabilis salutifera fecunditate, venerabilis inæstimabili sanctitate. Tu visibilem mundo suum exhibuisti salvatorem, tu genuisti mundo restauratorem, tu obtulisti mundo Dominum et creatorem. Tu es divinis et Angelicis præconiis prædicata, sancta mente et corpore permanens, multis donorum privilegiis sublimata, cum Senatoribus cæli infra curiam paradisi conversata, sub Spiritus sancti disciplina et magisterio totius divinitatis informata, virtute Altissimi obumbrata, salutifero rore Spiritus sancti fecundata et impraegnata. Tu exemplar es continentiæ et castitatis; tu es forma perfectæ integritatis; (3) tu præcellis cunctis, supereminens universis. Tu virgo sancta, virgo sobria, virgo devota, singularis integritate, excellens integritate, concepisti salvo pudore, peperisti sine dolore. Tu vitam et lucem hominum genuisti: tu

(1) *Tamquam matri Dei.* Alva edidit *antequam*: at coniectabatur legendum *tamquam*, sicut est in nostro MS.

(2) Alva *crucifixaque* impropriè, nec ad metri numerum. MS. noster habet, ut edimus.

(3) Alva *tu ne præcellis*: nos exclusimus *ne* ad MS. nostrum.

Digitized by Google

tu virgo Deum de Spiritu sancto concepisti, quem illibata peperisti: tu virgo speciosa præ filiabus hominum speciosum forma præ filiis hominum castitatis visceribus concepisti, nobisque ipsum obtulisti.

ORATIO.

Cum igitur sis mater Dei clementissima, dulcissima, potentissima, miserere mei in die tribulationis et necessitatis meæ. Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, et odio iniquo oderunt et persecuti sunt me, animam meam (1) corripuerunt, vulneraverunt, construpaverunt, sub pedibus suis conculcaverunt. Reconcilia me, Domina mea, creatori meo, quem carne tua sancta induisti. Redde me Deo meo, quem lacte virgineo nutristi, ut (2) per tua sancta merita gratiâ illius visitatus, misericordia suscitatus, luce illustratus, virtute roboratus, possim hostes meos contemnere, virtuosa opera perficere, creatori meo perfectè inhærere, laudesque perpetuas illi et tibi in æternum psallere et cantare. Amen.

CAPUT V.

Lilium flos candidus in quarto loco coronæ Virginis situatur.

Maria thesaurus et hortus benedictionis, columna et firmamentum veritatis, splendor et nitor gratiæ, vena et venia indulgentiæ, imperatrix et doctrix gloriæ, fundamentum Ecclesiæ, fons sapientiæ, aula pudicitiæ, spes salutis et veniæ, plena virtutis et gratiæ, sedes pacis, aula beatitudinis, terra benedictionis, parens veritatis, ministra salutis, amatrix humilium, honor continentium, lux peccatorum, (3) virtus pœnitentium, via errantium, magistra perfectorum, gaudium Angelorum et hominum, ad gloriam et decorem tuæ coronæ in quarto ipsius loco situo lilium, florem gratum et speciosum. Lilium habet albedinem in colore, suavitatem in odore, lenitatem in superficie, pulchritudinem in decore; et hæc tibi conveniunt, ut meritò in tua corona debeat situari. In albedine (4) lilii virginitas designatur; fuisti enim Virgo pura mente, et corpore castificata: et sicut virginitatem habuisti in corpore, sic puritatem et munditiam in conscientia; virgo enim in partu fuisti, et post partum inviolata permansisti. (5) Decora igitur in carne tua virginitatis candore, et in anima humilitatis et puritatis splendore, placuisti Dei Filio pro sanctitatis et virtutis duplici ornamento. Tu Domina es singularis; nam nulla alia, ut tu, sic Deo placuit, nec tam speciosum palatium illi ædificavit. Ergo sicut in comparatione Dei nemo bonus, sic in comparatione tui nulla invenitur perfecta, quamvis eximia comprobetur. Sed quid tam suaviter redolet animæ, ut nomen tuum respersum? de quo no-

(1) *Corripuerunt* nost. MS. Alva *corrumpunt.*
(2) Alva *partus sancta merita*, &c.
(3) MS. nost. *unctio pœnitentium.*
(4) *Filii* legebatur in utroque MS. certè mendosè.
(5) *Decorata* MS. noster.

nomine ait quidam:

* f. aureum. MARIÆ nomen * aurum,
Fragrans, et aromaticum,
Velut pigmentum cælicum:
Ut sol est luce fulgidum,
Et mortuis vivificum,
Et Monachis mellifluum,
Sanctum, et anagogicum,
Divinum, et extaticum.

Tu es et Domina multùm lenis et mitis; sacra enim Scriptura te prædicat lenitatis magistram, benignitatis normam, modestiæ regulam, mansuetudinis formam. *Tu etiam es puella decora nimis, virgoque pulcherrima, et incognita viro;* (Genes. 24. 16.) neque est mulier similis tui in aspectu, in pulchritudine, et in sensu verborum: et quia tu formosa valde castitatis ornatu virgineo, et incredibili pulchritudine totius sanctitatis, et omnium virtutum apparatu pretioso, in oculis summi Regis fuisti placida, valde amabilis et gratiosa. Tu etiam habuisti pulchritudinem in oculis propter simplicitatem existentem, elegantiam in labiis propter eloquentiam distillantem, decorem in manibus propter largitatem affluentem, speciem in auribus propter pietatem inclinantem. Quis est sufficiens tuas virtutes enarrare, tua mirabilia explanare? Tu es cælo altior, abysso profundior. Tu Deum, quem mundus non potest capere, immaculato utero portasti. Tu primæ matris damna restaurasti, tu homini perdito redemptionem (1) adinvenisti: tu singulare commercium mundo præbuisti. Tu omnem creaturam sanctitate et dignitate transcendis. Tu cælestia, (2) et terrena uno fœdere coniungis, ad cælestia et superna nos provehis, pactum confirmas, et mortis vincula dissolvis. Tu Virgo regia gemmis virtutum ornata, gemino mentis et corporis decore fulgida, specie tua et pulchritudine tua in cælestibus cognita, cælestium civium in te provocasti aspectus, ita ut Regis animum in tui concupiscentiam (3) inclinares, et cælestem nuntium ad te de supernis educeres. Tu concepisti, et sine peccato; gravida fuisti, sed non gravata; peperisti, sed non corrupta; Deum pariens, et de Deo concipiens; nesciens virum, et gignens filium; casta puerpera, mater intacta, illius mater, cuius Deus Pater. Filius paternæ caritatis est corona tuæ castitatis: sapientia Paterni cordis est fructus tui uteri virginalis. Tu flos florem, virgo virginem sponsum, coronam virginum es prolata. Super salutem et omnem pulchritudinem a Domino es amata; sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris; Dominum omnium meruisti portare, et Regem Angelorum sola Virgo lactare; fulgore virtutum mundum illuminare, luce iustitiæ corda clarificare; quia semper radias splendore gratiæ, et nullis macularis sordibus culpæ. Saluto igitur te, Regina virginum, rosa veris, convallis lilium: te salutando, volo finire istud capitulum.

ORA-

(1) MS. noster *adduxisti*.
(2) Alva *et terrestria cum fœdere*.
(3) Alva *inclinaret .... educeret*.

ORATIO.

Ave plena cælesti gratia, plena Deo, plenaque gloria: te circumdant virginum lilia, te sociant virtutum premia, Virgo Dei, Virgo puerpera, obumbrata virtute supera. Tu illa nubes lucifera, (1) quæ illustras cælum et sidera: dealbata turris eburnea, colorata rosa purpurea: ut prostretur legio fellea, commendata est tibi romphæa. Cum sis salus et honor hominum, mater Dei, corona virginum, tibi decus non habens terminum, persolvatur iure post Dominum.

CAPUT VI.

Situatio Calcedonii pretiosi lapidis in corona Virginis MARIÆ.

Virgo et Domina mirifica, per quam fracta sunt tartara, reservata sunt cælestia, reparata sunt perdita, renovata sunt elementa: singulari decore præ cunctis rutilans, singularique pulchritudine radians et coruscans, ad honorem et gloriam tui sanctissimi capitis, in quinto loco tuæ coronæ inclitæ situo Calcedonium lapidem pretiosum, virtute præcipuum. Calcedonius, qui obscurus est domi, sed sub divo rutilat, et fulget in diademate tuo, quo virtutes et miracula tua non iam latent in angulo, sed dilatantur in universo mundo. Ubique nomen tuum prædicatur, fructus tuus benedicitur, venter tuus extollitur, (2) ubera tua venerantur. *In omnem terram exivit sonus* tuarum virtutum, *et in fines orbis* audita est vox tuorum miraculorum. In toto orbe animas illustras, corpora recreas, mortuos suscitas, infirmos sanas, pauperes reparas, imbecilles sustentas, confracta solidas, perdita restauras, congregata conservas: cæcis visum, claudis gressum, surdis reparas auditum: mutis eloquentia, ignorantibus scientia, languentibus medicina, cunctis tua gratia infunditur, tua pietate cunctis succurritur, omnibus tua misericordia suffragatur. O igitur Virgo benedicta, et superbenedicta, fructum baiulans benedictum, per quem benedicuntur omnia, cælum, terra, et maria! O pulchra ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum! Cuius pulchritudinem sol et luna mirantur, cuius splendore corda illuminantur, * cuius potestates Angelicæ famulantur, cuius opes nunquam deficiunt, cuius opes nunquam decrescunt. Tu quidem Deo es grata, Angelis, et hominibus; Deo per humilitatem, Angelis per virginitatem, hominibus per fecunditatem.

Psalm. 18. 5.

* f. cui.

Tu es cella custos unguentorum,
Aula celestium Sacramentorum,
Clarum sidus navigantium,
Callis rectus non errantium,
Laus sanctorum canentium,
Salus vera languentium.
Arca sophiæ,
Tabernaculum gloriæ,
Regula iustitiæ,
Virtus temperantiæ,

Eee 2 Ro-

(1) *Quæ illustras*: hæc verba desiderantur in Alvæ edit.

(2) Alva *verba tua.*

Rosa pudicitiæ.
Nardus odorifera,
Amigdalus lenitatis,
Vernans laurus castitatis,
Oliva fructifera.
Florens hortus austro flante,
Porta clausa post et ante,
Via veris in via.
Fusa rore cæli tellus,
Fusum Gedeonis vellus,
Deitatis pluvia.
Placa, MARIA maris stella,
Ne involvat nos procella,
Et tempestas omnia.

O Regina radiantissima, omnibus bonis plenissima! per te Deo refunditur gloria, Angelis lætitia, salus peccatoribus, solamen desperantibus, infirmis sanitas, cæcis claritas, tristibus gaudium, mœrentibus solatium, pugnantibus constantia, iustis gloria, et immarcescibilis corona. Tu cura ægros medicans, gaudium mœstos consolans, sanitas dolentes lætificans:

Tu convallis humilis,
Terra non arabilis,
Quæ fructum parturiit:
Flos campi convallium,
Singulare lilium,
Christus ex te prodiit.
Tu cælestis paradisus,
Libanusque non incisus,
Vaporans dulcedinem:
Tu candoris et decoris,
Tu dulcoris et odoris
Habens pulchritudinem.

Tu es mater numinis [1] sancta nitore radians, et superni luminis claritate terram illustrans. Tu lux puritatis et sanctimoniæ mundissimum Deo habitaculum præparasti. Tu in cælesti throno super ordines Angelorum perpetua claritate refulges, tamquam sidus ante lucanum matutino nos rore perfundis. Splendidiùs in sanctitate radians quàm luminaria in firmamento cæli, inflammata caritate, cunctis Angelis viciniùs lumen deificum contemplaris. Tu sapientiæ et virtutis candida luce radians, horridas temporum tenebras virtutum fulgore fugasti. Tu mater salutis, quæ sola desperatis potes afferre medicinam, de cuius utero virginali Deus in salutem populi sui est egressus: mater salutis, per quam mors victa succubuit, et salus hominis desperata surrexit: mater salutis, quæ deiectæ mentis ruinas erigis, et ardentem * restringis morbum æstuantium delictorum. * f. restinguis.

ORATIO.

Miserere igitur, tam potens, et tam clemens, tam dulcis, et tam pia, tam pulchra, et tam formosa, huius peccatoris famuli. A peccatis et vitiis ablue et munda, tua luce pectus irradia meum, tuo amore animam inflamma, a filio tuo impetra mihi pacem et indulgentiam, et in die iudicii resurrectionem glorificatam. Amen.

CAPUT VII.

Positio Arturi luminaris splendidi in corona Virginis.

Regina serenissima, mater Dei intacta, Virgo pura, Virgo sancta, Virgo immaculata, cuius laudamus virginitatem, miramur humilitatem, sed cariùs (quæ miseris sapit dulciùs), invocamus tuam

(1) MS. noster *numinis sancti.*

Digitized by Google

tuam misericordiam et pietatem. Nardus tua et unguenta sunt dona Spiritus sancti in te quiescentis, te illuminantis, suo amore te inflammantis. Tuus fructus est æternus, cuius odor mundum replet, cuius sapor fideles [1] satiat, cuius splendor solem superat. Quia igitur tam pretiosum fructum vitis fructifera nobis protulisti, ad aliquid honoris et gloriæ tuæ magnificentiæ aggregandum, in sexto loco tuæ coronæ. Arturum situo, clarum et lucidum luminare, septem stellis decoratum, in modum plaustri. Huic, Domina, similaris, et quodam modo compararis. Fuisti quidem virginitate lucida, fide et sanctitate clara, fecunditate fulgentissima: septem stellis fuisti decorata, cum septem virtutibus fuisti adornata. Tu enim fuisti [2] solidata per fidem, amore inflammata per caritatem, sursum elevata per spem, per temperantiam fuisti sobria et modesta, per fortitudinem vigorata, per iustitiam æquissima, per prudentiam disertissima. Currus Dei fuisti, in tua sancta anima Deum omnipotentem circumferendo, et dominum Iesum Christum in tuo sancto utero baiulando. Currus etiam Israel es, peccata nostra benignè supportando, indulgentiam et pacem nobis impetrans, ad iter paradisi tuum ducatum præstans. Domina mea, solatium cordis mei, dulcor animæ meæ, recreatio spiritus mei, vitia et peccata mea, mores meos duros et ferreos misericorditer supporta; tuis meritis sit mihi concessa pax et indulgentia; per te via paradisi sit mihi ostensa, et ostia et ianua cælica reserata. Igitur præclara Domina mea, indica mihi, quid tibi [3] offeram pulchrum et gratum; demonstra mihi quid tibi præsentem et dem amabile et iucundum; ostende mihi, quid tibi donem delectabile atque formosum: [4] pota hunc peccatorem fœtidum ab ubertate plenitudinis munditiæ tuæ; pasce hunc vermem horridum ab opulentia dulcedinis tuæ; eripe me de manu potestatis adversæ; confunde omnes adversarios meos: sicut fumus [5] deficit, pereant omnes inimici mei: potestas tua Domina, conterat eos, infernus viventes deglutiat eos. [6] Aperi nunc, Davidica clavis, viscera melliflui cordis tui, aperi nunc ostium luminis tui, ingrediar, et videam, atque degustem suavitatem uberum tuorum, et de tuo fonte dulcissimo anima sitiens ebrietur; ex qua recreatione mirifica te sciam diligere toto affectu cordis, toto conatu mentis, ferventer et prudenter, sinceriter et iucundanter, humiliter et devotè. Da mihi vocem laudis, ut dignè sciam tua mirabilia enarrare. Benedicta sit tua virginitas florida, benedicta sit tua fecunditas virginea, benedicta sit tua humilitas

(1) Alva *sanat.*
(2) *Solida* idem.
(3) Alva edebat: *indica mihi quid tibi præsentem, &c.*
(4) *Pota* emendavimus ex MS. nost. Alva enim edidit *nuti*: fortè autem legendum erat *nutri*.
(5) *Deficiant* Alva.
(6) Edimus hanc periodum ad MS. nostrum: nam in Alvæ editione hæc verba *aperi nunc ostium luminis tui* perturbato ordine erant immediate ante illa *et de tuo fonte.*

Digitized by Google

tas gratiosa, benedicta sit tua pietas viscerosa, benedicta sit tua sanctitas qua fis excellentior cunctis, benedicta sit tua [1] dignitas pretiosior universis: nam Spiritus sanctus suo rore mellifluo tuum uterum virgineum fœcundavit, tuum corpus sanctissimum per divinum umbraculum obumbravit: tua felix anima, quæ est sanctæ Trinitatis nobile triclinium, nobilissimè insignitur; siquidem ornatur auro fidei, argento sapientiæ, lapidibus pretiosis, sanctitatis * velleris, verecundiæ rosis, liliis castitatis, violis virginitatis. Sole iustitiæ illustratur, luna castimoniæ et stellis innocentiæ radiatur, omnibus thesauris gratiæ decoratur, omnibus sacris charismatibus nobilitatur.

* f. vellere.

ORATIO.

O Virgo Domina, tot et tantis bonis cumulata et referta! sis nobis clemens in nostris necessitatibus, dulcis in tribulationibus, pia in angustiis, prompta et apta ad succurrendum in periculis. Tu etiam tribulatis es refrigerium, tu mœstis impendis solatium, tu mulces fletus plorantium. Nos premit sarcina criminum, defluunt aquæ cupidinum, discurrunt fluctus voluptatum. Sed o! tu miserans miseris, nos consolare tuis solatiis: et ne [2] involvamur perpetuis tenebris, ne deputemur æternis suppliciis, succurre nobis in hora dolorosa et pavidæ mortis, perduc nos ad gaudium sanctæ resurrectionis, et ad gaudium perpetuæ claritatis. Amen.

CAPUT VIII.

Sapphyrus lapis pretiosus in corona situatur Virginis.

Sanctæ Trinitatis nobile triclinium, Verbi Patris sanctum reclinatorium, puella decora, virgo formosa, Regina clara et serena, pia, dulcis, gratiâ plena, cui a Deo collatum est, ut inter feminas [3] prima Deo virginitatis munus offerres, unde iure Angelico aspectu simul et * factu meruisti perfrui, quæ Angelicam studuisti vitam imitari. In te enim cælis distillantibus, tota se infundit plenitudo divinitatis, cui oblata sunt et data gratiæ plenitudo, Dei cohabitatio, cælestis benedictio. Quapropter cum tot mirabilium insignia in te tam excellenter prædicentur, ego peccator cupiens adhuc tuam gloriam ampliare, in septimo loco tuæ coronæ Sapphyrum lapidem pretiosissimum collocare decrevi. Sapphyrus enim similis est sereno cælo, quem cum solis radius aspicit, splendorem ardentem emittit: cuius virtus est corpus castificare, oculis proficere, venenis officere. Et iste lapis meritò competit capitis tui ornamento. Tu Domina fuisti semper clara et serena, sincera, mundissima, et amœna. Tu enim es semper tota pulchra, tota formosa, tota immaculata, et tota speciosa. Macula nulla fuscaris, nulla sorde macularis, omni gratia illustraris, omni virtute decoraris. Pulchrior et speciosior es so-

* f. affatu.

(1) Alva repetit *sanctitas*: pro quo est in MS. nost. *dignitas*.

(2) Melius quam Alva *induamur*.

(3) Alva *primum*.

sole in aspectu tuo, et super omnem dispositionem stellarum rutilas decore præcipuo. Sed dum illa summa maiestas, cuius tu es amabilis sponsa, et dilecta filia, suo gratioso et amabili radio tuam faciem reverberat, tum spes mea ampliori pulchritudine augmentatur, sapientia tua copiosiori luce [1] radiat, caritas tua tota ardens in Dei amore efficitur, et omnes virtutes tuæ ampliori sanctitate perfunduntur. Tu etiam, Domina, mentes et corpora castificas, oculos mentis et corporis illuminas, [2] peccatorum venena eliminas et extirpas. Cum igitur, Domina, sis salus humani generis, spes et solatium pauperis, succurre nobis servulis miseris; nam bella præmunt hostilia, hostes sua [3] extendunt retia, caro suggerit mollia, dæmon rixas et iurgia, mundus opes et honores, et quæcumque curiosa. O Regina misericordiæ! succurre in tempore angustiæ, fer nobis opem tuæ gratiæ: et ne corruamus in tantis periculis, mane nobiscum, Domina, quoniam advesperascit. Tu fons salutis et totius gratiæ, via pacis, et portus indulgentiæ, audi planctus tuæ familiæ. Circundant nos multa pericula, corpus consumit ægritudo prævalida, pectus urit tentatio acerrima: pluvia devotionis compescitur, fervor in oratione non reperitur, oculus [4] rationis caligatur.

ORATIO.

O refugium pauperum! O miserorum refrigerium! in te sperant oculi omnium, ut liberemur a tam pestiferis malis, cui salvare suppetit quos volueris. Mane nobiscum, quoniam advesperascit: libera nos de tenebris et umbra mortis, et perduc ad gloriam perpetuæ immortalitatis. Amen.

CAPUT IX.

Crocus flos aromaticus in corona Virginis.

Si linguis omnium gentium et omnium melodiis Angelorum tuas laudes, Virgo sanctissima, possem depromere, nihil sufficienter sufficerem; quia verè in laudibus meis non invenitur conveniens organum, et hebes est cuiuscumque subtilitatis ingenium. Nam Spiritus sanctus, fons et origo omnium bonorum, sic in te cumulavit [5] sua insignia virtutum, et charismata gratiarum, quòd neque honorem quem habes in mundo, nec gloriam quam habes in cælo, nec coronam quam possides in præmio, posset exprimere spiritus Angelicus, nec intellectus humanus. Quantum ergo ab omnibus, Virgo serenissima, debeas collaudari, ego peccàtor ad honorem tuum et gloriam octavo loco tuæ coronæ inclitæ Crocum florem aromaticum, tibi valde idoneum, cupio collocare. Est enim Crocus colore aureus, [6] odore oblectativus, virtuo-

(1) MS. noster *radiatur.*
(2) Alva edebat ex suo corruptissimè: *pecorum venena alumnas.*
(3) *Super extendunt retia*: Alva.
(4) *Oculis ratione*: Alva.
(5) Alva pro *sua* quod est in MS. nostro edebat *super* sicut paulò ante.
(6) Corruptè Alva ex suo: *colore aureus obletatimius.*

Digitized by Google

tuositate mirificus, valde lætificativus. Tu es enim virgo aurea, omni sanctitate ornata. Per aurum tua sanctitas designatur; nam sicut aurum omnia metalla excellit nobilitate et valore, sic tuæ sanctitatis dignitas superat omnium sanctorum merita, et omnium prærogativas Angelorum. Ideo super omnes in cælis obtines: unde sicut in toto mundo non est locus dignior tui virginei uteri templo quo filium Dei suscepisti, sic nec in cælo, illo regali solio quo super omnes sanctos te Dei filius sublimavit. Tu etiam es odorifera plusquam Crocus, quia tu ante Deum et homines fragras et redoles. Unde et odor
* Genes. 27. 27. tuus est *sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus*. Ager plenus est tuus sanctus uterus, qui produxit messem benedictam, ex qua Angeli et homines sustentantur: sed odor, qui procedit ex tua humilitate, valde Deum oblectat; odor procedens ex tua virginitate valde delectat Angelos; odor procedens ex tua pietate, multum recreat homines; odor procedens ex tua sanctitate, multum terrificat dæmones. Fuisti etiam et es virtuositate mirifica; nam virtus ex te procedens clarificat visum, temperat gustum, reformat auditum, confortat cor, illuminat intellectum. Gratia tua, Domina, in multis lætitiam in nobis parit: tu enim, Virgo piissima, frequenter consolaris tristia, lenis aspera, lætificas dolorosa, roboras debiles, sustentas imbecilles, vivificas mortuos, sanas et liberas ægrotos. Pro his omnibus, Domina, in tua gloria et honore gratulemur, in tuis laudibus exultabimus, in tuis præconiis iucundamur, tuis coronis et præmiis congaudemus. Unde de dulcore et iubilo, qui ex te (1) cordi amanti infunditur, dicit quidam: Oleum effusum, unguentum exinanitum, iubilus cordium, nomen MARIÆ sanctum et gloriosum. Sed frangatur alabastrum: descende, Domina, in hortum meum, succende ibi amorem ignitum, stilla tui decoris unguentum, resperge tuorum fragrantiam aromatum.

ORATIO.

MARIA sit in memoria, MARIÆ rimetur dulcor et gratia, MARIÆ recolantur beneficia, et caritas indefessa. Sed et hos, quos nunc tibi offero versus, Domina, pro tuæ gloriæ honorificentia commendata digneris suscipere gratiosè.

Salve flumen misericordiæ,
Flumen pacis, et flumen gratiæ.
Ros convallium,
Flos pudicitiæ,
Mater Dei,
Et mater veniæ.
Salve vera salus fidelium,
Maiestatis thronus et solium.
Templum Christi,
Domus, triclinium,
Via vitæ, pudoris lilium.
Salve floris decor amabilis,
Sponsa Christi ancilla humilis,
Tota pulchra et venerabilis,
Cui nulla fuit consimilis.
Prædicamus te venerabilem,
San-

(1) Alva *concordi menti.*

Digitized by Google

Sanctam mente, et corde simplicem:
Mundam carne,
Mitem et placabilem,
Deo gratam,
Deo amabilem.
Qui te gustant, adhuc esuriunt,
Tuum sanctum dulcorem sitiunt:
Te amare ardenter cupiunt,
Te laudare, sed non sufficiunt.

Sacra Mater Dei et hominis, laus et decus humani generis, sanctitate sanctos transgrediens, claritate plus fulgens ceteris, quis te dignè valet extollere? laudes dignas quis tibi (1) promere? Ex quò Deum es digna parere, et lactare sacro ubere, salus nostra in manu tua est, Domina. Tantùm respiciat super nos misericordia tua, et securi serviemus Deo regi æterno, et tibi ipsius benedictæ genitrici. O Regina gloriæ! quæ cum Deo vivis et regnas in solio maiestatis supernæ per infinita sæculorum sæcula. Amen.

CAPUT X.

Situatio Achate pretiosi lapidis in corona Virginis MARIÆ.

In cælesti throno resides, Regina fulgentissima, gloria et honore coronata, gemmis virtutum ornata, et multùm læta, multùm formosa, multùm pulchra: pulchra virginitate, pulchrior humilitate, pulcherrima in filii Dei conceptione: pulchra in laude opinionis, pulchrior in honestate conversationis, pulcherrima in gloria divinæ visionis. Pulchra, quia nec maculam aut rugam habuisti, neque carnis neque spiritus aliquod inquinamentum, sed tota tamquam obrizum purissima, tota splendida, tota candida, tota rutilans, tota mundissima: a cuius corde et opere longè fuit omnis peccati macula, cui fortiter adhæsit totius sanctitatis gratia, et charisma. Tam pulchra, Domina, tamque speciosa, et tam formosa gratanter accipe lapidem Achatem, quem ad ampliandum tuum apparatum, in nono loco tuæ coronæ statui collocare. Achates inter ceteras virtutes facit hominem gratiosum: quem te decet habere, Domina, in tui capitis ornamento, quia hæc in nobis efficaciùs operaris. Sumus in peccatis tenebrosi, concupiscentiis limosi, (2) vitiis umbrosi; idcirco Deo odibiles et detestabiles, tamquam filii gehennæ. Sunt enim multi inflati per superbiam, nigri per avaritiam, sanguinolenti per iracundiam, fœtidi per luxuriam, lutosi per gulam, lividi per invidiam, somniculosi per pigritiam. Cum (3) autem placuit ei, qui te segregavit ex utero matris ad succurrendum miseris, ut tua super nos viscera moveantur, tunc obstetricante manu tua, educuntur extra opera tenebrosa, et introducuntur virtuosa; detestantur vitia, amplectuntur ieiunia; extinguuntur concupiscentiæ, revivi-scunt virtutes: *Aperis manum tuam, et imples omne animal benedictione*, et gratiæ tuæ in no- Psalm. 145. 4. 16.

Fff bis

(1) *Promeretur* Alva.
(2) Alva *vitiis verbosi.*
(3) *Cum enim* Alva.

Digitized by Google

bis iactato semine, ex superbis fiunt humiles, ex avaris compatientes, ex gulosis abstinentes, ex luxuriosis casti, ex iracundis caritativi, ex pigris laboriosi; ut qui priùs Deo displicebant velut filii tenebrarum, nunc per te fiunt placidi, tamquam filii lucis, cælestisque regni coheredes Christi. Et ideo gloria in excelsis Deo, qui de tam utili et necessaria nobis procuratrice providit, cuius cura et officium est evacuare tartarum, illuminare mundum, irradiare cælum, replere paradisum, diabolum conterere, prædam ex ipsius ore rapere, peccatores per pœnitentiam patrimonio, ut mater piissima, aggregare. O igitur MARIA! plena gratia, virgo refulgens, aurea tota, munda, et illibata, in Christi habitaculum consecrata, vas in decorem et gloriam per ornatum, in oculis summi Regis gratum et placitum, sancti Spiritus benedictione sanctificatum! O puella virginea, ab Spiritu sancto consecrata, a sanctis Angelis protecta et custodita, ab Archangelis et Angelis circumgirata et consolata, multisque gratiis et virtutibus decorata! Verte, Domina, ad me pium et dulcem oculum tuum, clementem et gratiosum, fulgidum et luminosum. Visita me infirmum, cura me ægrotum, sana me languidum, consolare me tristem et gemebundum. Da mihi cor devotum, et intellectum illustratum, ut cognoscere valeam largitatem tuæ bonitatis et misericordiæ, puritatem tuæ carnis virgineæ, profunditatem tui intellectus et sapientiæ, sanctitatem tui corporis et animæ. Respice, summa Imperatrix, de altissimo tuæ excellentissimæ maiestatis, et tenebras mei cordis tuæ gratiæ splendoribus illustra, sensum pervigilem in me repara, amore tuo me inflamma.

ORATIO.

Oro, ut tua virginitas me castificet, tua fecunditas virtutibus exornet, tua humilitas me faciat (1) humilem, tua pietas me pium et dulcem, tua sanctitas me compunctum et gemebundum, tua clementia æternâ gloriâ dignum, et quandiu vixero in tuis laudibus et carminibus devotum. Nam duris tormentis corpus atteritur, et tentamentis animus frangitur, dulcor internus nobis subtrahitur. O sacra regina virginum! da solatium, confer remedium, vide fletus ad te clamantium: et ne labamur in vitiis, ne fiamus similes bestiis, mane nobiscum, Domina, quoniam advesperascit. Te ergo venerabilem virginem illibatam, per partum admirabilem in cælis coronatam, ut hanc animam flebilem, ærumnis cumulatam, reddas mitem et humilem, sordibusque mundatam, ut per mortem placabilem, contritam et devotam, vadat ad vitam nobilem, floridam, et splendibilem, a malis elongatam. Amen.

(1) MS. noster *mitem*.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XI.
Stella marina splendida in corona Virginis.

Ad laudandum, benedicendum, et prædicandum te, sanctissima Mater Christi, monemur Scripturis, incitamur exemplis, provocamur beneficiis, accendimur inspirationibus internis, et miraculis manifestis. Tu Deum hominibus genuisti, pacem mundo impetrasti, diabolum superasti et vicisti, humanum genus reparasti, et omnia bona in cælo et in terra te mediante sunt patrata. Tu sanctæ Trinitatis nobilissimus et sanctissimus thronus, tu Verbi Patris incarnati speciosus et virgineus thalamus, tu lapis pretiosissimus in corona Imperatoris æterni, tu summi Patris filia carissima, sancti Spiritus sponsa amantissima, Angelorum et hominum domina et regina. Tu chorus admirabilis, plenus sapientia, illustratus splendore, oculatus scientia, clarus omnium gratia, perfectus in decore, in medio lapidum ignitorum, id est, Angelorum et Archangelorum miranda gloria splendidisti, omnes cedros, et omnes qui sunt in paradiso Dei, præcellis sanctitate. Tu Seraphim cum sex alis portans (1) stigmata Iesu Christi, accensus in amorem conditoris, divinis spectaculis suspensus, et raptus in contemplatione excellentissimæ maiestatis. Quapropter ego quamvis indignus tam præclarissimam Dominam honorare cupiens, iuxta intentum prælibatum, in decimo loco pretiosæ coronæ tuæ situo stellam maris, nautas et (2) navigantes dirigentem. Siquidem stella maris navigantes dirigit, eos consolatur et erigit, et ad portum optatum adducit. Tu enim, Domina, es ista maris stella, quæ inter fluctus tentationum, inter pericula rerum mundialium, inter dolores ægritudinum nos regis et dirigis, auxilium et consilium impendis, exultationem infundis, et ad portum animas nostras conducis. Cuius stellæ patrocinium quidam servitor tuus, et laudator devotus in suis opusculis nos corde attento flagitare admonet, dicens: S. Bernardus *homilia 2. super* Missus *circa finem.*

ORATIO.

In periculis, in rebus dubiis respice stellam, invoca MARIAM: non recedat a corde, non recedat ab ore. Nam ipsam sequens non devias; ipsam cogitans, non erras; ipsam rogans, non desperas; ipsa tenente, non metuis; ipsa protegente, non corruis; ipsa regente, non fatigaris; ipsa duce, ad cælestia pervenis. Quod nobis contingat tuis sanctis patrociniis et meritis gloriosis, annuente tuo Filio benedicto, cum quo vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT XII.
Iaspis lapis pretiosus hìc situatur in corona nostræ Dominæ.

Benedicta sis Domina, et Mater domini nostri Iesu Christi, mater misericordiarum, et domina totius consolationis, quæ

Fff 2 con-

(1) *Stigmam* Alva.

(2) MS. noster *remigantes.*

Digitized by Google

consolaris nos in omni tribulatione nostra; et benedictum sit nomen gloriæ tuæ, sanctum, [1] et laudabile, et superexaltatum in sæcula. O ianua paradisi! O ministra gratiæ Spiritus sancti! O magistra omnis scientiæ, theoricæ et divinæ! Doctrix humilitatis et paupertatis Christi! Tu Patriarchis fide et patientia es clarior; Prophetis sensu et sapientia acutior; Apostolis in perfectione sanctitatis accumulatior; in tolerantia dolorum præcellis Martyres; in exercendis actibus virtuosis Confessores; in munditia castitatis Virgines; Angelos et Archangelos præcellis in administratione gratiarum; Dominationes in prostratione vitiorum et cupiditatum; Principatus et Potestates in refrænatione contrariæ potestatis: Thronos in tranquillitate pacis, Cherubim in sapientiæ splendore, Seraphim in caritatis ardore. Cum igitur sis valde mirabilis, Domina, eo quòd in omni scientia, et in omni gratia et sanctitate ac virtute omnes transcendis, nec quisquam est tibi similis; ideo ego peccator gratiam apud te desiderans comparare, in undecimo loco coronæ nobilis situo Iaspidem, lapidem pretiosum. Iaspis est lapis virtuosus, pretiosus, colorum varietate [2] venustuosus, virore conspicuus, ad restringendum sanguinem præcipuus. Et hic benè competit ad ornandum, Domina, sanctum caput tuum: tu enim fuisti virtutum varietate decorata, virginitatis et fidei virore ornata, ad restringendum sanguinem, id est, carnis concupiscentias et voluptates, tamquam medicina salutaris et efficax, a Deo nobis es ministrata. Nam licèt fueris imprægnata, tamen per Spiritum sanctum fecundata, per partum deificata. Licèt vigorosa per fortitudinem, virtuosa per rectitudinem, amorosa per caritatem, luminosa per sapientiam, ingeniosa per intelligentiam, viscerosa per pietatem, in prosperitate humilis, in adversitate fortis, in sanctitate sublimis; viror tamen virginitatis semper revixit in tuo corpore, et decor fidei semper revixit in tua sacra mente. Tu etiam sanguinem peccatorum restringis et desiccas, carnales fluxus compescis et refrigeras, et quidquid in nobis maculosum est, clarificas et sanas.

ORATIO.

Igitur puella purissima, amatrix virginitatis, extingue in corpore meo pruritum et sordes libidinis, et rore [3] salutifero crea in me munditiam floridæ castitatis. In omni oratione, meditatione, lectione, et operatione sentiat mens mea tuæ præsentiæ dulcedinem, et iustificationem Angelicam me consolantem, dirigentem, et protegentem. Unge cor meum tuæ suavitatis unguento pretiosissimo, ut sentire possim tui amoris dulcedinem, tuæ caritatis voluptatem, et amicitiæ mulcebilitatem et iucunditatem. Sed

(1) *Et laudabile* deest in Alvæ edit.
(2) Alva *venuscosus*.
(3) MS. noster *salvifico*.

Sed ego miser et cæcus per exteriora frequentiùs discurrens, a tuo sancto amore digredior: in carnalibus blandimentis consolationes nefarias quæro; et hinc est, quòd in tua caritate et dulcedine non delector, quia ego in transitoriis et caducis, cogitatione, affectione, locutione implicor. Tu autem, Domina, cælestia diligens, lucem habitas inaccessibilem: tu in cælo, et ego in terra: tu diligis bona incorruptibilia et æterna, ego fluxa et caduca, in quibus non est nisi vanitas, et miseria, et afflictio spiritus. Quid plura inferam? tu es pia, sancta, iusta, et clemens, ego iniquus, impius, iniustus, et immisericors: tu lux, ego cæcus: tu vita, ego mortuus: tu gaudium, ego tristitia. En ad te clamo, Mater Dei Salvatoris, vivifica me: Mater Redemptoris, redime me: Mater Salvatoris, salva me. Ne autem, gloriosa Domina, (1) mortiferis voluptatibus in his temporalibus pericliter, oro te, ut cor meum teneas, mentem regas, intellectum dirigas, animum suspendas, ut per vim tui amoris (2) tibi perfectè inhæream, et in dulcedinis et gratiæ tuæ ubertate dormiam et requiescam.

CAPUT XIII.
Positio Rosæ vernulæ in corona Virginis.

Regina Hierarchialis, thronus Seraphicus existens, in quo residet et refulget totius sanctæ Trinitatis maiestas et gloria, virtus et potestas, honor et magnificentia, quam laudant Angeli atque Archangeli, Cherubim quoque et Seraphim, et omnes turbæ cælestium civium, et phalanges spirituum supernorum; quia quod in eis erat dirutum et confractum, per te, Domina, insigniùs est constructum et reparatum. Idcirco beneficiorum per te susceptorum non immemores nec ingrati, (3) in tua glorificatione laudes hymnidicas festivis vocibus cum omni harmonia et honorificentia cantant dicentes: *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens; pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Cant. 6. 9. Cùm enim nascereris, quasi rutilans aurora consurgis: ortus nimirum tuus vicem auroræ tenuit, in qua dies gratiæ cœpit, nox verò infidelitatis et ignorantiæ finem * defecit. * f. fecit. Lunæ plenæ pulchritudinem habuisti, dum gratiâ plena facta es in Verbi incarnati conceptu. Cùm solem iustitiæ paris, soli congrua similitudine compararis; sicut enim (4) de prolato radio non corrumpitur aut minuitur solis corpus, sic te pariente non violavit prolatio sacri partus. Tibi, mater misericordiæ, competit electio solis, quæ splendoris æternos radios exhibes universis. *Terribilis, ut castrorum acies* extitisti, cùm cælis lætantibus, Angelis obsequentibus, sanctis

(1) Alva *mortiferos voluptatibus his temporalibus.*

(2) *Tibi* deest in Alvæ edit.

(3) Alva *intra glorificationem.*

(4) Alva *deplorato*, et infra ubi MS. noster habet *prolatio*, ille edidit *ploratio.*

ctis exultantibus, vexillis virtutum coruscantibus, terribilis dæmonibus apparuisti. O igitur Domina mirifica, solari claritate insignita, lunæ pulchritudine decorata! suscipe gratanter rosam vernulam, quam tibi offero, ut in duodecimo loco tuæ coronæ nobilis collocetur. Rosa enim flos florum per excellentiam est vocata, aspectu est valde placens et grata, in redolentia mirè est oblectabilis, proficua et utilis in medicina, quæ omnia optimè tibi conveniunt, Virgo grata. Sed tu, Domina, non es rosa mundi, quæ statim post ortum arescit et deficit; sed tu es rosa paradisi, quæ gestaris in manu Regis cæli. Tu es flos florum virginalium, et regina omnium puellarum Christi; nam a te habuerunt formam integritatis, et tamquam a præcellenti magistra doctrinam perfectæ castitatis: ideo super omnes triumphans resides in throno imperialis dignitatis. Tu etiam, Domina, es pulchra fide, pulchra coram Deo humilitate, pulchra coram Angelis virginitate, coram hominibus misericordia et pietate. Odor etiam tuæ pietatis præsentitur in cælo, fragrantia tuæ misericordiæ [1] odoratur in sæculo, dulcedo tuæ compassionis respergitur in inferno. Odor tuæ humilitatis filium summi Regis de cælesti throno fecit descendere, et in hospitio tui virginei ventris compulit declinare: de quo hospitio quidam dictator devotus ita scripsit:

Sol luna lucidior,
Et luna sideribus;
Sic MARIA dignior
Creaturis omnibus.
Salve mater pietatis,
Et totius Trinitatis
Nobile triclinium:
Verbi carnem incarnati,
Speciale maiestati
Præparans hospitium.

Tua etiam medicina subvenit in infirmitate, succurrit in adversitate, recreat in labore, solatur in dolore: in persecutione [2] præstat auxilium, in tribulatione solatium, sanat pestes corporis, eliminat vitia cordis. Unde quidam: Ad omne periculum pietas Virginis subvenit, et potens est subvenire.

ORATIO.

Cum igitur tot et tantæ sint tuorum prærogativæ meritorum, clarifica, lux formosa, visum meum, ut speculetur tuam pulchritudinem; sana gustum meum, ut saporet tuam dulcedinem; olfactum renova, ut odoret tuam suavitatem; illumina et inflamma omnia interiora mea tua sancta sapientia, et [3] flammivoma caritate tua, ut de te sciam prudenter cogitare, ferventer diligere, te devotè colere, te profundè intelligere, sapienter investigare, suaviter ruminare, tibi dulciter inhærere. Assiste, Domina, mihi te devotè deprecanti, te suaviter ruminanti, te legen-

(1) Alva *adoratur.*
(2) Alva *præstans*, et paulo infra pro *eliminat*, quod edimus ex MS. nost. ille edebat *illuminat.*
(3) Alva *flammateria.*

Digitized by Google

genti, te meditanti, de te loquenti, ad te anxiè suspiranti. Odor tuus me recreet, memoria tua me confortet, suavitas tua me reficiat, gratia tua me nutriat, pietas tua me dulcoret, præsentia tua me consoletur, ducatus tuus me comitetur, ducens per tuas semitas ad lucem quam inhabitas. Amen.

CAPUT XIV.

Situatio Carbunculi lapidis pretiosi in corona Virginis.

* f. Virgo. * Virga regia, gemmis virtutum ornata, monilibus gratiarum composita, iustitiæ vestimento induta, specie tua et pulchritudine tua in cælestibus cognita, benignitas tua sic Regis animum in sui concupiscentiam inclinavit, quòd suum de cælis ei transtulit nuntium, et ipsemet in eius protinus festinavit amplexum. Si igitur, reverendissima Domina, creator visibilium et invisibilium sic concupivit amorem tuum, sic desideravit amplexum; nos miseri qui per te sumus reparati, et a perpetua morte liberati, cum quanto amore tenemur te diligere? cum quanta reverentia tibi servire? cum quantis te laudibus extollere? Tu enim es sole speciosior aspectu, fide pulchrior, et gratia veneratior, super decorem mulierum elegantior. Ideo cùm sis pulchra et decora, amabilis et gratiosa, clara, fulgens, et serena, rutilans, splendida, et crystallina, rogo te, ut in decorem tuæ nobilis coronæ gratanter digneris Carbunculum suscipere, quem in tertiodecimo * ipsius decrevi collocare. Carbunculus enim tenebras illustrat, splendorem oculis intuentis vibrat. Hoc efficaciùs in nobis operaris, cùm sis speciosa Christi mater singularis. Quis enim sufficeret exprimere lucem miserationum tuarum, quam tu, Domina, mundo tenebroso infulsisti? Quis sufficeret enarrare virtutes et miracula, signa ingentia atque portenta, quæ vel pro salute animarum, vel pro medela corporum, vel pro consolatione bonorum, vel pro correctione malorum, multifariè multisque modis dignata es operari? Nec dulcedo misericordiæ tuæ, nec multitudo pietatis tuæ, nec affluentia gratiæ et bonitatis tuæ christianum quempiam latet, prout cuilibet in tribulationibus, necessitatibus, ac periculis constat esse compertum. Quapropter delectabile est omnibus MARIAM laudare, benedicere, et prædicare. Cùm MARIA nominatur, tunduntur pectora, curvantur capita, prodeunt lacrymæ pietatis seu devotionis, et suspiria contriti spiritus, vel inflammatæ affectionis. O nomen splendidius sole, fragrantius balsamo et cinnamomo! ad cuius prolationem mundus gaudet, cælum ridet, iubilat Angelus, exultat iustus, confunditur diabolus, contremiscit infernus. Sed et siquis oculos cordis aperuerit ad intuendum vel considerandum perfectionem tuæ sanctitatis, vel compositionem tui corporis, vel profunditatem tuæ sapientiæ vel intelligentiæ, infunditur illico exultatio mentis, et iubilus cordis, et serenitas pectoris, seu

* supple loco.

Digitized by Google

(1) seu operatio alicuius gratiæ spiritualis.

ORATIO.

O igitur clementissima, quæ vitam inspiras mortuis, salutem pereuntibus, lumen cæcis, solamen desperantibus, consolationem lugentibus! de thesauris tuæ profundissimæ misericordiæ infunde quæso (2) mihi cordis iubilum, mentis lætitiam, pectoris claritatem. Esto mihi vita et salus animæ meæ, dulcedo et pax cordis mei, suavitas et iucunditas animi mei. Stella maris clarissima, mater compatientissima, dirige me, defende me ab hostibus et periculis omnibus, quatenus tua succurrente gratia, et opitulante misericordia, a vitiis omnibus purgatus, et a cunctis adversitatibus liberatus, et præsentem vitam miseram valeam transire illæsus, et ad sempiterna gaudia venire securus. Amen.

CAPUT XV.

Sol luminare præfulgidum hìc totam coronam illustrat.

Signaculum castitatis, lilium virginitatis, MARIA, mulieribus pulchrior, cunctisque Angelis delectabilior, omnibus sanctis sanctior, pietate viscerosior, omni gratia elegantior: Archangelus te salutat, Deus Pater te sanctificat, Spiritus sanctus tibi obumbrat, Dei filius te desponsat: * animæ te sanctitate Deum fide concepit, tui ventris puritas ipsum castè genuit, tui corporis virginitas ipsum floridè peperit. O gloriosa et supergloriosa! O laudabilis et superlaudabilis! Quis valeat tua exprimere merita, dignè laudare præconia, dinumerare merita? Cælis (3) gaudium dedisti, terris Deum obtulisti, mundo pacem refudisti. Per te lux cæcis infunditur, fides cordibus oritur, consopiuntur vitia, confunduntur dæmonia, evacuantur tartara, augmentantur cælestia, recreantur pauperes, sustentantur debiles, exaltantur humiles, infirmantes sospitantur, pœnitentes illustrantur, inferna per te clauduntur, cælestia reserantur. Ex prædictis, clarissima Domina, liquet, quòd omnium benedictionem et laudem es assecuta, quia omnibus tua beneficia infudisti. Quamobrem Patriarchæ te desiderant, Apostoli te amplectuntur, et Evangelistæ te reverentur, Martyres te venerantur, Confessores te prædicant, Virgines te circundant, Angeli te glorificant, et omnes insimul te exaltant. Ego verò peccator, qui non sum similis uni ex illis (4) in laudem et gloriam et honorem tuum offero tibi, Domina, solem super omnia luminaria speciosum et fulgidum, ut per me in quartodecimo loco tuæ coronæ nobilis collocetur, quatenus corona tua eo ampliùs clarificetur et illustretur, copiosiore pulchritudine decoretur. Nam sol habet altitudinem in situ, agilitatem in motu, iucunditatem in aspectu, fecunditatem in effectu, luminositatem in actu. Quæ o-

* f. *animæ tuæ sanctitas.*

(1) MS. nost. *seu apertio.*
(2) Alva *in cordis iubilum.*
(3) MS. nost. *gloriam.*
(4) *In* deest in Alva edit.

Digitized by Google

omnia cum tibi valde conveniant, solem decrevi in tua corona meritò inserendum collocare. Tu enim, Domina, in alto es exaltata, quia tua conversatio extitit a peccatoribus elongata; siquidem in arduis cælorum constituisti nidum tuum, cor tuum suspendisti ad lumen illud purissimum, et [1] incircumscriptum, omnium rerum fontale principium, columbino et aquilino oculo contemplaris Deum Patrem luminum, per ardens desiderium divinum adorans mysterium, exprimens caritatis et devotionis incensum, [2] potans et degustans ex torrente divinæ voluptatis, et de dulcedine internæ suavitatis. Agiliter etiam moveris propter pietatem: girum enim cæli et terræ circuis, ut videas necessitates pauperum, suspiria iuvenum, dolores senum, lamenta viduarum, languores infirmantium, vota tibi servientium, ut velut patrona humani generis, et afflictis [3] medica singularis, subvenis cunctis divino munere ex officio magnæ misericordiæ tuæ, et affectionis viscerosæ. Infers etiam, Domina, [4] iucunditatem intuentibus et contemplantibus te: et hoc quia pulchra es ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum, cuius pulchritudinem sol et luna mirantur, cuius splendore sidera illustrantur, cuius [5] potestati Angeli famulantur. Sed quis ut tu, Domina, animas steriles sic fecundat? quis sic impinguat corda arentia? quis sic pectora frigida calefacit? Omnia bona, quæ illic summa maiestas decrevit facere, tuis manibus voluit commendare. Commissi quippè sunt tibi thesauri sapientiæ et scientiæ, iocalia charismatum, decoramenta virtutum, ornamenta gratiarum. Cùm igitur ex his bonis super nos seminas, sterilitatem nostram fecundas: sic salutaria opera facis producere, et fructus optimos propagare. Quantos latrones fecisti pœnitentes? quantas meretrices castas et continentes? quantos raptores pios eleemosynarios? quantos ebrios parcos et sobrios? quantos gulosos abstinentes et modestos? Quot luxuriosos castificasti? [6] quot iracundos mites fecisti? Clara es etiam ac splendida, et tota luminosa. Tu enim amicta lumine sicut vestimento, per coronam duodecim stellarum in tuo capite rutilantem, et solare pallium, quo te Ioannes vidit refulgentem, nobis liquidè declarasti, quòd sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic species et decor tuæ refulgentiæ [7] est in ornatum supernæ Ierusalem triumphantis et militantis. Unde sicut dulce et delectabile est oculis intuentium videre solem, ita iucundum et suave est valde omnibus turmis Angelicis tuam conspicere claritatem. Quam ob rem mirantur in te Angeli sincerissimam

(1) Alva edidit *circumscriptum* ex suo, animadvertens legendum esse *incircumscriptum*, prout reperimus in MS.
(2) *Portans* Alva.
(3) MS. nost. *medicina.*
(4) MS. *novam iucunditatem.*
(5) Alva *puritati.*
(6) *Quot iracundos mites fecisti*? hæc verba desiderantur in Alva.
(7) *Est* deest in Alva.

Digitized by Google

mam claritatem, Archangeli sanctitatem perfectissimam, Principatus [1] superioritatem generandum, Potestates * coercibilem potentiam, virtutes operationem mirificam, dominationes victoriam triumphalem, Throni placatissimam tranquillitatem, Cherubin radium sapientiæ fulgentis, Seraphin igniculum amoris æstuantis.

* f. coërcibilem.

ORATIO.

Cum igitur tanta miracula de te, Domina, prædicentur, oro, ut tuum amorem mihi infundas. Demonstra mihi Angelicum et venustum aspectum tuum, sicque lætus moriar, grandi spe et confidentia suffultus, et * in corruptione mea, et immarcescibili gloria securus. Amen.

* suppl. de.

CAPUT XVI.

Positio smaragdi pretiosi in corona Virginis.

Thronus sapientialis sanctæ Trinitatis, cathedra dignissima Filii Dei Patris, Domini nostri Iesu Christi mater virginea, et sponsa speciosa, tu mihi, Domina, post Deum es salus mea, spes mea, et consolatio mea: penes te bonorum omnium est mihi reposita multitudo: tu mihi es in fluctuatione anchora, in [2] naufragio portus, in tribulatione subsidium, in opportunitate auxilium, in prosperitate moderantia, in expectatione lætitia, in labore recreatio. Ostende ergo te, occurre mihi hilariter, filia summi Regis, dulcedo animæ meæ, lumen mentis meæ, pax et serenitas cordis mei. Videant te, tripudium Angelorum, reparatio perditorum, corona liliorum virginalium. Cognoscant te, spes pœnitentium, lumen mentium, fons omnium bonorum, corona triumphantium. Appare mihi, consolatrix animæ meæ, sanitas cordis mei, via salutis meæ. Amplectar te sanctis et castis desideriis, Virgo, lilium castitatis, [3] primiceria munditiæ virginalis. Et quia decorem et pulchritudinem tuam honorare decrevi, rogo te, Domina, smaragdum lapidem pretiosum, [4] quem in quintodecimo loco tuæ coronæ statui situare, in laudem et gloriam tuam acceptare digneris. Smaragdus enim est lapis pretiosus, carus et speciosus, virore placidus, oculis gratiosus. Huic Virgo valde assimilaris, regina et stella orientalis. Quæ enim creatura [5] unquam fuit charior et pretiosior Deo, utilior mundo, necessarior generi humano? Tu non solùm pretiosior es lapidibus pretiosis, verùm etiam cunctis feminis, sole, luna, et stellis cæli, Angelis, et sanctis universis. Tu etiam es lignum pomiferum in medio paradisi, quod per [6] rivum fontis irriguum vires, flores, frondes, et fructificas: vires in germinatione bonorum morum, flores [7] in prolatione virtutum, frondes in

(1) MS. nost. *superioritatem generandam.* Alva coniectabatur *generalem.*
(2) Alva *naufragium.*
(3) *Per merita munditiæ virginalis* Alva.
(4) *Quod* Alva.
(5) *Numquam* idem.
(6) MS. nost. *vivum fontis irriguum.*
(7) Alva edebat ex suo *imploratione*; coniectabatur tamen forte legendum *in ploratione.*

Digitized by Google

in dilatatione pietatis, fructificas in operibus sanctæ caritatis. [1] Viror tuus oculos mentis et corporis clarificat, virtus tuorum foliorum languentes recreat, odor tuorum florum mortuos suscitat, dulcedo tuorum fructuum pœnitentes et desperatos salvat.

ORATIO.

[2] Clarifica ergo, Domina mea, oculos mentis meæ tuo grato virore, recrea animam meam tuo sancto dulcore, me mortuum suscita tuo miro odore. Possideam te totaliter in medio cordis, et in arcanis pectoris mei, lux mundi, splendor Ecclesiæ, lætitia Ierusalem, honorificentia populi nostri. Infunde amorem tuum ardentissimum in visceribus meis, ut ferveam ad laudandum te, ad glorificandum te, ad loquendum de te, ad prædicandum de te. *Sonet*, gloriosa Domina, *vox tua in auribus meis*, sentiam venas susurri tui, ostende mihi pulcherrimam faciem tuam, et salva erit anima mea. Et cum omnia viscera tua pietate et misericordia sint plena, [3] sisque post Deum singulare refugium nostrum, oro te, ut piè et devotè audias planctum dolorum quibus affligimur, angustiarum quibus cruciamur; nam hodie pax de terris evanuit, fame humana natura languet et deficit, christianus christianum expoliat et occidit. Messes et fruges a feris devorantur, vineæ ab ipsis demoliuntur: quotidie pullulant vitia, quotidie cumulantur peccata, hinc inde discurrunt dæmonia, terræmotus magni quandoque per loca: pietas et misericordia desiit a laicis, honestas et castitas a clericis, cupiditas et indevotio regnat in religiosis, sæculares aurum et argentum aggregant, religiosi hæc eadem ambiunt et desiderant. Prælati ad dignitates anhelant, evertuntur castra, depopulantur urbes, sæviunt mortalitates, fiunt fraudes et deceptiones, propalantur mendacia, perpetrantur furta, expoliantur monasteria, constuprantur virgines, [4] violantur moniales, deturpantur maritatæ. Ecce, clementissima Domina, in quantam miseriam cecidit humana natura, in quantam tristitiam corruit mater Ecclesia, quanto dolore cruciatur omnis creatura. Condoleat igitur, pia mater, pius affectus tuus, compatiantur generi humano viscera misericordiæ tuæ, assiste pro nobis ante tribunal Dei, flecte rigorem Dei Patris, revoca sententiam iudicis, fræna sevitiam adversariæ * pietatis, nova pax oriatur de cælo, opera pietatis reviviscant in sæculo, actus virtuosi [5] floreant in claustro, merita tua recolantur in mundo, laus et gloria reddatur Domino Iesu Christo, et Patri, et Spiritui sancto. Amen.

Cant. 2. 14.

* f. impietatis.

(1) Corruptione Alva *Virgo tuos oculos.*
(2) Alva *glorifica.*
(3) Alva *sicque post Deum.*
(4) Alva *violantur maritales.*
(5) MS. nost. *refloreant.*

Digitized by Google

CAPUT XVII.

Positio floris pulcherrimi, scilicet violæ, in sextodecimo loco in corona Virginis.

Tu Domina nostra speciosa valde, virgoque pulcherrima et incognita viro. Speciosa es inter omnes filias Ierusalem, quia illæ sponsæ Christi tantùm, tu vero mater et sponsa: illæ uno tantùm virginitatis gaudent privilegio, tu verò fecundaris, et virginitatis gaudes privilegio: tu verò fecundaris, et virginitatis tanquam duplici prætitularis ornamento. Pulchra es etiam casto amore, pulchrior pietatis opere, pulcherrima pro Christi virginea conceptione, et parturitione. Pulchra in virginitate, pulchrior in humilitate, pulcherrima in caritate. Pulchram te fecit morum suavitas, pulchriorem operum sanctitas, pulcherrimam regalis maiestas. Potestatibus Angelicis circumvallata, omnino fuisti intacta, mente et corpore inviolata. Tu es illa maris stella, supremo cæli cardine Deo proxima, ad quam suspirant Christicolæ inter fluctus huius sæculi navigantes, quatenus cæcitati nostræ infundas radios fidei, quos infelix homo, nudatus iustitia, citò a se repulit et abiecit. Idcirco ut a te merear illustrari, tuisque meritis salvari, offero tibi quemdam florem pulcherrimum, scilicet violam, quæ in sextodecimo loco tuæ coronæ per me nunc inseritur, ut eius odore placido respergatur. Est enim viola decorus flosculus colore hyacinthino, mirè odoriferus, in medicina proficuus. Iste flos, o Domina, valde tuæ coronæ congruit, quia tu illum in virtutibus imitaris. Nam tu, sacra Virgo, es viola puritatis, viola pudicitiæ, viola castitatis, viola (1) convalescentis, viola redolentis, viola suavitatis, (2) viola sanctitatis. In colore hyacinthino simili cælo sereno notatur (3) affectus tuus de terris ad alta sublevatus. Tu enim, Domina, inter astra matutina constituisti cubile tuum, ut cum filiis Dei iubilantibus laudares creatorem tuum; ad sponsum enim in dextera maiestatis sedentem suspendisti cor tuum. Unde quidam sanctus inquit: Sublime sanctum verticem erexisti, Domina, usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum maiestatis. Sed et fragrantiâ tuæ miræ suavitatis, et redolentiâ tuæ dulcis et piæ visitationis corda te diligentium lætificas, et tuo spirituali tactu languentes recreas atque sanas. Idem dicit quidam sanctus: Tu patrona generis humani, tu afflictis rebus medica singularis.

ORATIO.

O dulcis medica, (4) animarum curatrix, cordium illustratrix! sana languores meos, illumina cæcitatem meam, illustra fidem, confirma spem, accende caritatem. Tu stella lucida, quæ splendorem paternæ gloriæ in splendoribus sanctorum rutilantem nobis

(1) Idem *viola sanitatis.*
(2) MS. nost. *convalescentiæ... redolentiæ.*
(3) Idem *effectus tuus.*
(4) Alva *animarum curatarum.*

Digitized by Google

bis genuisti, æternum Mane in umbra mortis sedentibus nuntiasti: velut aurora consurgens cursus æterni solis prætulisti, luce gratiæ mundum illuminans, iubare virtutum sanctam Ecclesiam illustrans. Splendor tuus illustrat cælum, illuminat mundum, penetrat infernum, vitia abolet, virtutes refovet, sanctitatem ministrat, pacem et caritatem de cælis nobis procurat. Tu etiam luces innocentia, radias castitate, totius sanctitatis magnificaris ornatu. Tu mater es æternæ lucis, cuius claritate Angeli gratulantur, gaudent homines, et speciali iucunditate spiritus et animæ reficiuntur. Tu es aurora solem generans, cui indefessè rutilans continua de luce iucundat. Huius splendore irradiaris, feliciter illuminaris, excellentissimè illustraris. Tu porta templi clausa, Regum principi præparata, domus Dei sacrata, sigillo totius Trinitatis signata. Tu nubes lucida, per quam caligo peccatorum destruitur; nubes rorida, qua nostra ariditas dulcoratur, nostra sterilitas fecundatur; nubes candida, qua caligo dealbatur, de qua nube sic dicitur:

O nubes lucis fulgida,
In cælis sublimata,
Iesse virgula florida,
Gratia fecundata.
Arca rore madida,
Desursum irrigata,
Irrora corda arida
Stilla dulci et grata.
Tu thronus sapientiæ,
Et virga æquitatis,
Tu cedrus pudicitiæ,
Vitis ubertatis,
Cypressus redolens,
Oliva lenitatis,
Ad portum indulgentiæ
Duc nos, fons pietatis.
Tu castitatis lilium,
Porta orientalis,
Trinitatis triclinium,
Thronus imperialis,
Peccatorum refugium,
Materque principalis,
Ad cælorum fastigium
Trahe nos, flos vernalis.
Sacramentis inventio,
Sidus miri splendoris,
Legis nostræ præfatio,
Textus summi Doctoris,
Esto nostra protectio,
Mater plena dulcoris,
Nostræ salutis actio,
Post hanc vallem mœroris.
Amen.

CAPUT XVIII.

Amethystus lapis pretiosus in corona Virginis.

Salve sancta Mater Dei, aureum reclinatorium Salvatoris mundi, orientale lumen, sanctorum pectora illuminans et illustrans. Philosophia virtutis, Christianorum magistra, claustralium disciplina, doctrina pacis, gladius spiritus, galea victorialis. Tua virtus irradiat cælos, lætificat Angelos, terrificat diabolos, evacuat tartaros. Tu thronus imperialis, et sedes sanctæ Trinitatis, dormitorium Iesu Christi, a sancto Spiritu consecratum, sanctificatum, et adornatum. In terris adoraris, in cælis coronaris, (1) fortem alligas, va-

(1) Alva *fortem illigas.*

vasa diripis captivitatis. Tu mater virtutis, mortificatrix criminis, clavis regni cælorum, castitatis speculum. Salve Virgo speciosa, terrestria confœderans cælestibus, homines socians Angelis, et sempiterno fœdere copulans ima summis. O Virgo sincerissima, a Patriarchis præfigurata, a Prophetis præmonstrata, ab Apostolis prædicata, a Doctoribus prætitulata! Ex quo igitur tot et tantis bonis illustraris, a cunctis sic magnificè commendaris, iustum est, ut modicum quid de mea penuria tibi offeram ad clarificandam maiestatem tuam venerandam. Suscipe ergo gratanter, Domina, pretiosum lapidem amethystum, quem in decimoseptimo loco tuæ coronæ situo, ut illi præbeat splendorem suum. Est autem amethystus ex parte violaceus, ex parte rosaceus, super lapides purpureos obtinet principatum. Et quia huic, Domina,[1] similaris, debet in tuo diademate situari. Tu enim fuisti grata et odorifera ut viola fragrans, atque purpurea velut rosa. In viola parvula tua humilitas commendatur, et in rosa colorata tua caritas designatur; ut enim ex conceptu * tui te fecisti Dei ancillam humilem, ita ex amore flammeo quo eum dilexisti, ipse te fecit gloria et honore sublimem; tantaque sunt tibi data charismata gratiarum atque prærogativæ virtutum, ut non solùm homines præcelleres, verumetiam Angelos, et Archangelos, cælique Principatus, ac Cherubin, et Seraphin legiones. Superasti Virgines per castitatem mirabilem; miranda fuit enim tua virginitas, quia fecunditate privilegiata. Ex fecunditate tua virginea propagasti nobis redemptorem omnium, salvatorem salvandorum, reparatorem Angelorum, quod nulla alia virgo facere potuit. Superasti Confessores per virtuosam operationem; licèt enim mira fecerint, tamen tu ipsis fuisti superior, in signis virtutum, et in laboribus pœnitentiæ, in operibus misericordiæ, in fervore spiritus, in affluentia pietatis. Superasti Martyres per victoriam triumphalem; nulli enim doli[2] tentatoris claustra tuæ virginitatis potuerunt dirumpere, nulla blandimenta seductoris valuerunt tuam constantiam emollire, nulla iacula hostis sævientis tuam fortitudinem potuerunt superare. Superasti Apostolos per excellentissimam sanctitatem; fuisti enim illis superior in amore Dei, in dilectione proximi, in cognitione mysteriorum Iesu Christi, et in [3] capacitate mysteriorum Altissimi, et in degustatione gloriæ cælestis. Superasti Patriarchas et Prophetas in fide, et spe, et longanimitate, in clariore cognitione præteritorum et futurorum, et intelligentia ænigmatum et figurarum. Superasti omnes choros spirituum supernorum in puritate mentis, in claritate intellectus, in signis, et

* *f. tui filii.*

(1) *Similis* Alva.

(2) Alva edebat *temptares* suspicabatur tamen legendum *tentaris*. Vera lectio ea est quam ex nost. MS. repræsentamus.

(3) Alva ex suo *compacitate*.

Digitized by Google

et virtutibus, et prodigiis, in refrænando hostiles insultus, in principatu mirabili, in dominatu glorioso, in tranquillitate pacis, in splendore sapientiali, in ardore caritatis.

ORATIO.

Cum igitur, dulcissima Domina, omnia bona a Deo in manu tua sint posita, ut liquet ex præcedentibus, rogo te, ut hanc orationem digneris placenter suscipere, ut pacem et indulgentiam mihi placeas impetrare.

O Virgo splendor gloriæ,
Sanctificata Spiritu,
Columba plena gemitu,
Nobis Ægypti exitu,
Occurre plena gratiæ,
Et familiæ malignæ
Defende nos a fremitu,
In iustorum exercitu,
Dulci fruamur requie.
Gratiarum monilibus
Ornaris Christi gratia:
Pretiosis lapidibus,
Virtutum fulgens gratia.
Tu plena sapientia
Cunctisque charismatibus,
Nos dæmonum insultibus,
Tua nos serva potentia:
Da nobis pacem omnibus,
Virginum primiceria.
Tu sempiterno fœdere,
Cælesti sponso iungeris,
Fac nobis dilucescere,
Hunc cuius mater crederis;
Et cum sis arca fœderis,
Placatum nobis reddere
Illum vindictæ tempore
Meritis quibus frueris.
Succurre nobis miseris,
Iam lucis orto sidere,
Et digneris occurrere
Nobis in die funeris.

CAPUT XIX.

Luna clara et fulgida in corona Virginis.

Gaude et lætare, filia Sion, virgo inclita, lilium paradisi, quia in te gaudent Angeli atque Archangeli, Cherubin quoque et Seraphin, Principatus et Potestates, totiusque cælestis exercitus legiones. Siquidem tu es reconciliatio mundi, forma pacis, via salutis, regula disciplinæ: te Salvator adamavit, tua carne se induit, tibi suam gratiam commendavit. Ideo pro tantis beneficiis te laudant Angeli, adorant Dominationes, Principatus et Potestates colunt et celebrant, [1] beatiquè Seraphin extensis alis præferunt et demonstrant. Et ego peccator pauperculus et indignus, ut tibi aliqualiter complaceam, in decimooctavo loco tuæ coronæ situo lunam claram et lucidam, ut splendore suo illustret et clarificet illam. Luna enim a sole lumen recipit, [2] estque illuminativa noctis, amica, et diffusiva roris, revelativa latronis. Quæ cum tibi, clarissima Domina, optimè conveniant, meritò debet in tuo diademate collocari. [3] Tu ante illam altissimam maiestatem collocata, illi tuos castos et puros oculos es infigens, Deum

(1) MS. nost. *beatamque Seraphin*, sed fortè scribendum fuit *beataque*.

(2) Alva *cumque illuminativa...... relevativa latronis*, nos vero edimus ad MS. cuius veram lectionem suspicatuse st Alva.

(3) *Tu autem illam, etc.* ita Alva; cuius coniectura erat *tu aitem in illa* longe distat a vera lectione nost. MS.

Deum omnipotentem sedentem in throno cupidè sitiens et concupiscens, qui tibi velut suo amicabilique obiecto suam claritatem transmittit et communicat. Ex qua tu, Domina, peccatorum noctem illuminas, tenebras noctis propellis et fugas, ariditatem animarum gratia reficis et impinguas, et prædetegis conventicula, illusiones aërearum, machinamenta latronum spiritualium, et omnes nequitias, et diabolicarum falsitatum. O igitur sancta virgo virginum, sanctum et benedictum triclinium supernæ maiestatis! Quantis laudibus tenemur te laudare? Quantis precibus et lachrimis te inflectere, ut ab his spiritualibus nequitiis nos defendas? Tu enim es gloriosum reclinatorium Salvatoris sæculorum, qui ex tua clara carne ac virginea in aula castissimi ventris nobile et honorificum præcinctorium sibi fabricavit ad crudelem mortis Principem debellandum. Tu etiam es sanctum, et inviolabile, et intemeratum sancti Spiritus sacrarium, in quo idem Spiritus sanctus reposuit thesauros gratiarum suarum et charismatum; reconditi namque sunt apud te thesauri indeficientes [1] virtutis et gratiæ, pacis et misericordiæ, salutis et sapientiæ, honoris et gloriæ. Adhuc etiam idem spiritus contulit tibi, ut in nomine
Philip. 2. 10. tuo *omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia* tu Mater Domini nostri Iesu Christi *es in gloria Dei Patris*, sedens a dextris amantissimi sponsi, et unici filii tui, immarcescibili corona septem stellarum fulgore radianti insigniter coronata, turmis virginalibus constipata, super omnes sanctos mirificentiùs exaltata, alternantibus hymnidicis Angelorum choris, in liliis perpetuæ virilitatis, infra curiam paradisi, ad quam nos perducat filius tuus, per hoc carmen tibi oblatum tuis precibus delinitus.

ORATIO.

Ave thronus maiestatis,
Ave flos humilitatis,
Et candoris lilium:
Totius divinitatis,
Illibatæ caritatis
Templum et sacrarium.
Ave terra virginea,
Sive cælestis area,
Gerens florem gratum;
Quam fecundavit spiritus,
Obumbravit divinitus
Verbum incarnatum.
Ut lux aurora vernula
Cæli depellit nubila,
Diei dat splendorem;
[2] Sic ortus tuæ claritatis,
In novella iucunditatis
Proferens Salvatorem.
Nos in mortis agonia,
Virgo pro tua gratia
Digneris visitare,
Et ad superna gaudia,
Ubi perennis est gloria,
Post mortem convocare. Amen.

(1) MS. nost. *veritatis, et gratiæ.*
(2) *Sic* pro *ac* habet MS. nost. in quo paulo infra pro *agonia* legitur *angaria.*

CA-

CAPUT XX.

Positio chrysoliti lapidis pretiosi in corona Virginis.

Iucundare Virgo filia Sion, et exulta satis Christi mater et sponsa, quia Dominus est tibi in lucem sempiternam, et filius tuus amantissimus in gloriam tuam. Vox [1] speculatorum cælestium resonet tibi laudem, et iubilus astrorum matutinorum distillat tibi canticum gloriæ et honoris. Et meritò quidem, nam luce miserationum tuarum cæli et terra illustrantur. Quis enim, viscerosa mater, vitare potest pietatis tuæ dulcedinem? Tuis meritis confunditur diabolus, evacuatur tartarus, illustratur mundus, tripudiat Angelus, repletur paradisus. Quas enim gratiarum actiones tibi, regina veneranda, ego indignus peccator potero referre? In tuo sancto ventre latent divina mysteria, in tuo sancto corde Dei arcana, in tuo sancto pectore residet Dei sapientia, in ventre [2] tuæ matris gratia fuisti repleta. Nulla sorde unquam polluta, nullo contagio maculata, Deum castè suscepisti, sacra carne induisti, illibatè peperisti. Et quia, sacra Domina, protulisti nobis dulcissimum puerum in salutem et gloriam sempiternam, in laudem et gloriam tibi offero chrysolitum, lapidem pretiosum, ut in loco vigesimo tuæ coronæ nobili collocetur. Chrysolitus partim aureo colore, partim marino decoratur. In auro pietas, in colore maris amaritudo exprimitur; nam sicut aurum omnia metalla superat, sic pietas omnia exercitia corporalia, promissionem habens vitæ, quæ nunc est et futuræ, et est propriè cultus Dei. Tu igitur, Domina, semper fuisti pia erga miseros, dulcis erga tribulatos, misericors erga pauperes; fuisti etiam, Domina [3] purissima, divino cultui totaliter dedicata, Deum toto corde diligendo, ipsum totis viribus laudando, in eum tendendo, eius faciem semper quærendo, ipsum contemplando, illi inhærendo, illum gustando, et de torrente voluptatis eius potando; et propter hæc illum in tuo ventre virgineo [4] humanatum portasti, et sine dolore peperisti, sacro ubere lactasti, flentem dulciter consolasti, amicabiliter nutristi, dulcia illi oscula impressisti, ita ut nullis unquam usibus mancipata fueris nisi divinis. Fuisti etiam ex persecutionibus et tribulationibus filii tui amantissimi amaricata, et ex doloribus et passionibus eius multum angustiata, et ex eius morte in anima gladio transfixa, ut tibi fuerat prophetatum, *et tuam ipsius * pertransibit gladius.* *Luc. 2. 35.* * suppl. *animam.*

ORATIO.

Ergo cum tot insignia de te, Domina, prædicentur, verte sanctum et pium intuitum super me peccatorem miserum, omni gratia privatum. Illustra spiritum meum,

(1) In Alvæ edition. *especutorum.*
(2) *Dei matris* legitur in MS. absurdissimè.
(3) *Piissima* idem.
(4) Alva *humanatum porta*: MS. nost. *humanitatum portasti.* Ex utroque vera lectio resultat.

meum, recrea pectus meum, accende cor meum, et vivifica animam meam, [1] renova mentem meam. Pia, refice me: prudens virgo, instrue me: lucerna mea, illustra me: virtus mea, conforta me. Per te dirigatur operatio mea, per te gubernetur intentio mea et affectio: intret lux tua in corde meo, et amor tuus in visceribus meis, et caritas tua in præcordiis meis, ut dulciter sapiam de te, et videam, et intelligam, quid placidum et [2] acceptum sit coram te omni tempore. Tu Virgo sanctissima, es Arca Testamenti, circumtecta ex omni parte auro, in qua sunt omnes thesauri gratiæ et misericordiæ Dei: exteriùs inaurata virtutibus, interiùs innocentia et pietate: interiùs fulgens auro pietatis, exteriùs rutilans operibus caritatis, et miraculorum claritate. Tota es munda intus in mente, tota pulchra exteriùs in operatione, tota carens macula, tota Deo sociata, divina claritate fulgens, divinis laudibus resultans. Tu es templum Domini, ubi est omnipotentia in caritate, sapientia in humilitate, benignitas in virtute, soliditas in credulitate, simplicitas in perfectione, castitas in virginitate, sanctitas in actione et opere. Tu es vita mundi, medicina animarum languentium, arbor vitæ in medio paradisi, cuius fructus sanat contritos, reparat languidos, solatur tristes, sustentat imbecilles. Tu es etiam gloria mundi, columna cæli, firmamentum virtutis, romphæa peremptrix diaboli, morsus inferni. Tu extinguis concupiscentias, fructus virtutum germinas, tentatos roboras, cæcos illuminas, sitientes potas, esurientes cibas, morientes tuo caractere munis, et salutari ducatu perducis ad gloriam paradisi, quam nobis concedat filius tuus benedictus. Amen.

CAPUT XXI.

Hic Virgo laudatur devotè, et solsequium in eius corona.

Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic species tua, virgo MARIA, in ornamento totius aulæ paradisi: quam speciem concupivit Rex Regum, Dominus et Princeps regnantium, faciens admirabile commercium, suam nobis deitatem tribuens, nostram capiens mortalitatem, ut paupertatem nostram de stercore erigeret, sceptrisque imperialibus, ac perenni regno illam mirabiliter insigniret. Ideo ab omnibus sanctissima prædicaris, quia omnium bonorum causa nobis effecta es, non solùm salutis [3] perpetuæ, verùm etiam totius virtutis et sanctitatis vitæ. [4] Ex te das nobis exemplum bonorum operum, et impetras a Domino diversa * charismatum gratiarum. Nam per te influit in nobis misericordiæ suæ dulcedinem, suæ pietatis clementiam, et gratiæ ubertatem; per te dispensantur divina charismata,

* *f. charismata.*

(1) Alva *revoca.*
(2) Mendose in Alva *et accepto.*
(3) Alva *perpetuum.*
(4) *Excedas* edidit Alva: videbat tamen ipse veram lectionem, quam reperimus in nost. MS.

Digitized by Google

ta, per te reserantur arcana cælestia, in te latent mysteria cælica, ex te manant Ecclesiæ Sacramenta. Gaudia accumulas Angelis, salutem paras hominibus, pacem terris annuntias, Deum ad misericordiam inclinas. Per te lux cordibus infunditur, dulcedo peccatoribus distillatur, mentibus gaudium, tristibus solatium oritur, bravium laborantibus, et corona certantibus. Tu es fructus salvificus, vivo fonte irrigatus, pietatis balsamiticum liquorem distillans. Ex te enim defluunt caritatis aromata, suavitatis unguenta, odoramenta virtutum, et irrigua lacrymarum. Tu cinnamomo fragrantior, tu cedro virtuosior, cypresso redolentior, cibis pigmentorum suavior. Tu animarum speculum, tu nectar Angelicum, imperiale ornamentum. Per te fracta sunt tartara, redempta plebs captivata, cælestia patefacta. Ex te prodeunt flores rosarum, et lilia convallium, et omnia genera specierum. Tu sapphyrus Indicus, scintillans carbunculus, tu rutillans sapphyrus, tu viroris smaragdus. In te sunt thesauri pretiosorum lapidum, fragrantia omnium unguentorum, suavitas omnium aromatum, et claritas omnium stellarum. Virtutes tuæ pretiosiores sunt auro, fragrantiores sunt cinnamomo, pulchriores sapphyro. Merita tua vincunt suavitatem unguentorum, decorem ornamentorum regalium. Fecunditas rutilat ut stella matutina, splendet velut luna plena, refulget ut sol [1] virtute superna. Ideo pro tantis prærogativis meritorum ego peccator de mea penuria in honorem et gloriam tuam offero tibi solsequium, florem redolentem et gratum, ut in tua corona affigatur, et in loco vicesimo collocetur. Solsequium dicitur, quia sequens solem; nam sole super eum veniente, statim applaudendo se illi aperit; eo verò recedente, [2] tristis se in ipso constringit, complicat, atque claudit. Huic assimilaris, virgo purissima. Nam cum sol iustitiæ, videlicet Verbum supernum prodiens, nec Patris linquens dexteram, ad opus suum exiens, suscepturus naturam nostram, ingreditur uterum tuum, volens induere carnis nostræ pallium, et ex purissimis tuis sanguinibus sibi fabricare indumentum; quàm gratanter, quàm festinè illi affectum tuum reserasti, * summæ mentis dilatasti, desiderium extendisti, et ut diu tecum remaneret, illum amoris amplexibus restrinxisti! Cum verò post mortem suam se a tuis aspectibus absentavit, remansisti tristis et solitaria, dolens et gemebunda, multisque calamitatibus oppressa. Et sicut solsequium est gratum oculis in colore, sic tu ex humilitate et benignitate tua fuisti oculis supernæ maiestatis grata, totiusque sanctæ Trinitatis aspectui placentissima: Et ut ex odore recreat odoratum, sic tuæ virginitatis fragrantia redoluit Angelis, sa-

* f. *sinum mentis.*

(1) MS. nost. *in virtute sua.*

(2) Idem *velut tristis in se ipso constringens, complicat, etc.*

sacris puellis Christi, oblectamentum præbuit Dei Filio, odorem fudit mirificum, et cælestis Ierusalem cunctis civibus voluptatis spiramentum.

ORATIO.

O igitur puella virginea, humilitate placida, virtutibus odorifera, caritate ignifera et luminosa! Tu cor devotum mira dulcedine delectas et inebrias, pectus purgas et castificas, animam irradias, et illustras, et serenas, omnia interiora illuminas. In amorem tuum, oro, ut ferveat affectus meus, liquescat anima mea, inflammetur cor meum, gratia tua refoveantur viscera mea, dulcore tuo impinguescant omnia interiora mea, numquam deficiat laus tua de ore meo, nec amor tuus de præcordiis meis, nec sanctum nomen tuum de corde et memoria mea, ut te semper sentiam protrectricem in tentatione, consolatricem in tribulatione, et in periculis adiutricem, in nubilo illustratricem, in acerbitate dulcoratricem, in adversitate liberatricem, in necessitate subsidium, in conflictu mortis solatium, dux fidelis et socia ad Angelorum gaudia. Amen.

CAPUT XXII.

Chrysopasus in corona Virginis.

Iudith 14.16. *Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabucodonosor.* Mulier Hebræa est virgo MARIA, virtutum monilibus adornata, ab Abraham Patriarcha Hebræa nuncupata;[1] quod de radice Iesse velut virga vernula propagata, florem protulit pulcherrimum dominum nostrum Iesum Christum, cuius odore resurgunt mortui, cuius fragrantia[2] resperguntur cæli et inferi, cuius redolentia recreantur homines universi. Tu verò virga Iesse gracilis, extenuata cælestibus disciplinis, virga aromatizans fragrantiam caritatis et sanctitatis, virga dominationis et virtutis, confusionem in domo Nabucodonosor, id est, diaboli fecisti, cum virgam tyrannicam eius confregisti, extinguens Holofernem ipsius Principem, principatum et dominationem eius[3] a nobis evacuando, crudele iugum eius a facie olei fecisti computrescere, et ab oppressione nostra sceptrum durissimum deperire. Et ideo beatissima ab omnibus prædicaris, per quam salus datur mundo, gaudium cælo, honor et gloria Deo, pax peccatoribus, spes lapsis, lux cæcis, Ecclesiæ gratia et benedictio, iustis perpetua beatitudo. Propter quod cùm sis talis, ac tanta, omniumque bonorum post Deum nobis causa extiteris, extollo te laude quintuplici, ut gratia tua dignus merear inveniri. Ave regina misericordiæ, sponsa Christi, mater Dei, filia summi Patris, amica Spiritus sancti, salus mundi, lumen Ecclesiæ, dulcedo pietatis. Ave regina virginum, Imperatrix Angelorum, exultatio bonorum, amica pacis. Mater virgo, dulcis femi-

(1) MS. nost. *quæ.*
(2) *Respergunt* Alva.

(3) *A nobile* edebat Alva pro *a nobis*, quod est in MS.

Digitized by Google

mina, lucerna iustitiæ, doctrina sanctitatis. Ave rosa placentior, lignum vitæ, lilium paradisi, Trinitatis triclinium, æterni Verbi palatium, felix cæli porta, solamen in mœrore. Ave plena gratia, mater pauperum, advocata peccatorum, sceptrum æquitatis, gaudium animæ, pax peccatoris, tripudium et lætitia cordis. Ave nostra fiducia, firmamentum debilium, splendor in tenebris, fundamentum fidei, portus indulgentiæ, via pœnitentiæ, fons dulcedinis, causa nostræ salvationis. Sed quia amplius te honorare cupio, chrysopasum lapidem pretiosum tibi offero, quem in vicesimoprimo loco tuæ coronæ affigere curabo. Chrysopasus aureo pallore refulget, et colore viridi decoratur. (1) Cui quia similis efficeris, debet meritò tuæ coronæ affigi. Tu enim tamquam aurum ante Deum rutilasti, et sanctorum operum virore ei complacuisti. In auro sapientia, in virore virginitas designatur. Fuisti etiam, Domina, virgo pura, virgo sancta, virgo immaculata, mente et corpore illibata. Et quia te virginem Deo dedicasti, primaque illi virginitatem vovisti, scientia et sapientia copiosissimæ datæ sunt tibi: ideo et virgo prudens, et femina sapiens construxisti domum tuam, non dico, tibi, sed Deo. Nam ille qui in cælis habet habitationem, specie tua et pulchritudine tua illectus, in tua sancta anima constituit thronum suum, et in tuo alvo virgineo domicilium suum: ubi compegit nostræ substantiæ pallium, quo vicit humani generis inimicum: ex quo traxit sanguinem purpureum, delentem nostræ perditionis chirographum, placantemque nobis Deum Patrem omnipotentem. Sed quia (2) tantæ maiestatis habitationem non ornatam minime decet apparere, ille, qui in te posuit tabernaculum suum, ornavit te septem donis Spiritus sancti, tamquam septem pretiosorum lapidum nobilissimo ornamento. Primò ornavit te dono sapientiæ, quo tota es elevata in divinis per amorem ecstaticum. Secundò ornavit te dono intellectus, quo in arcanis es dilatata per splendorem hierarchicum. Tertiò dono consilii, quo facta es prudens, sagax, et astuta per documentum cælicum. Quartò dono scientiæ, quo facta es in Scripturis educata per Christi magisterium. Quintò dono fortitudinis, quo sis fortis, constans, et vigorosa contra omnem adversitatem. Sextò dono pietatis, quo sis clemens, pia, et viscerosa propter infusam caritatem. Septimò dono divini timoris, quo sis (3) mens simplex, et timorosa erga tremendam maiestatem.

ORATIO.

Et ideo rogo te, clementissima Domina, ut tua gratia muniat frontem meam, illustret sensus meos, corpus castificet, sensus

(1) Alva *et quia.*

(2) Alva *tantæ maiestati habitationem non ordinatam.* MS. nost. *maiestatis .... non honoratam.*

(3) MS. nost. *mens mitis simplex, etc.* credimus legendum *mente mitis.*

sus sanctificet, cor inflammet. Virtus intret in animam meam, illuminet conscientiam meam, purificet carnem meam. Gratia et virtus tua me tueatur in tentatione, me consoletur in tribulatione, mihi assistat in periculo, me protegat a peccato. Gratia tua mihi assistat orando, legendo, meditando, loquendo, comedendo, vigilando, et dormiendo. Misericordia et pietas tua remittat mihi debita, cumulet merita, restauret perdita, acquirat mihi bona sine mensura. Gratia et virtus tua illustret mortem meam, repellat hostem meum, eruat me de manu inferni, et perducat me ad gaudia paradisi. Amen.

CAPUT XXIII.

Hic Oriona stella splendida in corona Virginis collocatur.

Vidi speciosam sicut columbam, et circundabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Meritò, Domina, Spiritus sanctus tuum ascensum in hoc verbo miratur. Tu siquidem es pulchra fide, speciosa facie, decora mente, formosa [1] sanctitate; simplex, ut columba, et candida in anima, omni munditia et innocentia dealbata; quam circundant astra lucentia Angelorum, et Apostolorum, rosæ fragrantes Martyrum, violæ redolentes Confessorum, lilia candida Virginum. Est autem rationalis condecentia: nam innocentia et puritas tua excedit innocentiam Angelorum, sapientia tua Apostolorum intelligentiam, constantia tua Martyrum tolerantiam, prudentia tua Confessorum solertiam, castimonia tua Virginum continentiam. Quis enim Angelus in divinis sic rapitur? Quis Apostolus sic in amore succenditur? Quis Martyrum in patiendo constantior? Quis Confessorum in opere virtuosior? Quæ virgo aut sancta femina in castitate mundior? Idcirco cùm tam mirabilis existas in omni gratia, volens mihi illam a te, Domina, comparare, præsento tibi Orionam stellam claram et splendidam, ut in ea corona tua illustretur, et in loco vicesimosecundo affigatur. Est autem Oriona stella splendida, pluviæ diffusiva. Tu enim, Domina, fuisti Oriona splendida, cum Deum fide concepisti, et splendidior effecta, cum post partum inviolata permansisti, splendidissima, cum in choro gloriæ super choros Angelorum et Archangelorum exaltata fuisti. Et cum sis cælestis area compluta, cælesti rore imbuta, infundis nobis pluviam gratiæ et devotionis, pluviam pœnitentiæ et contritionis, pluviam doloris et lacrymationis, pluviam dulcedinis et consolationis.

ORATIO.

O igitur nobilis et generosa mater æterni et [2] incarnati Verbi Patris, quæ mundo perdito subvenisti per fructum salvificum, ex immaculata carne tua per candorem virgineum et rorem mirificè procuratum! O præclara puel-

(1) Alva *sanitate.*

(2) MS. nost. *increati Verbi.*

Digitized by Google

puella in matrem summi Regis ab æterno et ante sæcula præparata! O Regina splendida! ab Spiritu sancto in sponsam omnium virtutum monilibus adornatam, a primo diluculo exoptatam, opus mirificum a summo conditore varietate mirifica vivifica compactum, totius sanctitatis et perfectionis sculptura mirificentiùs decoratum. Ego indignus et vilis peccator, licèt pollutus vitiis, maculatus concupiscentiis, et inquinatus sordibus, turpatus voluptatibus, involutus tenebris, obscuratus peccatis, vagus corde, instabilis mente, maiestatem tuam cupio extollere laudibus, tua sancta merita efferre præconiis, virtutum et gratiarum tuarum insignia titulis glorificare devotis. Sed o tu Domina, quæ in tuo incessu habes honestatem, in tuo aspectu venustatem, in manibus liberalitatem, in oculis verecundiam, in labiis facundiam, in auribus clementiam, prudentiam in verbo, sanctitatem in animo, Dei sapientiam in pectore, divina arcana in mente, Verbum Patris humanatum in ventre, totaque gratiarum omnium ornamentis circunstantiata, intus et extra rutilans decore præcipuo, medere nostris languoribus et infirmitatibus, infunde lumen sensibus, pectus aridum perfunde unctione mirifica, et omnia mea intima illuminatione gloriosa, ut sic sermones sanctos et gloriosos et devotos tibi offeram, et verba flammantia, tuum amorem redolentia tibi devotè decantem. Tu enim, Domina, es illa, de qua scriptum est: *Dixit Deus: fiat lux, et facta est lux.* Genes. 1. 3. O lux pura, lux pulchra, lux illuminans cælestia, illustrans terrestria, terrificans inferna, lux reducens erroneos, lætificans languidos, exhilarans Angelos, et omnes curiæ paradisi sanctos et iustos! O lux revelans mysteria, detegens abscon-sa, irradians latebrosa! Nostra maculosa detege, nostra ruinosa erige, opacis et nebulosis nostris refulge, infirmantibus da * sopitatem, mœrentibus iucunditatem, illustra peccatores ad pœnitentiam, confidentes et sperantes in te perduc ad gloriam æternam. Amen.

* f. sospitatem.

CAPUT XXIV.

Situatio berylli lapidis pretiosi in corona Virginis.

Facies candelabrum de auro purissimo. Exod. 25. 31. Tu, Domina gloriosissima, candelabrum hoc fuisti, cui supposuit suam lucernam Dei sapientia, ut amissam quæreret drachmam. Te filiæ Ierusalem attentiùs intuentur, ut currant in odorem unguentorum tuorum, in lumine virtutum tuarum. Tu mensa fuisti per divinæ legis studium et agnitionem. In te fuit propositio panum per patrum exempla, et bonorum operum exercitationem. Arca fuisti per gloriosum thesaurum fecunditatis: thuribulum Dei aureum per devotionem orationis, quam totam incandueerat amor æternitatis: urna per circunspectionem: manna per divini partus suavitatem: virga per regiam auctoritatem: tabulæ testamenti per scientiæ plenitudinem:

nem: propitiatorium per affectum pietatis. In Dei tabernaculo nihil erat, quod non auro vestiretur. Sic et tu, Domina, quasi tabernaculum es quod [1] sancificavit Altissimus: tota fuisti aurea, quia caritate plena. Tu es stella maris, quia ad te miseri suspirant, ad te spiritus Angelici aspirant. Duo Cherubim obumbrantia propitiatorium, sunt Gabriël Archangelus, et Ioannes Evangelista, ante thronum tuum carmina laudis et gloriæ iubilantes. De thuribulo aureo, id est, de tuo pectore virgineo ascendit fumus aromatum in conspectu Domini; quia per te, quæ es mediatrix et advocata nostra præcipua apud Deum, nostra defertur devotio, et per te propitiari nobis eius dignatur miseratio. Idcirco, ut Deum pro me digneris exorare, illumque mihi propitium reddere, offero tibi beryllum lapidem pretiosum, quò corona tua decoretur, locoque vigesimotertio situetur. Est autem beryllus lapis clarus et viridis, efficaciam habens facere hominem gratiosum, et contra hostes invictum reddere. Tu enim, Domina, hunc lapidem quodammodo repræsentas; nam per donum sapientiæ fuisti clara et splendida, nulla macula denigrata, nulla sorde unquam polluta, nullo vitio contenebrata; sed per gratiam supernæ illuminationis fuisti, velut quædam emanatio Dei omnipotentis, clara et sincera, in qua nihil inquinatum incurrit. Clara fuisti in anima, in vultu lucida, in corpore nitida, in facie angelica: clara ad discernendum ambigua, clarior ad cognoscendum mysteria, clarissima ad intelligendum et speculandum divina. Et quia æternam Dei sapientiam gestasti in tuo corpore humanatam, habes venerationem inclytam, claritatem perpetuam, et gloriam incorruptam Dei; et gratia, qua fuisti repleta, fecit te semper virentem et viridem, producendo germen iustitiæ, florem innocentiæ, fructum misericordiæ. Tu enim emisisti folia bonæ voluntatis, lilia castitatis, violam pietatis, rosas patientiæ et virtutis, poma sanctæ et perfectæ caritatis. Ex abundantia etiam tuæ pietatis et misericordiæ tuos servientes, in te confidentes, facis per bona opera Deo et Angelis gratiosos et placidos, et contra impetus dæmonum per fidei constantiam stare fortes et invictos, cælesti [2] gloria et corona præmiandos. Amen.

CAPUT XXV.

Camamilla, flos decorus coronæ Virginis in ultimo loco.

Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, et vestivit eum auro fulvo nimis, qui habebat sex gradus. 3. Reg. 10. 18. Salomon noster, Christus Rex pacificus, sapientiâ singularis, amabilis gloriâ et potentiâ, thronum sibi ædificavit, tuum videlicet uterum, in quo ineffabilis illa maiestas requievit. Thronus eburneus fuisti, quia tria sunt in ebore, quæ plenis-

(1) *Ædificavit* Alva.

(2) Deest *gloria* in Alvæ edit.

Digitized by Google

nissimè in te fuerunt. Est enim mirabilis candoris, natura frigidus, de casto nascitur elephante. Ita et tu, gloriosissima Virgo, candida fuisti, qui ab omni pollutione segregata: frigidissima, quia ab æstu carnalis concupiscentiæ elongata, de castis Patriarcharum amplexibus generata. Grandis ideo diceris, quia si multa in creaturis magna sunt, nihil tamen tam magnificum fecerunt opera digitorum Dei. Auro fulvo vestiris, quia purissimo sapientiæ nitore coloraris. Sex gradus throni sunt sex opera misericordiæ, quibus tu, Virgo gloriosa, plena extitisti, quæ opera in tuo bono filio expendisti. Nam ipsum esurientem pavisti, lacte virgineo potasti, eum in thalamo tui ventris excepisti, nudum in pannis involvisti, infirmum vagientem sacro ubere recreasti, in carcere nostræ mortalitatis positum nutristi et fovisti. Duæ manus thronum complectentes, duæ vitæ sunt, scilicet activa, et contemplativa, (1) quæ in te cum catena caritatis coniunguntur. Duo leones sunt Gabriël Archangelus, et Ioannes Evangelista, quorum alter dexteræ tuæ, alter sinistræ casti deputati sunt. Leones dicuntur propter rugitum altisonæ eructationis, quorum unus dicit:
Luc. 1. 28. *Ave gratia plena, etc.* Alius di-
Ioan. 1. 1. cit: *In principio erat Verbum, etc.* Verè non est simile opus in omni creatura compositum, quia istud ordines Angelorum transcendit. Ideo excellentissima Domina, extollens et transcendens omnia, tamquam nobilissimæ imperatrici promisi tibi coronam fabricare, non qualem decuit, sed qualem mea exiguitas invenire vel cogitare potuit, in cuius loco ultimo restat collocare camamillam pro eius congruo complemento. Est autem camamilla, flos candidus, sphæricus et rotundus, odore gratus, quodam in medio aureo nodulo decoratus. Huic, Domina, congrua similitudine compararis; nam in anima es dealbata per innocentiam, in conscientia munda et nitida per fidem rectam, in corpore candida et decora per castitatem virgineam. Ideo ut Regina speciosa, sicut columba liliis virgineis constipata, unà cum eis cantas canticum novum ante agnum, super montem Sion stantem, super thronum Patris sedentem, quod nemo cantare potest, nisi in albis ambulantes, nomen agni et Patris eius scriptum habentes in frontibus suis. Quia, ut dicitur, veritas non quærit angulos. Propter veritatem et mansuetudinem, et iustitiam, pro quibus mirabiliter te deduxit Christi dextera, dicta es rotunda, non angularis. Sed et tuarum virtutum fragrantia superat omnia genera aromatum, odor tuæ pietatis et misericordiæ super thus et balsamum, redolentia tuæ caritatis et amicitiæ vincit suavitatem omnium unguentorum. In medio tui pallore aureo rutilans, quia sapientia cordis tui est (2) speciosior sole, prudentia cordis tui et pectoris est splendidior luna, tui in-

(1) Alva *quod in te.*

(2) Alva *pretiosior.*

intellectus[1] scientia super omnem dispositionem stellarum rutilat decore mirabili. Nec mirum, si fulges et rutilas sapientia, cùm sempiternam sapientiam Dei Patris in tuis castis visceribus de Spiritu sancto conceperis, ipsamque carnem velatam in salutem nostram mundo protuleris. Hæc igitur sapientia incarnata est [2] lux mundum illuminans, peccatores salvans, cælestia irradians, homines et Angelos perpetuo fœdere connectens et copulans.

Igitur de hac corona, quam tibi, Mater Dei, virgo perpetua, pollicitus sum, me dixisse hucusque sufficiat. Et si quid bene, et prout materiæ competit, dicere potui, illud divinæ gratiæ meritisque tuis adscribo. Quæ verò minus rectè seu minus cautè protuli, meæ insipientiæ imputo, atque peccatis meis. Et quia tantam maiestatem indignè * pauco contrectasse, veniam peto. Indulge, purissima, pœnitenti et supplicanti te, ex malitia non offendenti, sed de tua benignitate confidenti, seu præsumenti. Cùm sis regina misericordiarum, advocata peccatorum, excusatrix criminum, defensatrix [3] pupillorum, quæ in sede imperiali resides, cum unigenito tuo domino nostro Iesu Christo regnas laudanda et glorificanda per infinita sæculorum sæcula. Amen.

* f. paveo.

[4] EXPLICIT LIBER DE LAUDIBUS ET HONORE B. VIRGINIS MARIÆ ex viginti quatuor lapidibus in coronæ suæ positi capiti gratis Domino nostro Iesu Christo Salvatori totius mundi.

(1) Deerat *scientia* in Alvæ edit. quare suspicabatur legendum *tuus intellectus.*

(2) MS. nost. *lux vera mundum, etc.*

(3) Alva *populorum.*

(4) In MS. nostro ita desinit hic tractatus: *Explicit: Deo gratias.* Deinde hæc habentur: *Arripe eam et exaltabit te; glorificaveris ab ea, cum eam fueris amplexatus: dabit capiti tuo augmenta gratiarum et corona inclyta proteget te. Gloria in excelsis Deo, gratiarum actio, et vox laudis; qui nunc per oracula de cælo lapsa, nunc per prophetica mysteria, nunc per lucem Evangelicam, nunc per Apostolicam tubam multifarie multisque modis * ad amorem Virginis Mariæ, Reginæ Angelorum Serenissimæ.*

* fortè supplendum provocat nos.

CON-

Digitized by Google

CONTINUATIO CHRONICORUM B. ISIDORI
S. ILDEPHONSO FALSO ADSCRIPTA.

MONITUM.

Lucas Tüdensis Episcopus, qui iussu Berengariæ Reginæ chronicon mundi scribere aggressus est sæculo XIV. primus fuit, qui illius operis quasi fundamenta iacturus, post chronicon ab Isidoro scriptum usque ad Sisebuti regnum, nobis obtrusit præsentem prosecutionem Chronicorum, tamquam ab Ildephonso Toletano præsule compositam, cuius operis nulla anterior extabat memoria. Unde Tudensis illud hauserit, incertum est. Sunt qui cum Laurentio de Padilla putant, totum id quod sub Ildephonsi nomine venditavit, fuisse ab illo confictum. A nobis numquam impetrabunt, ut de viro probo temere cogitemus; mirari tamen satis non possumus tantam viri credulitatem, qui tot fabularum portenta non viderit, quibus hæc historiæ pars tota contexta est. Quare iam nullus est historicus, qui eam velut commentum putidum non despiciat, indignum prorsus quod S. Ildephonsi aliquando existimatum sit.

Inter alia quamplurima, S. Isidorum sedem Hispalensem tamquam Primatem obtinuisse disserte asserit mendacissimus consarcinator nugarum, Theodisclum quemdam introducens illius successorem, nulli hactenus antea notum, nec ullis Præsulum catalogis adscriptum, ob apostasiæ crimina dignitate depositum, exulantemque: qua occasione primatialem dignitatem ad Ecclesiam Toletanam translatam commentatur.

Huic fabulæ aliam non minus ineptam attexuit de Mahumetis impii prophetæ adventu in Hispaniam, eiusque Cordubæ prædicatione instituta; quem fingit de reditu M. Isidori ex Urbe admonitum a diabolo, aufugisse, atque ea ratione vincula, carceres, pœnasque iam ab Isidoro indictas evasisse.

Quis hæc legat, qui historiam veram infamis Prophetæ eiusque vitæ chronologiam observaverit, quin ista portenta non rideat, ac miretur homines fuisse, qui tot insulsis anilibus fabulis vel fingendis, vel narrandis delectarentur?

Hæc vel leviter indicata satis sint ad huius monumenti falsitatem suadendam, atque ab Ildephonso nostro illius invidiam ablegandam. Qui plura velit, consulat D. Nicolaum Antonium in S. Isidoro, et Ildephonso, ubi has fabulas diffuse insequitur: tum P. Florez in tomo 5. Hispaniæ Sacræ, et alibi, ubi de Primatis dignitate S. Ecclesiæ Toletanæ verba facit.

Digitized by Google

Nos interea eius editionem repræsentamus ad exemplar editionis factæ a Francisco Scotto, in tom. 2. Hispaniæ illustratæ, qui eam ex Tudensi transcripsit cum hoc eodem titulo, quem præfigimus.

INCIPIT CONTINUATIO CHRONICORUM B. ISIDORI ARCHIEPISCOPI HISPALENSIS, PER B. ILLEPHONSUM ARCHIEPISCOPUM TOLETANUM COMPOSITA.

Quoniam præclarus doctor Isidorus ætates mundi et quorumdam Imperatorum et Regum historias ab exordio mundi usque ad tempus Sisenandi Regis Gothorum docili compendio patefecit; nos a tempore quo ipse desiit, sumamus principium, ne præsentium herôum memoria a futurorum mentibus diluatur.

Era DCLXXI. anno imperii Heraclii decimooctavo, post Suintilanum Regem Sisenandus regnat annis tribus. Iste synoda Episcoporum egit, patiens fuit, regulis catholicis orthodoxis stetit. Toleti finivit vitam.

Era DCLXXIIII. anno imperii Heraclii vigesimoprimo Chintilanus regnum accepit. Synoda plura Toleti cum Episcopis egit, et subditum regnum in fide catholica firmavit. Regnavit annos quinque, menses quatuor. Anno sexto regni Chintilani doctor et legislator Hispaniarum Isidorus stans in Ecclesia, peracto sermone ad populum, et expandens manum ad cælum, ac benedicens omnibus, Deo sibi hactenus traditum gregem commendans, felicissimo somno obdormivit in Domino, senio sanctissimo decoratus. Extitit quippe spiritu prophetiæ clarus, in eleemosynis largus, hospitalitate præcipuus, corde serenus, in sententia verax, in iudicio iustus, in prædicatione assiduus, in exhortatione lætus, in lucrandis Deo animabus studiosus, in expositione Scripturarum cautus, in consilio providus, in habitu humilis, in mensa sobrius, in oratione devotus, honestate præclarus, semper pro Ecclesia ac veritatis defensione mori pronus, et in omni bonitate conspicuus. Præterea pater extitit clericorum, doctor et sustentator monachorum ac monialium, consolator mœrentium, tutamen pupillorum ac viduarum, levamen oppressorum, defensor civium, attritor superborum, persecutor et malleus hæreticorum. Rexit Archipræsulatum Hispalensis Ecclesiæ quadraginta annis, diversis fulgens miraculorum signis, primatiæ dignitate florens, et Romani Papæ in Hispaniis vices gerens. Sacerdotibus, Regibus, et populis divinas et humanas leges tradidit, et Romano Antistiti humiliter obedire præcepit. Nolentibus obedire, maledictionem intulit, et eos a fidelium consortio separavit. Multis librorum volumi-

minibus Christi Ecclesiam informavit, et in pace quievit era DCLXXX. Toletum ad synodum Episcopos convocavit, et ore prophetico eis sui obitus diem, et Hispaniis ventura prædixit.

Sidus honestatis, lux morum, sol probitatis,
Hæc ait in synodo Toleti vir sacer ille
ISIDORUS, per quem floruit alma fides.
Si servaveritis quæ vobis præcipiuntur,
Servabit Christus vos in amore suo.
Frumentum dabit ac oleum, dabit optima quæque,
Si pura mente complaceatis ei.
Si neglexeritis ea, non impune feretis,
Cum recte prava puniat acta Deus.
Inde cadent Gothi bellis, et barbarus hostis
Vos premet innumera clade, timore, fame.
Tunc convertimini, tunc crimina plangite vestra,
Et statim Dominus auxiliator erit.
Gloria maior erit vobis: et gratia Christi
Extollet Gothos uberiore bono.

De gestis eius hæc inter Regum actus annotavimus, quia ipse de præclara Regum Gothorum stirpe, patre Severiano Carthaginensi duce, extitit procreatus. Post transitum autem eius mense uno Rex Catholicus Chintilianus Toleti decessit, bono fine perfunctus. Successit beatissimo doctori Isidoro Theodisclus, natione Græcus, varietate linguarum doctus, exteriùs locutione nitidus, interiùs autem, ut exitus demonstravit, sub ovina pelle lupus voracissimus. Nam libros quosdam de naturis rerum et arte medicinæ, necnon et de arte notoria, quos pater Isidorus facundo stylo composuerat, et nedum ad publicum venerant, in odium fidei corrupit, resecans vera, et inserens falsa: atque per quemdam Arabum nomine Avicennam, de Latino in Arabicum transtulit. Hic in his et aliis pluribus infidelis inventus, et erroneus in articulis fidei comprobatus, per Synodum ab Archiepiscopali dignitate degradatus est. Asserebat enim dominum nostrum Iesum Christum cum Patre et Spiritu sancto non esse unum Deum, sed potius adoptivum. Hic, ut dictum est, privatus honore sacerdotii ad Arabes transiit, et sectæ pseudoprophetæ Mahometi adhæsit, et plura docuit detestanda sub imperatore Heraclio. Tunc temporis dignitas primatiæ translata est ad Ecclesiam Toletanam.

Heraclius adversus Cosdroam Regem Persarum gessit bellum anno imperii sui sexto, et Sisebuti Regis Gothorum sexto. Quo devicto et occiso, ac Hierosolymam delata cruce Domini, et viso Angelo super portas Hierusalem, inde ad propria reversus est cum gaudio magno. Hoc tem-

Digitized by Google

tempore dedignantibus Orientis gentibus vectigalia et tributa reddere Romanis, cœperunt pro viribus rebellare. Tunc surrexit quidam iniquus concionator, ortus in Arabia, nomine Mahumet. Qui pessimus seductor videns inter Orientales et Romanos ortam discordiam, se contra Deum erexit et Christianorum imperium, seductoriè hortans genus Arabum, atque dicens: Non debere alterius gentis domino subiugari, quia Dominus illis esset provisurus, de suo genere ducem benevolum concedendo, quem haberent ut fratrem, cum quo etiam Dominus loqueretur. Hæc et his similia cum prædicaret illis verbis suasoriis, et virtutes quasdam simulatas, et miracula artibus magicis facere videretur, extemplo Ismaëlitæ, sicut bruta animalia quibus non est intellectus, paulatim de bono in malum mutati, derelicta fide catholica cœperunt ei credere, et eum in tanta veneratione habere, ut eum prophetam prædicarent a Deo missum, et sibi eligerent Regem, simulatis illius seducti miraculis, et facundia decepti. Erat enim pulcher, facundus, et fortis, et magicis artibus valde imbutus. Iste Mahometus Sarracenorum et Arabum princeps, ut fertur, fuit de genere Ismaël filii Abrahæ. Qui cum in adolescentia cœpisset esse mercator providus, pergebat frequenter cum camelis suis apud Ægyptum et Palæstinam, et morabatur cum Iudæis et Christianis, et maxime cum quodam monacho Antiocheno superstitionis amico, qui vocabatur Ioannes; a quo tam novum quàm vetus superficialiter et superstitiosè didicit Testamentum. Et cum hàc illacque cum diversis speciebus aromatum, et divitiarum causa lucri pergeret, contigit ut Corrozatam ingrederetur provinciam. Cuius provinciæ domina, quæ Cadiga vocabatur, ut vidit iuvenem, primò in illius pulchritudine et eloquentia mente capta, cœpit diversas species, quas secum Mahomet attulerat, contemplari, et ei familiariùs adhærere. Quam Mahomet cautè incantationum suarum perstrinxit phantasmate, et astutè paulatim cœpit ducere in errorem, dicens ei, quòd ipse esset Messias, quem venturum expectabant Iudæi. Auxiliabantur ei non solùm Regina Cadiga, quæ ab eo decepta erat, sed etiam multi Iudæorum, qui ad eum de diversis partibus concurrebant. Omnes etiam Ismaëlitæ et Arabes catervatim confluebant ad eum, attoniti tanta novitate rei. Quibus cœpit novas leges fingere, eisque tradere, adhibens ipsis nefandis legibus de utroque Testamento corrupta testimonia. Ideo divinæ paginæ auctoritates pervertit, ut tam Christianis quàm Iudæis cum Sarracenis aditum præcluderet disputandi. Dedit etiam suis edictum, ut quicumque alia quàm ea, quæ ab illo acceperant, prædicaret, animadversione gladii puniretur. Huius sacrilegas traditiones Sarraceni Dei leges appellant, eumque suum legislatorem et nuntium Dei fatentur. Præfata quoque Cadiga, cum videret illum

Iu-

Digitized by Google

Iudæorum et Sarracenorum pariter contubernio vallatum, existimabat in illo divinam latere sapientiam: et cum esset vidua, accepit eum sibi maritum: et ipse Mahumet nomen Regis assumpsit sibi imposito diademate regni. Cœpit deinde se in armis gerere strenuè, et Regis ac Prophetæ sibi nomen et insignia usurpare. Post hæc verò cœpit cadere frequenter caduco morbo, et epileptica passione. Quòd regina Cadiga cernens, admodum tristabatur, eo quòd nupsisset homini, quem credebat arreptione dæmonum laborare. Ille autem astutè leniendo decipiebat eam, dicens: quia Angelum Domini Gabriëlem mecum loquentem contemplor, et non ferens splendorem vultus eius, utpote carnalis homo, deficio et cado. Hæc dicens, quædam signa et miracula magicis artibus facere nitebatur. Verumtamen, ut fertur, diabolus transfigurans se in Angelum lucis, quædam ei prædicebat futura. Unde est, ut in exordio suæ subdolæ prædicationis adiret Hispaniam, et Cordubæ suæ perditionis sectam doceret. Dicebat enim Iesum Christum Dominum de virgine esse natum operatione Spiritus sancti, non tamen esse Deum. Quod cum beatissimo patri Isidoro nuntiatum fuisset, qui tunc revertebatur a Romana Curia, confestim misit ministros, qui caperent eum. Sed diabolus Mahumeto apparuit, et quàm citiùs fugeret, imperavit. Mahumetus autem post fugam in Africam et Arabiam innumerabiles plebes seduxit, et regno adepto, cum Ismaëlitis, qui credebant eum ab ore Gabriëlis Archangeli leges, quas ei tradebat, recipere, Romanum Imperium fortiter devastabat.

Era DCLVI. Mahumetus cum exercitu suo partes Arabiæ, Syriam et Mesopotamiam hostiliter invasit, et tam ipsas quàm vicinas patrias funesta deprædatione occupavit. Quod cum nuntiatum fuisset Theodoro fratri Heraclii, qui tunc præerat partibus Orientis, mox apud Gabatam cum magno exercitu obviam illi præliaturus occurrit: ubi dum inter se acriùs dimicarent, Theodorus interfectus est, et exercitûs Christianorum maxima pars occubuit diro gladio, et cæteri fuga lapsi sunt. Tunc Agareni de Romanorum fuga validiores effecti, audaciùs appetunt Siriam, et depopulantes patriam, apud Damascum, nobilem quondam Christianorum urbem, sibi regni solium firmaverunt, et dictis Mahumeti tribuebant fidem, divinam in eo latere potentiam asserentes. Mahumetus autem inter cetera nefanda quæ docuit, sectam Nicolai advenæ Antiocheni, qui unus de septem Apostolorum diaconis fuerat, iam per Apostolos emortuam, suscitavit. Quam Dominus in Apocalypsi Angelo Ephesi Ecclesiæ scribit, se odire dicens: *Odisti facta Nicolaitarum, quæ et ego odi.* Apoc. 2. 6. Decimo autem regni sui anno, quia dixerat se moriturum, et tertia die resurrecturum, Albimor discipulus eius volens experiri, utrum verè a morte resurgeret, callidè Mahumeto efficacissimum venenum obtulit: quo

Digitized by Google

quo statim repentina mutatione Mahumet mortis suæ terminum sensit. Unde quibusdam sibi astantibus dixit, quòd per aquam remissionem acciperent peccatorum, et statim mortuus est. Discipuli verò eius diligenter custodiebant corpus ipsius, expectantes quòd resurgeret. Sed nimio erumpente fœtore, cum iam sustinere non possent, eis abscedentibus Albimor post undecimam diem reperit corpus eius a canibus dilaniatum, et diligenter colligens ossa illius, cum magno Sarracenorum conventu sepelivit eum in Medina Ruphul, quæ Latine civitas nuntii dicitur.

Era DCLXVI. anno Heraclii decimoseptimo, post Mahumet Abubacar de cognatione eius electus in Regem, Arabes fortiter rexit per triennium. Post hunc Homer regnavit, qui multis præliis triumphavit, Alexandriam civitatem Metropolim suo imperio subiecit. Post multas victorias in mari et in terra ab ipso factas, dum quadam die orationi vacaret, a quodam servo suo sagittatus interiit, expletis in regno decem annis. Sicque error Sarracenorum exordium habuit, et de Romanis per diversas orbis partes multas obtinuerunt provincias et victorias. Atque ut fertur, tantorum malorum causa Romanorum avaritia fuit, qui sibi subditas nationes iugo servitutis intolerabiliter opprimebant: unde opportunitate male habita, eorum dominium quàmcitiùs a suis cervicibus excusserunt, se nefariis ritibus Mahumeti miserabiliter implicantes. Hic enim fuit cauda draconis, de qua legitur in Apocalypsi, quod deiecit de cælo tertiam partem stellarum. *Apoc. 12. 4.* Sed iam ad Reges Gothorum vertatur stylus.

Era DCLXXX. anno imperii Heraclii vigesimosexto, post Chintilanum Regem Tulga regnat annis tribus. Iste blandus et catholicus per omnia fuit. Regna sibi subdita in pace dilatavit, in iudicio rectus, et largitate ac lenitate claruit. Synoda a suis decessoribus facta firmavit. Toleti decessit.

Era DCLXXXII. anno imperii iunioris Heraclii primo, Chindasvinthus regnavit solus quatuor annis, mensibus octo, postea verò cum filio suo Reccesvintho annis aliis sex regnavit, et mensibus septem. Iste a Romano Papa obtinuit privilegium, ut secundùm beneplacitum Pontificum Hispanorum primatiæ dignitas esset Hispali, vel Toleti, et per multa synoda firmata cum Episcopis erudivit Ecclesiam. Cuius tempore ab omni perturbatione quievit Hispania, adeo ut nullus in ea infidelis reperiretur, vel qui rebellionis sumeret arma. Libros sanctorum Patrum diligenter fecit perquiri, et instituta B. Isidori firmiter observari. Hic perfidum Theodisclum Hispalensem Episcopum Synodalis sententia exulavit, et dignitatem primatiæ transtulit ad Ecclesiam Toletanam. Obiit Toleti.

Era DCLXXXVI. anno imperii Constantis filii Heraclii primo, cum Chindasvintho Reccesvinthus filius eius regnavit annis sex, et postea solus annis duodecim. Hic fidem catholicam in tan-

Digitized by Google

tantum dilexit, ut semper perquireret viros litteratos, qui frequenter coram ipso conferrent de articulis fidei. Delectabatur enim in divinis Scripturis, et altaria Christi auro, argento, gemmis, et sericis summo studio decorabat. Ter synoda cum Episcopis Toleti peregit, et leges a prædecessoribus suis editas firmavit, atque quasdam addidit omnino honestati convenientes. Cunctos mirè dilexit, et ab omnibus valde dilectus fuit. Erat enim adeo mitis et humilis, ut inter subditos, quasi unus ex illis videretur. In pace regnum sibi subditum rexit, et in villa nomine Gerticos, quæ in monte Cauriensi sita est, propria morte decessit sub Imperatore Constantino. Hucusque beatus scripsit Ildephonsus Hispaniarum primas et Archiepiscopus Toletanus: qui tempore dicti Regis Reccesvinthi quasi lucifer inter sidera, tam morum honestate quàm signorum claritate fulsit in Ecclesia Dei. Quï etiam donis cælestibus a perpetua Dei genitrice Maria et Leocadia in præsenti vita meruit honorari.

Digitized by Google

EPIGRAMMATA SANCTO ILDEPHONSO
ATTRIBUTA IN COLLECTIONE VARIORUM CARMINUM
A PSEUDO-IULIANO FACTA.

MONITUM.

Vel ipsum solum collectoris nomen, nulli hominum non suspectum invisumque, omnem hisce carminibus fidem abrogavit, adeo ut vix quærendum iam sit, quare a nobis ad appendicem inter apocryphos Ildephonsi fœtus ammandentur hæc epigrammata, quæ unius Pseudo-Iuliani, insignis fabularum parentis, auctoritate et testimonio fere omnia tueantur. Dicimus fere omnia, *quoniam ex eis nonnulla, antequam Pseudo-Iulianus somnia sua vulgasset, ab ipso Hieronymo* de la Higuera *producta fuerant in sua Historia Toletana, tum etiam ab aliis antiquioribus citata: qualia sunt tertium pro S. Heladio præsule Toletano, quartum de S. Eugenio, et decimum, quod hìc inscribitur* de translatione S. Fulgentii : *omnia tamen a collectore corrupta atque interpollata, ut suo loco notabimus.*

Verumtamen non propterea omnia una eademque sententia damnamus. Lubentius sequimur iudicium de illis a Cl. Nicolao Antonio latum, qui non omnia improbare ausus est. Tria saltem agnoscit epigrammata, quæ si a versibus interpollatis (ut ipse putat) purgarentur, Ildephonsi genuina haberi possent. Ea sunt secundum de hospitio a suis parentibus Toleti ædificato, tertium de S. Heladio, et quartum de S. Eugenio Avunculo suo.

Reliqua tamquam spuria explodenda putat, nihil præter mera impostoris commenta continentia. Et credimus certe, nullum non manus illi daturum, qui paulo serius ea percurrerit. Nos vix ab eo discedimus, ut ex animadversionibus illis subiiciendis apparebit; simulque ut lectorem hanc qualemcumque carminum diversitatem moneremus, diversis caracteribus notavimus.

Præter hæc epigrammata ex Pseudo-Iuliani collectione desumpta, quæ sunt XII. alterum ultimo loco edimus in honorem S. Isidori Hispalensis, ceteris non minus apocryphum, nostro quidem iudicio. Verum protulerat illud, atque S. Ildephonso adscripserat auctor vitæ S. Isidori a Bolandianis editæ, qui creditur fuisse Lucas Tudensis, post illud aliud, quod in collectione extat numero X. atque incipit : Crux hæc alma gerit, etc. *Itaque necessario reliquis adiiciendum fuit, nequid de spuriis operibus S. Ildephonso aliquando attributis in hoc appendice desideraretur.*

EPI-

Digitized by Google

(1) EPIGRAMMA I.

Lucæ sacravit supplex Evantius ædem,
Cui Nicolaus erat nobilis ipse pater.
Lucia nostra parens, soror et Evantia, frater
Eugenius præsul huius et urbis amans.
Lazarus a genitrice mea recta optima pauper
Accipit hospitibus, pauperibusque domum.
Quin avia industri de sanguine nata Gothorum,
Templa simul Marco sancta Blesilla facit.
Quin eius soboles Nicolaique Evantia, coniux
Ophilonis amans, et venerata Deum;
Templa superba Petro sub mœnibus erigit urbis,
Auget item redditus, complet honore domum.
Hic Ophilo regis soboles fuit Athanagildi,
Atque meus genitor frater item Stephanus.
Cœnobium Eulaliæ Rex Athanagildus et ædem,
Noster avus, Iustæ sed prius instituit.
Vir fuit iste pius, nulli pietate secundus:
Sed clam propter eos qui viguere Gothos.
Sebastianus habet templum regnante Liuva
Urbe sub; at reparat Ervigius Mariæ.
Quin tamen ædificat Rex Constantinus eidem,
Toletique domus tertia sacra fuit.
Vivite magnificis tecta assurgentia Divis,
Qui regitis vestro mœnia præsidio.

II.

DE HOSPITIO A PARENTIBUS SUIS ÆDIFICATO.

(2) *Lucia cum Stephano genitrix, sed avunculus illum*
Compulit Eugenius præsul ad hospitium.
Lazarus hoc mendicus habet sub mœnibus urbis,
Qua via Complutum cursibus apta patet.

(1) Supposititium est hoc epigramma, inquit Nicolaus Antonius, continetque cogitationes omnes, quas de S. Ildephonsi stirpe et cognatione conceperat artifex; indignum ut imputetur sanctissimo viro, a quo omnis superbiæ et arrogantiæ fastus abesse debuit. Præter hæc autem quot falsa et absurda involvit? Attendat lector, Athanagildum regem Gothorum, quem nulli pietate secundum fuisse dicit, Arianum vixisse: deinde etiam Ervigii meminisse poëtam, quem tamen Ervigium duodecim annis post Ildephonsi obitum fuisse inauguratum regem constat: et deinceps de huius epigrammatis suppositione non dubitabit.

(2) Agnoscit hoc epigramma pro germano idem Nicolaus Antonius. Certe in contrarium nihil certum adduci potest; quando traditio fert S. Ildephonsum Lucia et Stephano genitum, sanctique Eugenii nepotem fuisse. Adducitur etiam, auctore eodem Nicolao, a Hieronymo *de la Higuera* in sua Historia Toletana, tamquam ad se ex Germania remissum. Quod quamvis non gravis momenti sit ad persuadendum, tamen pro Ildephonsino ut habeatur non repugnamus.

Digitized by Google

III.

EIUSDEM CARMEN SEPULCHRALE PRO S. HELADIO PRÆSULE TOLETANO.

[1] *Præsulis* HELADII *tumba requiescit in ista*
Corpus, at illius spiritus astra tenet.
Toleti Rector fuit hic, dum degit in Aula;
Ex monachoque Abbas Agaliensis erat.
Hinc Toletanam rapitur violenter ad urbem,
Confectus senio, sed pietate vigens.
Corporis exubias martyr Leocadia cepit:
Illa domus Reges Pontificesque capit.
Unde die extrema surget redivivus ad auras,
Ut capiat meritis præmia digna suis.
Iamque octoginta senior transegerat annos,
Gloria Pontificum, fax animosa Dei.
Ildephonsus ego, quem fecerat ille ministrum,
Persolvi sancto qualiacumque seni.

IV.

PRO S. EUGENIO AVUNCULO, TOLETANO PONTIFICE.

[2] *Præsulis* EUGENII *iacet hic venerabile corpus,*
Quem Leocadiæ templa verenda tenent.
Hic monachus fit, mortales dum perfugit umbras,
Et Toletano præsul in orbe senex.
Vita beata fuit mores sine labe pudici:
Qualis Isidorus, atque Leander erat.
Discipulus dat dilecto postrema Magistro
Et consanguineo funeris officia.

(1) De hoc epigrammate, sicut et sequenti non dubitamus quin legitima sint antiquitatis monumenta. Agnovit etiam illos ante chronicorum falsorum editionem historicus *de la Higuera*, sed absque interpollatione carminum, aut verborum perversione, quas collectio Pseudo-Iuliani repræsentat. Namque secundum huius epigrammatis distichon ita exhibet collectio prædicta:

Toleti Lector *fuit hic, dum degit in Aula:*
Ex monacho Lector *Agaliensis erat.*

In quo primum *Lector* esse errorem typorum putamus; secundum vero *Lector* in pentametro repetitum manum detegit Pseudo-Iuliani illius corruptoris. Deinde distichon penultimum eiusdem esse notæ videtur; itaque ab eodem historico in sua Historia Toletana prætermissum fuit.

(2) Hoc epigramma, quod superius dicebamus alterum esse ex his, quæ genuina haberi possunt, dimidia sui parte confictum est, et spurium, a collectore pro libitu interpollatum, ut placet eidem Nicolao Antonio. Equidem non levem iniicit suspicionem, quòd ipsum ab historico *de la Higuera* citatum dicatur tetrastichon, cum heic appareat octastichon: quare secundum et quartum distichon reiicienda putat; et nos propterea diverso caractere notavimus. Forte assequutus est quod res est. Verum si quis totum epigramma defendere contenderit, non multum repugnabimus.

V.

Digitized by Google

V.

ALIUD PRO S. LEANDRO, ET MASSONA METROPOLITANIS, HOC EMERITENSI, ILLO VERÒ HISPALENSI.

(1) Leander pater excellens, quem suscipit Æther,
Laudibus ornatum, conspicuum titulis:
Incus Arianæ gentis, medicator et idem,
Doctor Isidori, quem generat Domino.
Tu quoque ter felix, Meritensis gloria terræ,
Mausona, consilio, pectore note, fide.
Ambo pares animis, pietate et laudibus ambo,
Inque domo magni murus uterque Dei.
Vicistis tolerando minas animumque rebellem
Regis: cum sceleris pœnituisse ferunt.
Vos soboli Regis biforem reserastis olympum:
Per vos alter enim martyr ad astra volat:
Alter et ad roseas emergit luminis auras,
Et qua luce caret, tunc iubar eius habet.
Vos memorant genti Gothicæ tribuisse salutem;
Linquit et invisum dogma, piumque tenet.
Vos meritò victrix laurus, sequiturque perennis
Gloria, tot meritis debita magnificis.
Semper vester honos, atque inclyta fama manebit,
Vosque canent populi, sed magis astra canunt.
Estis enim æterna præcincti tempora fronde
Inter Doctores splendidiore loco.

VI.

AD SANCTISSIMUM VIRUM ET DOCTOREM FULGENTIUM.

Fulgenti, nova Carthago quem reddidit auris,
Teque nimis felix postmodo patre fuit.
Inde patrem recipit te gaudens Astigis unda,
Qua fruitur Bætis, teque magis fruitur.
Corrigis effrenes mores, vitamque tuorum
Erudis exemplo doctor et eloquio.
Hispalis ipsa tuos cineres cum fratribus aptat:
Tres eadem fratres continet urna simul.

(1) Quintum hoc epigramma, sicut et sequentia, sextum de S. Fulgentio, septimum de S. Isidoro, octavum de S. Florentina, et nonum de S. Leocadia, absolute putat supposititia idem Nicolaus Antonius. Scilicet desiderabat in illis, ut nos putamus, Gothicam antiquitatem, quam minimè præseferunt: præterea unius Pseudo-Iuliani testimonio consistunt, ex quo cuique suspecta sint oportet.

Digitized by Google

VII.

EPITAPHIUM.

AD S. ISIDORUM HISPALENSEM.

Mens penetrat cælos, hac corpus dormit in urna,
Dulce decus gentis, Dux ISIDORE, tuæ.
Quæ tibi discipulus sacrat, præsumme Magister,
Qui fuit exilii parsque comesque tui,
Carmina sume libens, et quem tu vivus amasti,
Post tua securus fata, Magister, ama.
Ora pro nobis miseris, clarissime doctor,
O decus Hesperiæ, religionis honor.
Da rogo te facilem, te desine quæso rogari,
Teque vocant populi, discipulusque vocat.
Quem variæ cingunt curæ, quem densa pericla
Infestant, cæli fac statione frui.

VIII.

AD S. VIRGINEM FLORENTINAM.

FLORENTINA micans, decus immortale pudoris,
Intemerata parens virgineique chori.
Pauperiem præfers opibus, Christumque marito,
Qui tibi dives opum plurimus esse cupit.
Omnia calce premis, quæ fallax mundus adorat,
Sponsa Dei pauper pauperis astra petis.
Gaude sorte tua quodvis fruitura per ævum,
Agnumque agna tuum læta dehinc sequere.
Castas funde preces pro nostro, virgo, reatu,
Quemque tuus sponsus iuvit, et ipsa iuva.

IX.

AD S. LEOCADIAM VIRGINEM ET MARTYREM.

Nam quibus ipse tuos cantabo laudibus actus,
Sanguine clara tuo, clarior ipsa fide,
LEOCADIA, æterni sponsi sociata cubili,
Quem modo complexu sed sine fine tenes.
Toleti decus ipsa tui, quam Hispania tota
Invocat, et precibus supplicat usque suis.
Te Dacianus agit, furiis feralibus actus,
Vincere te diro carcere posse putans.
Hic crucis auxilio, morientumque acta dolore,
Iam macerata diu, non superata manes.

Omni

Omnipotensque tuis faciles accommodat aures
 Optatis : flagro cæsa per astra volas.
Et mihi ter misero renitenti splendida vultu
 E túmulo egrediens cernere das facilem.
In populi ore pii velum das scindere ferro,
 Et mandata Dei das Genitricis amans.
Te laudent superi, laudat quam turba piorum:
 Esto memor tui, virgo, clientis ovans.
Toletum te voce vocat, quam sanguine fundis,
 Proque tuis solitas civibus adde preces.

X.

IN TRANSLATIONE CORPORIS S. FULGENTII.

(1) Crux hæc alma gerit geminorum corpora fratrum,
LEANDRUM, ISIDORUM pariterque ex ordine vatum:
Tertia FLORENTINA soror, devota perennis,
O ! quàm compositè concors hæc digna quiescit!
Isidorus medius disiungit membra priorum.
Hi quales fuerint, libris inquirito, lector.
Cognosces et eos bene cuncta fuisse locutos,
In quibus hic recubat FULGENTIUS. Inspice tres hos
Spe certa plenosque fide, super omnia caros.
Dogmatibus cernes horum cernes crevisse fideles,
Ac reddi Domino quos impia iura tenebant.
Atque viros credas sublimes vivere semper,
Aspicies puros sursum contende videre.

(1) Hoc epigramma in collectione Pseudo-Iuliani insertum, antiquius ea est: nempe in vita S. Isidori a Tudensi, (ut creditur) scripta reperitur sub nomine S. Ildephonsi. De eius vero legitimo auctore non putamus iudicium exactius fieri posse, quam quod pronuntiavit idem Nicolaus Antonius tam sæpe appellatus a nobis: neque Ildephonsi, neque alterius antiqui putandum esse. Corruptus tamen etiam est, et ineptissimè auctus a collectore, ut de S. Fulgentio mentionem iniiceret, quemadmodum apparet facta collatione cum eo quod ex Tudensi transcribimus:

Crux hæc alma gerit geminorum corpora fratrum,
Leandri, Isidori, pariumque ex ordine vatum.
Tertia Florentina soror devota perennis,
O quàm composita consors! hic digna quiescit.
Isidorus medius disiungit membra duorum.
Hi quales fuerint, libris inquirito, lector.
Cognosces et hos bene cuncta fuisse locutos,
Spe certos, plenosque fide, super omnia caros.
Dogmatibus cernas horum crevisse fideles,
Ac reddi Domino quod impia iura tenebant.
Utque viros credas sublimes vivere semper,
Aspiciens sursum pictos contende videre.

XI.

Digitized by Google

XI.

DE SYNAGRIA PATRUELE SUA.

(1) Nunc Ophilonis ego soboles Synagria nupsi
Theodato Arverna nobilitate pari.
Inque Gothis Ophilo sed Arverna gente maritus,
Vir fuit apprimè nobilis atque pius.
Coniugio durante viro peperisse Bonitum
Contigit : in multis optimus iste fuit.
Mira canunt puero sæclis volventibus ævi
Eventura : Deus sospitet ista mihi.
Emorior consorte tori , atque superstite nato;
Cum matre et caro progenitore cubo.
Indulget si multa Deus mihi crimina clemens,
Æterna requie sors erit inde frui.
Qui legis hæc , effunde preces , pro meque rogabis
Assidua numen candidus ipse prece.

XII.

SANCTO IUSTO.

(2) Care pater nobis , tum re tum nomine IUSTE,
Qui numeros imples nominis ipse tui.
Helladii soboles , monachus puerilibus annis:
Is Benedictini splendida norma chori.
Fisque pater monachis multis , servoque tuorum
Alfonso , nutrit quos , Benedicte , tibi.
Post Toletanam raptaris pastor ad ædem;
Tempora Episcopii certa fuere tui.
Dignus eras vita ; sed mors inopina recondit
Spes multas tanti præsulis , atque patris.
Ingenio celeri iuncta est facundia mira:
Iudicium gravitas concomitata senis.
Tertia pontificem tantum te viderat æstas:
In Leocadiæ mortuus æde iaces.

(1) Ridicula mille , et mille figmenta continet de S. Bonito , Arvernensi Episcopo, ut illum ex eadem familia et gente qua Ildephonsus noster erat , genitum faciat. Vide Nicol. Antonium.

(2) Hoc epigramma (de quo nihil annotatum reperimus a Nic. Ant.) vera continet de Sancto Iusto , atque ex elogio illius , quod Ildephonsus scripsit , videtur compositum, si expressam S. Benedicti mentionem excipias , quæ illud recentius et apocryphum apertè demonstrat.

ALIUD

ALIUD EPITAPHIUM IN LAUDEM S. ISIDORI.

Ex illius vita a Tudensi, ut creditur, scripta. (1)

In laudem Ecclesiæ Christo regi gloriæ
Concinamus iugiter:
Et Virginis unico carmine Davidico
Canamus solemniter.
Gloriam ISIDORI, meritorum memori
Voce sonent cantici:
Crescat laudum cumulus, gratuletur populus,
Et chori Angelici.
Nostris in temporibus præfulgens hic moribus,
In verbis Dominicis
Fidus fidem extulit, fide labem expulit
Erroris hæretici.
Natus de Cartagine nihil ab origine
Puerile sapiens,
Per fines Hispaniæ fontem sapientiæ
Fudit, mira faciens.
Hispali dum præfuit Primas, legem docuit,
Hispanus Hispaniam.
In doctrina præmicans, Crucifixum prædicans,
Fugans idolatriam.
Stemmate prænobilis, extitit immobilis
In Dei magnalibus:
Affectans cælestium gaudiorum præmium
Spretis temporalibus.
Per fulgorem operum exemplar fructiferum
Sese clero tribuit:
Nihil a certo varians, totus cælis inhians,
Vitia perdomuit.
Romanorum dogmata cosmi hic per climata
Reparavit largius:
Hesperus Hesperiam, lucifer Ecclesiam
Decoravit clarius.

Or-

(1) Extat hoc epitaphium, ut dicimus, in vita apud Bolandianos edita, quae Tudensis opus habetur. Videtur illud S. Ildephonso adscribere velle: nam post illud quod iam superius edimus, quod incipit: *Crux hæc alma gerit, etc.* ab Ildephonso, ut ipse ait, compositum, nullius alterius auctoris facta mentione adiicit: *Item aliud*, atque hoc aliud epigramma describit: *In laudem Ecclesiæ, etc.*

Apocryphum tamen esse multis convincitur. Continet enim fere omnes fabulas, quas in chronici continuatione superius edita confutavimus, de primatia Ecclesiæ Hispalensis, de Mahometi confutatione atque expulsione.

Deinde ipsa ratio carminis sæcula posteriora prodit, in quibus multo post PP. Gothorum ætatem in usu esse cœperunt Leonini versus, quemadmodum alibi nos iam annotasse meminimus.

Digitized by Google

Orthodoxus Arium, dirum adversarium
Rationis calculo
Confudit hic malleus: cessit hostis felleus,
Victus in propatulo.
Iberi devotio Cleri pleno gaudio
Colat patrem patriæ;
Contemplando dogmata, cosmi laudent climata
Doctorem Ecclesiæ.
Decus Archipræsulum, Sacerdotum speculum,
Scripsit docte modulans
De fide catholica carmina mirifica,
Libros libris cumulans.
Mahometi cæcitas, perdens gentes perditas,
Illius miracula
Nequiens refellere, mœsta fuit cedere
Viro sine macula.
Ut sincere credidit, sincere sic edidit
Formam pœnitudinis:
In discendis perspicax, in exemplis efficax
Doctor multitudinis.
Quis ad plenum promere posset, vel præscribere
De gestorum titulis?
Lingua non sufficeret, dextera deficeret
In scribendis singulis.
Exoremus igitur hunc, de cuius creditur
Sanctitate firmiter;
Hostis ab insidiis ut nos, et a vitiis
Defendat perenniter.
O depressor criminum, tua nobis Dominum
Prece reconcilies;
In spe nos confoveas, noxia submoveas,
Sordes cunctas expies.
Quem tecum excolimus, fratris tui poscimus
Leandri suffragia:
Preces nostras audiat, audiens suscipiat
Æterna memoria.
Doctoris FULGENTII, horum fratrum socii,
Recordari volumus;
Quem per vitæ meritum, salutis sollicitum
Esse nostræ, quæsumus.
Virginem egregiam FLORENTINAM sociam
Cum fratribus petimus,
Ut adiutrix veniat, et offensas leniat,
In quas nos cecidimus;
Et leniri Dominus velit nihilominus.

Amen

Digitized by Google

Amen clerus concinat.
Interventu Virginis labe mundet criminis
Quos peccatum inquinat.
Pro nobis tam celebris Virgo pulsis tenebris
Vitiorum advocet;
Ut qui regit omnia miranda potentia,
Nos in cælis collocet. Amen.

FINIS TOMI PRIMI.

Z
22193

Digitized by Google

Digitized by Google

005645524

Digitized by Google

FIRENZE -BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
SEGNATURA - 2.2.198 I (328)
RESTAURO - 1998
LABORATORIO - RAIMONDO MILIO
RESTAURATORE PROGETTISTA - CLAUDIO MONTELATICI

SINTESI DELLE OPERAZIONI EFFETTUATE:

Controllo della numerazione, pulizia a secco con pennello morbido, risarcimento con montaggio a scarnire con carta giapponese di adeguato spessore e colore VANGEROW, velatura con velo giapponese 502 e Tylose MH300P al 2%, rifilatura del restauro eccedente, carte di guardia Ingres struttura F , cucitura su n. 5 nervi di spago, indorsatura con tela mussola e pelle di capra scarnita, incartonatura dei quadranti, capitelli su spago e fili di lino e seta, nuova legatura in mezza pelle di capra al vegetale e piatti rivestiti in tela Bukram, dorso attaccato, adesivi Tylose MH300P e VIanvil 59 in percentuale (15%).

COLLAUDATORE
DATA DEL COLLAUDO.

LAB. RESTAURO LIBRI R. Milio

Digitized by Google